

UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE
3 1761 01938747 1




TRANSFERRED


UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

M. J. [illegible]

ACTUS APOSTOLORUM.

Brugis, typis Houdmont, fratres.

ACTUS
APOSTOLORUM

BREVITER EXPLICATI

AD USUM

SEMINARII BRUGENSIS

AUCTORE

J. A. VAN STEENKISTE,

Can. hon. eccl. Cath. Brug., s. Theol. Lic. in Univ. cath. Lov.,
et olim s. Script. Prof. in Semin. Brug. per viginti annos.

ACCEDUNT TABULA GEOGRAPHICA DISTINCTE EXHIBENS QUATUOR S. PAULI ITINERA, ET APPENDIX CUM OCTO DISSERTATIUNCULIS SCRIPTURISTICIS IN LOCA SELECTA.

QUINTA EDITIO.

Corpus (Ecclesiæ) augmentum facit in ædificationem sui in charitate. Eph. IV, 16.

BRUGIS

APUD CH. BEYAERT, BIBLIOPOLAM.

RATISBONÆ
Apud Pustet.

PARISIIS
Apud Lecoffre,
4, *via Bonaparte*.

LONDINI
Burns and Oates,
Portman Street,
and *Paternoster Row*.

BUSCODUCI
Apud Mosmans,
et Van Gulik.

1897.

APPROBATIO.

Hanc quartam editionem *Commentarii in Actus Apostolorum* Cl. Professoris nostri J. AL. VAN STEENKISTE, ad usum Seminarii nostri approbatam, non tantum alumnis nostris charissimis, verum etiam toti Clero nostro quamplurimum commendamus.

Brugis, 15 Januarii 1882.

† J. J., EPISC. BRUGEN.

Nota. Hæc 5ª editio nullo prorsus modo differt a 4ª.

PRÆFATIO.



In edendo textu Vulgatæ memor fui decreti Clementis VIII, die 9 Nov. 1592, quo præscribitur « *Ut nemo sacrarum Scrip-* « *turarum editionem typis mandare præsumat, nisi habito prius* « *exemplari in typographia Vaticana excuso : cujus exemplaris* « *forma, ne minima quidem particula de textu mutata, addita,* « *vel ab eo detracta, nisi aliquid occurrat quod typographicæ* « *incuriæ manifeste adscribendum sit, inviolabiliter observetur.* » Ideo constanter coram oculis habui exemplar editionis Vaticanæ a. 1598, illudque fidelissime secutus sum. Contuli etiam editionem accuratissimam, quam a. 1861, typis s. Congregationis de Propaganda fide, Romæ vulgavit doctissimus P. Vercellone, Barnabita.

In hoc autem ab edendi ratione hujusce viri præclarissimi recessi, quod neque opportunum neque jucundum putaverim singulos versiculos a se invicem separare, et a margine ducere, prima litera majuscula facta ; eo vel magis, quod in Bibliis Vaticanis versiculus alter alteri continenter adjungatur, stellulis in textu ad initium versuum et numeris in margine positis : quam quidem normam imitari et religioni habui et utile judicavi. Ex hoc enim imprimendi modo Vulgatæ intelligentia facilior fit, teste Ill. Beelen (1). Quamobrem, ad exemplum editionis Romanæ authenticæ versiculos conjunxi ; nisi quod identidem, ubi sensus id requirere videbatur, lineam a margine duxi, ut majores quasdam in singulis capitibus distinguerem pericopas. In hac autem Vulgatæ dispositione vestigia sequor ejusdem auctoris Illustrissimi ac Doctissimi Beelen, quem studiorum

(1) Beelen, *Grondregels* enz. Leuv. 1858. 1 Regel.

meorum exegeticorum moderatorem ducemque habui in alma Universitate Lovaniensi.

Præter duas illas editiones supra indicatas, tertiam etiam, nimirum Taurinam *Hyacinthi Marietti*, a. 1851, diligenter inspexi, propterea quod præfixum habeat decretum approbationis a sacra Indicis Congregatione, die 26 Junii 1856, datum, quo constat « *Editionem illam ad leges a Clemente PP. VIII latas* « *perfectissime exactam esse.* » Animadverti tamen hanc editionem, in minimis quibusdam, v. gr. in interpunctionibus, et literis majusculis, haud raro ab editione Vaticana discrepare : quas quidem differentias, quum sensum reddant clariorem, sæpenumero retinui.

Lectorum monitum velim in scribendis vocabulis græcis spiritus lenes, quemadmodum et accentus qui nihil ad vim vocum efficiunt, semper prætermitti. Ergo notamus tantum spiritus asperos et iota subscripta.

Quotiescumque stellulam nomini scriptoris præfigimus, signum est eum catholicum non esse.

In limine hujusce operis liceat mihi verba repetere quæ explicationi Psalmorum a. 1866 editæ præposui. Itaque plenam rursum perfectamque profiteor obedientiam erga Ecclesiam catholicam, quæ *columna est et firmamentum veritatis* (1 Tim. III, 15), et *cujus est judicare de vero sensu et de interpretatione Scripturarum sacrarum* (conc. Trid. sess. IV). Omnia etiam scripta mea judicio Sedis Apostolicæ Romanæ, cujus Pontifici, s. Petri successori, regimen universæ Ecclesiæ atque *infallibile docendi magisterium* (cf. conc. Vatic. sess. 4) divinitus commissum est, sincerissimo mentis cordisque obsequio, libenter submitto.

INTRODUCTIO.

---

§ 1. *Libri inscriptio.*

In Vulgata nostra liber inscribitur : *Actus Apostolorum* ; quod refert græca verba Πραξεις Αποστολων, i. e. *acta quædam* seu *res gestæ quorumdam apostolorum* (1) ; vel Αἱ πραξεις των Αποστολων, gall. *les actes ou gestes des Apôtres*.

Inscriptio illa, etsi valde antiqua, ab ipso libri auctore præfixa non fuisse videtur, quum in codicibus antiquitatis variis varie legatur (2).

§ 2. *Sedes quam inter ceteros novi Testamenti libros occupat.*

In Bibliis nostris medium Evangelia inter et epistolas Paulinas ordinem tenent *Actus Apostolorum* : quod sapienti ratione factum esse compertum est. Evangeliis enim annectitur *Actuum* liber, quia continuationem atque complementum eorum refert. Et re quidem vera, multæ apud evangelistas reperiuntur promissiones et prædictiones, quas hic videmus eventu fuisse confirmatas. Plurima etiam sunt novæ legis præscripta et instituta, quæ ibidem præparantur aut adumbrantur, hic autem et perficiuntur et ad informandam Ecclesiam ordinantur. Præterea, haud exiguum certitudinis fideique robur doctrinæ evangelicæ accrescit ex prædicatione, vita, et præsertim invicta constantia, tot inter res adversas, primorum Christi discipulorum. Quamobrem, gene-

(1) Hæc inscriptio, melius quam alia quævis, libri argumento respondet. Germani eam vertere solent *Die Apostelgeschichte* : quæ quidem denominatio nimis extensa nimisque generalis forte dicenda est.

(2) Codices tamen vetustissimi in hoc concordant, quod omnes saltem habeant duo ista verba Πραξεις Αποστολων, excepto codice Sinaitico, qui unam tantum vocem πραξεις inscribit.

ratim dici potest, Actuum librum eodem modo se habere ad Evangelium, quo modo hoc ipsum ad vetus Testamentum referatur.

Nec minus recte liber ille epistolis ss. Apostolorum, atque imprimis s. Pauli, fuit præpositus : harum enim velut clavis est, et introductio utilissima, imo vero necessaria.

§ 3. *Argumentum.*

Argumentum *historicum* est : incipit enim narratio a Jesu Christi in cœlum ascensu, et historiam propagationis evangelicæ per spatium 30 circiter annorum, usque ad Pauli prima vincula Romana, persequitur. Non tamen, ut inscriptio innuere videtur, apostolorum omnium continet historiam. Pauli quidem res gestas fuse, quamvis non complete, exponit auctor; de Petro vero parcior est ; de iis autem, quæ a ceteris apostolis acta sunt, nonnisi obiter loquitur, et tam pauca de ipsis tradit, ut præter orationem unam alteramve Jacobi Minoris (cap. XV, 13 et cap. XXI, 20), præter nudam mentionem de morte Jacobi Majoris (cap. XII, 2), nulla aut fere nulla habeat. Nihilominus, quum in hoc opere quædam reperiantur, quæ ad omnes apostolos pertinent, ut descensus Spiritus sancti, concilii Jerosolymitani celebratio, etc. ; quum præsertim nullus alius sit s. Scripturæ liber, in quo quid ab apostolis gestum sit enarretur : ideo ab antiquissimis jam temporibus inscriptionem suam obtinuit, eamque merito conservavit.

Id tamen animadvertendnm est, historiam hanc, etsi omnia apostolorum acta non recenseat, ad solas res gestas eorum non esse restrictam ; sed præter illas, de aliis Christi discipulis (qui apostoli stricte dicti non erant) nonnullas etiam tradi notitias. Adeo quidem ut, in universum, quinque factorum genera in illo libro distinguere liceat :

1° Quædam ad omnes spectant apostolos ;

2° Alia ad Petrum, tum ut Ecclesiæ caput apostolorumque principem, quum ut Judæorum peculiarem prædicatorem ;

3° Plurima ad s. Paulum, gentilium doctorem ;

4° Præterea, nonnulla ad alios quosdam insignes Evangelii ministros, ex. gr. Barnabam, Stephanum, Philippum, Silam, Joannem-Marcum, etc. ;

5° Tandem non pauca ad primorum christianorum vitam moresque, præsertim in ecclesia Jerosolymitana et Antiochena, referuntur.

Inde concludimus, consilium Lucæ non fuisse ut historiam proprie dictam apostolorum omnium, aut aliquorum ex ipsis, aut unius quidem Pauli concinnaret ; *a fortiori* eum noluisse historiam conscribere plenam absolutamque eorum omnium quæ, primis Ecclesiæ temporibus, a Christi in cœlum ascensu usque ad s. Pauli carcerem Romanum, evenerunt. Nihil v. gr. memoratur de primordiis ecclesiæ Philippensis, Thessalonicensis, Romanæ, aliarumque ; nihil de Pauli itinere in Arabiam (cf. annot. ad cap. IX, 23), de pluribus vexationibus vitæque periculis quæ ipse subiit (cf. 2 Cor. XI, 23 sq.) ; nihil de dissensione quæ inter ipsum et s. Petrum exorta est (cf. Gal. II, 11 sqq.) ; nihil de Petri ceterorumque apostolorum itineribus, etc. Finem igitur specialem, quem auctor in scribendo sibi proposuerit, investigare oportet.

§ 4. *Scopus auctoris.*

Quis autem fuerit auctoris finis, quodnam ejus in rebus seligendis tractandisque consilium, multum olim disputatum fuit, atque hodiedum in controversia versatur. Quæ probabiliora nobis videntur jam exponemus.

Scripsit s. Lucas ad Theophilum quemdam, virum ethnicochristianum, amicum et discipulum suum, cujus gratia antea suum ordinaverat Evangelium, in eumdem sane *finem remotum*, ut ipsum aliosque christianos, in quorum manus liber deveniret, imprimis ut gentiles, qui ad Christum conversi erant et in eadem urbe Roma commorabantur, per accuratam propagationis evangelicæ narrationem in fide confirmaret. Ideo præsertim ea tradit, quæ ad duos illos Apostolos qui Romæ Christum prædicarunt, sc. ad Petrum et Paulum, spectant ; et ex eorum actis seligit præcipua quæ extra Italiam gesta fuerant, quum alia Theophilo, ceterisque christianis ejusdem regionis, satis nota essent. Igitur, secundum auctoris mentem, *Actus Apostolorum* alteram partem constituunt historiæ evangelicæ Theophilo inscriptæ, atque eadem forsitan occasione fuerunt compositi ; nimirum, quia nonnulli res gestas apostolorum, quemadmodum Christi vitam (Luc. I, 1), narrare temere conati fuerant.

Ex his intelligitur cur tot tantaque facta omissa sint : auctor enim a Spiritu sancto inductus fuit ad ea tantummodo tractanda, quæ ipsemet viderat et audierat, quando familiariter cum s. Paulo agebat, vel quæ in documentis scriptis, quibus usus videtur, inveniebat, vel denique quæ scire præsertim cupiebat Theophilus, quæque ipsi aliisque libri lectoribus magis forent utilia. Inde etiam detegitur ratio ob quam librum ad adventum Pauli Romam concludat, quamvis ea quæ ibi, in capite orbis Romani, peracta fuerant pro fundanda fide eaque propaganda, maximi essent momenti.

Secundum hanc opinionem, sententia generalis et primaria, qua ad logicam perfectamque compositionis unitatem opus universum reducatur, quærenda non est. Attamen a vero haud multum aberit qui sequentem scopi et argumenti definitionem amplexus fuerit.

Definitio. Actuum liber est brevis quædam, non autem integra, historia Ecclesiæ christianæ, primis post fundationem temporibus, præsertim quatenus opera s. Petri in Palæstinam, et s. Pauli in alias regiones, propagata fuit : quæ quidem historia in hunc præcipue finem *proximum* fuit elaborata, ut, in quantum Theophilo, aliisque quibus primum destinata erat, necesse aut utile esset, pateret Evangelium gentilibus æque ac Judæis nuntiandum esse (cf. historiam Cornelii centurionis, cap. X), neminique legis Mosaicæ aut circumcisionis observantiam imponendam esse (cf. cap. XV, ubi de concilio Jerosolymitano).

Hic tamen finis *proximus* nequaquam excludit alterum *remotum*, ratione cujus Lucas utrumque librum, Evangelium et Actus, scripserit etiam ut, per accuratam narrationem eorum quæ Christus et Apostoli in religione constituenda gesserunt, fidem christianorum, qui hæc legerent, perficeret confirmaretque.

§ 5. *Divisio libri.*

Actuum liber in duas partes commode dividitur, quamvis id non ferat manifestus auctoris finis nec mens ejus certa.

In priore parte, cap. I — XII, quæ decem circiter annos complectitur, variæ apostolorum aliorumque christianorum res

gestæ in Judæa, statim post Christi ascensionem, necnon historia conversionis Sauli seu Pauli narrantur.

In altera autem parte, cap. XIII-XXVIII, quæ spatium viginti ferme annorum comprehendit, fere de solius Pauli factis fatisque sermo fit : de laboriosis ejus itineribus per Judæam et Syriam, per Asiam-Minorem et Thraciam, per Græciam et insulas adjacentes, pro fide prædicanda susceptis, usquedum, Romam ductus, in vinculis ibidem per biennium detentus fuit.

§ 6. *Analysis.*

Pars prior. Ecclesia fundatur, deindeque per totam Judæam, opera præsertim s. Petri, propagatur cap. I-XII. Eam autem partem nunc per capita breviter describemus.

Cap. I. Christus in cœlum ascendit ; eligitur Matthias. — Cap. II. Adventus Spiritus s., et oratio Petri, qua multi ad fidem convertuntur. — Cap. III. Claudus sanatur per miraculum ; qua occasione Petrus Christum iterum prædicat. — Cap. IV. Frustra huic sese opponit Synedrium. Nascens Ecclesia mox florescit, in eaque regnat bonorum communitas. — Cap. V. Historia Ananiæ et Saphiræ. Apostoli persecutionem rursum patiuntur, sed invicto et læto animo. — Cap. VI. Septem diaconi, quos inter eminet Stephanus, eliguntur. — Cap. VII. Hic adversus Judæos audacter se defendit, et ideo lapidibus obruitur. — Cap. VIII. Fides extra Jerusalem propagatur, et apud gentem quidem a Judaica diversam, nempe in Samariam, ubi Philippus diaconus Evangelium prædicat. Mox eo adveniunt Petrus et Joannes, a quibus Simon magus potestatem dandi Spiritum s. per sacrilegium emere vult. Eunuchus baptizatur. — Cap. IX. Saulus ad fidem convertitur ; ei vero Judæi paulo post insidias struunt. S. Petrus per totam Palæstinam Christum prædicat, paralyticum sanat Lyddæ, et Joppæ mulierem mortuam vitæ reddit. — Cap. X. Per visionem edoctus de gentilium vocatione, Cornelio Baptismum confert (1). — Cap. XI. Facti hujus rationem reddit Hierosolymæ. Ecclesia Antiochena prospere agit. Barnabas et

(1) Jam sensim fit transitio ad alteram libri partem : post Judæos, vocantur primum Samaritani, deindeque ethnici, quemadmodum Christus, antequam in cœlum ascendisset, prædixerat : Act. I, 8.

Saulus Hierosolymam cum eleemosynis mittuntur (1). — Cap. XII. Herodes Agrippa christianos vexat : quo jubente s. Jacobus occiditur ; s. Petrus in carcerem conjicitur, sed per miraculum liberatur.

Pars posterior. Jam extra Judæam, inter gentiles, Ecclesia propagatur, maxime per Pauli prædicationem : cap. XIII-XXVIII. Qua ratione autem hæc a s. Luca exposita fuerint, docebit hujus partis descriptio, seu analysis sequens.

Cap. XIII. S. Paulus, Barnabam secum assumens, primum iter apostolicum suscipit. In Cyprum navigat, ubi magus Barjesu ob contumaciam lumine oculorum orbatur ; pergit Antiochiam Pisidiæ, ibique Christum doctissime nuntiat Judæis, qui tamen ei resistunt atque adversus eum turbas efficiunt. — Cap. XIV. Ideo profectus Iconium et deinde Lystras, prius honorifice excipitur tamquam deus, verum, paulo post lapidatur. Morti vix ereptus, redit Antiochiam Syriæ. — Cap. XV. Hierosolymam mittitur ad controversiam de lege Mosaica dirimendam. Apostoli, in concilium congregati, definiunt jugum istius legis ethnico-christianis imponendum non esse. Quod quidem decretum Antiochiam cum detulisset Paulus, aggreditur 2^{m} iter evangelicum. — Cap. XVI. Per Asiam-Minorem in Macedoniam, visione monitus, trajicit. Philippis pythonissam a dæmone liberat : ideoque et virgis cæditur, et in carcerem mittitur ; ex quo tamen per terræ motum mirabiliter liberatur. — Cap. XVII. Progreditur Thessalonicam et Berœam : ex utraque autem urbe ejectus a Judæis, venit Athenas, in cujus areopago, seu *campo Martio*, verum Deum egregie nuntiat. — Cap. XVIII. Pergit ad Corinthios, quibus multo cum fructu per sesquiannum fidem prædicat, frustra accusatus apud Gallionem. Postea Ephesum indeque Antiochiam revertitur. Tertium jam iter Evangelii causa instituit. — Cap. XIX. Ephesi, aut in locis vicinis, per biennium sacro fungitur apostolatu, donec, seditione a Demetrio argentario excitata, abire cogatur. — Cap. XX. Post varias peregrinationes, Troade Eutychum e fenestris delapsum vitæ reddit. Mileti, episcopos presbyterosque, Epheso accersitos, supremum valere

(1) Quum ecclesia Antiochena, in Syria, ex ethnico-christianis præsertim composita esset, hæc ad argumentum partis posterioris jam pertinent : unde videtur divisionem illam ab auctore stricte observatam non fuisse, eumque ad materiam alterius partis paulatim accessisse.

jubet. — Cap. XXI. Itinere maritimo Hierosolymam petit, atque ita periculis et malis ultro obviam pergit. Et re quidem vera, ibi a Judæis comprehenditur, catenisque onustus in arcem ducitur. — Cap. XXII. Ad ingressum arcis populares suos alloquens, conversionem suam vix narraverat, quum turbæ vociferatione impeditur; flagrorum vero supplicium ut a se avertat, civem Romanum se profitetur. — Cap. XXIII. Coram Synedrio stans, callidis verbis judices inter se dividit : sed, ne per insidias occidatur, Cæsaream ad Felicem mittitur. — Cap. XXIV. Apud hunc causam suam victor perorat ; per biennium tamen in vinculis detinetur. — Cap. XXV. Coram Festo, Felicis successore, accusatorum audaciam iterum frangit ; et, ne Hierosolymis judicetur, Cæsarem appellat. Interim Agrippa rex ipsum audire cupit. — Cap. XXVI. Apologiam suam, eadem semper eloquentiæ vi adhibita, denuo renovat. — Cap. XXVII. Sed jam ad Imperatoris tribunal provocare cogitur, atque ideo Romam ire jubetur. Laboriosa navigatio, tempestas sævissima, et naufragium. — Cap. XXVIII. In insula Melita, quo nautæ vectoresque perveniunt incolumes, Paulus, morsus a vipera, nihil mali patitur ; multa quoque facit miracula. Tandem Romam ingressus, strenue, quamvis in vinculis, per biennium Christum prædicat.

Nota. Quum hic Actuum finis aliquatenus sit abruptus, neque aptam videatur habere conclusionem, auctores nonnulli, quos recenset cl. *Güntner (Intr. in nov. Test.* Pragæ, a. 1863), opinati sunt, s. Lucæ fuisse consilium ut tertium librum, in quo narrationis seriem repeteret et continuaret, postmodum exararet, quemadmodum in Actibus Evangelii sui historiam persecutus est. Sed hæc est conjectura, nullo antiquitatis testimonio nixa, quæ ad amplum rerum quæ fieri possunt campum ablegauda videtur.

COROLLARIUM.

Ex tradita Actuum analysi confirmatur id, quod supra diximus, non completam, sed summariam tantum, Pauli historiam a Luca conscriptam fuisse. Quapropter, generatim loquendo, unum solummodo datur exemplum illorum, quæ Apostolus, in variis rerum temporumque adjunctis, aut dixit, aut fecit, aut perpessus est.

Et re quidem vera, nonnisi una refertur Pauli disputatio dogmatica, illa quam Antiochiæ Pisidiæ in Synagoga instituit (cap. XIII, 16); una oratio ad gentiles, ea quam in Areopago dixit (cap. XVII, 22); unus sermo hominis amicos valere jubentis, ille nempe quem Mileti habuit (cap. XX, 18); una, qua seditionem populi sedaret, concio, Hierosolymis facta (cap. XXII); una alteraque apologia sui ipsius, videlicet cum sese defendit primum coram Felice (cap. XXIV), et deinde coram Agrippa (cap. XXVI). Eodem ductus fine, auctor Actuum semel tantum refert Paulum flagellis cæsum (Philippis, cap. XVI, 22), aut lapidibus obrutum fuisse (Lystris, cap. XIV, 18); unum memorat naufragium ab eo passum, illud nimirum quod, dum iret Romam, accidit (cap. XXVII); duas ad summum inserit visiones proprie divinas ei concessas, sc. Corinthi (cap. XVIII, 9) et Hierosolymis (cap. XXIII, 11). *Divinas*, inquam, nam præter has de duabus aliis mentio fit : una Troade (cap. XVI, 9), altera in mari (cap. XXVII. 23); in quibus tamen non ipse Dominus Paulo videndum se præbuit, sed in priore vir Macedo, in posteriore angelus ei adstitit. Porro, una narratur extasis ejus (cap. XXII, 17); semel legitur mortuum ad vitam revocasse (Eutychum, cap. XX, 9); semel etiam, dæmonem e corpore hominis expulisse (cum Pythonissam liberavit, cap. XVI, 18). Adde nonnisi unam prædictionem in Actibus inveniri, puta, illam qua Apostolus didicit a Spiritu sancto multa se passurum esse Hierosolymis (cap. XX, 23); etc.

§ 7. *Auctor seu authentia.*

Auctor intelligitur, qui, Deo movente, dirigente et inspirante, scripsit : auctor itaque *secundarius* sive humanus. Auctor enim *primarius* omnium s. Scripturæ librorum unus idemque est, Deus seu Spiritus sanctus.

Jam vero, extra omne dubium est, eumdem s. Lucam, qui tertium ordinavit Evangelium, hunc quoque Actuum librum concinnasse. Quis autem fuerit Lucas, dicitur in prolegomenis ad ejus Evangelium.

Argumenta authentiæ *externa* e monumentis historicis eruuntur, nempe e testimoniis ss. Patrum antiquissimorumque scriptorum, qui unanimi consensu hoc opus s. Lucæ tribuunt. Jam s.

Ignatius, s. Polycarpus, s. Justinus, et Tatianus, ad quædam loca *Actuum* tacite respicere videntur; verum certæ et manifestæ citationes apud Tertullianum, Clementem Alexandrinum, s. Irenæum, etc., occurrunt. Horum testimonia totidem verbis recitata videsis ap. ILL. BEELEN, *Comm. in Acta Apost. Proleg.* In omnibus etiam vetustissimis variarum ecclesiarum canonibus, seu ss. Librorum catalogis, v. gr. in canonibus Muratorii, Origenis et Eusebii, in versionibus etiam perantiquis, constanter idem signatur auctor.

Argumenta *interna*, quæ e stylo, materia, sententiis, etc., ipsius libri desumuntur, tria sunt præcipua :

1° S. Lucas auctor est Evangelii, quod tertio loco in Scripturis canonicis legimus; ut in prolegomenis ad istud Evangelium demonstratur. Atqui, auctor Actuum idem est ac tertii Evangelii : etenim ipse testatur se jam scripsisse Evangelium quod usque ad Christi ascensionem deduxit; nunc autem, si inquiramus quisnam ex quatuor Evangelistis usque ad terminum indicatum narrationem persequatur, duos tantum invenimus, Marcum et Lucam. Porro, aliunde constat auctorem hujus libri non esse Marcum, sed Lucam, quum solus Lucas Evangelium Theophilo dedicaverit, quemadmodum fecit auctor *Actuum*. Ergo unus idemque s. Lucas tum Evangelium tertium, quum Actus Apostolorum composuit.

2° Scriptor Actuum facta s. Pauli fuse exponit; imo etiam se comitem ejus ferme ubique exhibet, a quo tempore Apostolus, relicta Troade, profectus est in Macedoniam (XVI, 10); atqui ex epistolis Paulinis, quas in commentario nostro (3ª ed., a. 1876) authenticas probavimus, colligitur, narrationes libri *Actuum* prorsus accuratas esse, et evangelistam Lucam reipsa Paulo passim adfuisse socium. Cf. Philem. 24; Col. IV, 14; 2 Tim. IV, 11.

3° Dictio græca utriusque operis, Evangelii Lucæ et Actuum, omnino similis est, idemque modus narrandi, etc.; dum contra longe diversus deprehenditur stylus in Evangeliis Matthæi, Marci et Joannis. Exempli causa, plures in Actibus occurrunt voces et phrases, quæ in utroque libro leguntur frequenter, in ceteris vero novi Testamenti scriptis numquam aut raro reperiuntur. Harum indicem, inspectione dignum, ex Schottio recenset ILL. BEELEN, in Proleg. Comm. in Act. Apost. Videsis infra § 14 hujus Intr., ubi de stylo et scribendi modo Lucæ proprio disputabimus.

§ 8. *Veracitas.*

Quæstio de veracitate cum authentia intime connectitur; ita ut, hac semel demonstrata, illa jam multum probabilis fiat; attamen, stricte loquendo, ambæ ab invicem distinguuntur. Nam poni posset Lucam evangelistam revera esse libri auctorem, sed falsum quid in eo inseruisse, si non consulto, saltem inscium, contra suam voluntatem in errorem lapsum. Ob hanc rationem quædem de veracitate seorsum spectata adjungimus.

1° Veracem se probat historicus noster, vel ipso narrandi modo : magna enim cum simplicitate omnia exponit, adeo quidem ut, cum vitam narrat Pauli, magistri sui, numquam ejus virtutes animique sanctitatem, aut fortitudinem in rebus adversis tolerandis, aut præclara miracula gloriabundus efferat. Quin imo, æquali sinceritate notat illa quæ causæ ipsius minus favent : v. gr. cap. XXVIII, 24, loquens de assiduis ejus prædicationibus, candide scribit : *Quidam credebant his quæ dicebantur, quidam vero non credebant.*

2° Veracitas confirmatur ex eo quod omnia facta historica, etiam minimi momenti, omnesque annotationes, etiam minutissimæ illæ quæ obiter fiunt, miram habeant concordantiam cum iis quæ in aliis certis monumentis, ubi de moribus et usibus, de historia et geographia ejusdem temporis agitur, reperiuntur : ex. gr. apud Flavium Josephum, historicum Judæum æqualem. Hæc fuse describit, atque multis adductis exemplis demonstrat * *Gul. Paley* in suis *Horis Paulinis*, quæ, ex anglica in gallicam linguam conversæ, inscribuntur : *La vérité de l'histoire de s. Paul, prouvée par la comparaison des Epîtres qui portent son nom avec les Actes des Apôtres* etc. Paris 1821. Vide etiam cl. *Glaire, Introduction historique et critique aux livres de l'ancien et du nouveau Testament.* — Cl. *De Valroger, Introduction au n. Test.* Par. 1861, v. 2, p. 518. — *Etudes relig.* etc., Revue des RR. PP. Jés. de Paris, a. 1862.

3° Si falsarius quidam, sub ementito nomine Lucæ, hanc historiam suo fabricatus fuisset ingenio, non sane heroem suum Paulum in medio præclarissimæ ejus vitæ curriculo dereliquisset; nec seriem narrationis abrupisset, eo ipso momento quo res gestæ ipsius factæ fuissent illustriores, magisque animum lecto-

rum allexissent; atque adeo postremos Pauli labores, et præsertim gloriosum ejus cum s. Petro martyrium, silentio haudquaquam prætermisisset.

4° Id genus rationum, ex ipso libro desumptum, de veracitate auctoris majorem nobis ingerit certitudinem, quando cum Apostolorum Actibus spuriis (quorum plura collegit Fabricius) comparationem instituimus. In istis enim talia passim leguntur, quæ apertas falsitatis notas præ se ferunt, et qualia in nostra *Actuum* libro nusquam occurrunt.

5° *Argumentum indirectum.* Si quis contendat scriptorem esse apocryphum, probabile tempus, cedo, quo fictum opus vulgatum fuerit, assignet, si possit. Num forte cum adhuc in vivis esset s. Paulus ? At vero falsitas statim fuisset detecta. Numquid recentiore tempore ? Sed vix intelligitur quomodo auctor, si æqualis non fuisset, tam accurate novisset tot vel minimas locorum morumque rationes adjunctas, de quibus supra diximus (sub 2°). Deinde, si quid scripsisset quod traditionibus ecclesiarum particularium, in quibus prædicasset Paulus, contrarium fuisset, eum ut auctorem divinitus inspiratum certe non accepissent christiani omnes.

6° Tandem argumentum *negativum.* Nulla hactenus in toto libro, vel falsitas, vel repugnantia certa reperiri potuit ; quamvis res non semel tentata fuerit. In decursu nostri commentarii videbimus, seriam difficultatem non parere ea quæ a Rationalistis opponantur; v. gr. a *De Wette,* qui, partim in Introd. ad nov. Test. (*Lehrbuch der... Einleit.* u. s. w. 6e Ausg. Berlin 1860), et partim in Comm. ad Act. Ap. (*Kurze Erklärung der Apostelgeschichte.* 3e Aufl. Leipz. 1848), sequentia objicit :

Cap. I, 18 Lucas, ait, pugnat cum Matthæo in morte Judæ narrando; cap. V, 36 non concinit cum Flavio Josepho, et se Judaicæ historiæ ignarum ostendit, cum loquitur de Theodæ cujusdam rebellione ; cap. IX, 3 sqq., coll. XXII, 4-42, et XVI, 9-20, sibimet ipse adversatur, dum Sauli conversionem ter exponit ; notitiæ *biographicæ,* quæ Act. IX, 19, 23, 25-28 traduntur, contrariæ sunt iis quæ Gal. I, 17-19 leguntur ; cap. X, 28 mores Judæorum haud recte cognoscit, quando dicit Judæis licitum non fuisse cum alienigenis, etiam piis et religiosis (σεβομενοις), familiariter agere ; XVIII, 5 haud concordat cum 1 Thess. III, 2 ; et XXII, 17 ab epistola ad Gal. 1, 17 discrepat.

Deinde miraculum linguarum, quod narratur cap. II, 5 sqq., animo cogitari nequit; præterea, cap. V, 1 sqq. mors subita Ananiæ et Saphiræ sensum moralem offendit; tandem narrationes de apparitione Jesu in conversione Sauli IX, 7 coll. XXII, 9 inter se dissentiunt; difficultas etiam est IX, 29, coll. XXII, 17. Istarum autem objectionum inanitatem, ex iis quæ ad loca indicata in annotationibus nostris dicemus, satis demonstrari confidimus.

§ 9. *Canonicitas seu divinitas libri.*

Nullum umquam de canonicitate aut divina inspiratione Actuum Apostolorum extitit dubium in Ecclesia catholica; adeo quidem ut hoc opus ad genus librorum Proto-canonicorum pertineat. Recensetur enim in canonibus omnibus, etiam antiquissimis; et olim jam ss. Chrys., Aug. aliique testati sunt, hunc librum in ecclesiis lectum fuisse a die Paschatis usque ad Pentecosten. In prioribus seculis, canonicam ejus auctoritatem nemo negavit, præterquam hæretici nonnulli, v. gr. Ebionitæ, Marcionitæ, Severiani, Manichæi etc.; idque, quod notatu dignum est, non ob rationes criticas aut historicas, quasi certa deficeret traditio, sed propter causas dogmaticas et præjudicatas opiniones; quoniam nonnulla in hoc libro reperiuntur quæ ipsorum placitis erant contraria. Ebionitæ v. gr. id fecerunt, propterea quod abolitionem legis Mosaicæ, quæ cap. XV narratur, negarent, ut testantur ss. Epiphanius et Irenæus. Quod si s. Chrysostomus (*hom.* 1 *in Act. Ap.*) Actuum librum sua ætate multis incognitum esse conqueritur, hoc solum sibi vult, ut manifesto docet contexta ejus oratio, opus illud, maxima commendatione dignum, non satis a fidelibus legi atque cognosci.

§ 10. *De fontibus e quibus Lucas rerum notitiam derivavit.*

De fide est, ex concilii Tridentini definitione, *Actuum* librum divinitus esse inspiratum. Verum auctores catholici in determinandis *inspirationis* limitibus extremis non consentiunt, quum aliqui restringant, alii vero extendant conditiones essentialiter requisitas ad hoc ut scriptura quædam dici possit θεοπνευστος, *divinitus indita.* Sunt qui varium, pro varia librorum ratione,

statuant inspirationis modum ac terminum; quique pro libris historicis tria tantum postulent illa :

1° Ut auctor a Spiritu sancto ad scribendum motus sit, et non tantum in universi operis consilio et argumento generali, sed in singulis libri partibus; proindeque ut hæc impulsio divina sit ratio quare hæc facta potius quam alia narret aut exponat. 2° Ut inter scribendum ab eodem Spiritu sit directus; igitur ut per vim supernam inducatur ad talem ordinem potius quam alium in rebus narrandis servandum. 3° Ut ab omni errore immunis reddatur. Cf. Ill. Beelen, *Comm. in Act. Ap.*; Prol. § 6. Ex tribus illis sequitur ea ab auctore sacro scripta fuisse quæ Deus voluerit, adeo quidem ut liber ejus vere contineat *verbum Dei* et nihil aliud.

Inde concluditur necesse non esse ut res ipsæ, quæ narrandæ sint, a Spiritu sancto *revelentur*, neque ut omnes et singulæ sententiæ divinitus suggerantur. Igitur auctor sacer potest et debet rerum notitiam cum diligentia comparare; atque ideo ad eosdem recurrere fontes e quibus ceteri historici factorum scientiam haurire solent : cum hac tamen maxima differentia, quod in exquirendis factis scriptor θεοπνευστος tam efficienter divino dirigatur afflatu, ut ea omnia scribat quæ Deus in mente habuerit, utque semper vera a falsis secernat, neque umquam in errorem labatur. Quamobrem fieri potest ut Deus notitias quasdam ei interdum patefaciat, nimirum quotiescumque humana diligentia et indagatio sufficiens non esset. Cf. annot. nostr. in 2 Tim. III, 16.

Secundum hanc opinionem, quæ verior videtur, quamque propugnant Cajetanus, M. Canus, Bellarminus, A. Lapide, Bonfrerius, et recentiores fere omnes, præter divinam inspirationem, qui *fons* est longe præcipuus et *essentialiter requisitus*, triplex designari potest *fons secundarius* seu *humanus*, ex quo Lucas suas hausit notitias historicas :

1° Experientia ipsius propria, et, si ita loqui fas est, *personalis* : multa enim testis oculatus et auritus ipse vidit et audivit, cum Paulum in itineribus comitaretur, inde a cap. XVI, 10.

2° Notitiæ a Paulo, quocum intimam familiaritatem contraxerat, vel ab aliis, præsertim a christianis Hierorosolymæ habitantibus, quibuscum per biennium versatus est (cf. not. ad cap. XXVII, 1), acceptæ.

3° Probabiliter documenta scripta ipsius Lucæ vel aliorum. Et re quidem vera, nonnulla documenta scripta, nobis incognita, ab auctore fuisse adhibita, suadent sequentes rationes :

a/ Epistolæ duæ leguntur totidem verbis insertæ, cap. XV, 23-29 et XXIII, 26-30 : eas autem a Luca compositas et narrationi accommodatas fuisse, nequaquam dici potest.

b/ Idem innuere videtur orationis longitudo, qua utitur auctor, in priore libri parte, cum sermones et res gestas s. Petri refert, nominibus etiam hominum, qui parum innotuerant, accurate commemoratis (cf. cap. IV, 6 ; IX, 33, 36, 43 ; XII, 13) ; dum postea (a cap. XIII) nihil amplius de eodem apostolo scribat, atque tam pauca de ceteris apostolis narret : cujus quidem rei probabilior explicatio invenitur, si ponamus auctorem præ manibus habuisse aliquod documentum scriptum, in quo totidem illæ de s. Petro narrationes essent relatæ.

c/ Præter sermones Petri, ipsissimis etiam verbis recitantur tum uberrima Stephani apologia (cap. VII), tum decretum concilii Hierosolymitani (cap. XV, 23), plurimæque Pauli orationes diversissimæ : quæ quidem omnia loca indolem adeo peculiarem, et personis temporibusque tam perfecte congruentem, etiam in stylo et dictione, exhibent, ut merito vapulet * *Eichhorn*, cum contendat ea ab ipso Luca conficta fuisse.

Admissa autem illa conjectura de documentis scriptis ab hagiographo adhibitis, facile explicatur ratio quare tot hebraismi apud scriptorem græcum peritissimum occurrant : quod enim ab aliis, aut voce, aut scripto, accepit auctor, id fidelissime in opere suo retinuit.

§ 11. *Tempus scriptionis.*

Verisimile est, Lucam, cum Paulum comitaretur, identidem quasdam scripsisse atque collegisse notulas, quibus rerum memoriam accuratius conservaret. Sed quæstio est, quo tempore opus ipsum, quale nunc habemus, digestum absolutumque sit. Certa ab incertis discernamus oportet.

1° Certo novimus, ex ultimo *Actuum* capite, librum editum non fuisse ante annum secundum carceris, quem s. Paulus Romæ subiit, quique incepisse videtur circa a. 61 aut 62 æræ nostræ.

2° Certum etiam nobis videtur, librum post a. 70, quo evenit

clades Hierosolymitana, exaratum non esse. Etenim nulla hujus calamitatis fit mentio, quum tamen parum sit probabile Lucam prætermittere voluisse factum illud ; eo vel magis quod per ejus narrationem ostendisset Christi prædictionem, quam ipse in Evangelio suo (cap. XXI) refert, eventu confirmatam fuisse. Tantum abest ut vel innuatur illa calamitas ut contra sermo ubique fiat de civitate et templo, cultusque Mosaici cæremoniis, quasi adhuc omnia sarta tecta exstarent. Ergo tempus scriptionis inter a. 63 et 70 coarctatur.

3° Difficile est rem propius definire. Attamen conjectura eorum qui opinantur opus editum fuisse circa finem biennii quo Paulus Romæ in vinculis mansit, anno 63 vel 64, nobis satis arridet; si enim tardius scripsisset auctor, de liberato Paulo aliquid sane dixisset; certe etiam verba Pauli quibus Ephesinos presbyteros valere jubet, cap. XX, 25, sine quadam annotatione aut animadversione non retulisset : vide infra explicationem hujus versiculi.

Igitur *Actus* composuit haud ita multo post exaratum Evangelium suum, cujus videtur historiam continuare, et pene eodem filo subtexere.

Nonnulli cum Hug censent librum tardius, sc. circa tempus obsidionis Hierosolymitanæ, confectum fuisse, hac innixi ratione, cap. VIII, 26, urbem Gazam dici *devastatam*, quod quidem ea tempestate accidit. Verum alius videtur esse loci istius sensus : nam adj. *deserta* vel *devastata* ad subst. *via*, potius quam ad *Gaza*, refertur. Deinde, si ponamus Lucam scripsisse circa a. 70, mente concipere vix possumus quare ipse ne minimum quid dicat de gloriosa Pauli morte, quæ antea contigerat, nempe priusquam Nero a. 68 morte occubuit.

§ 12. *Locus scriptionis.*

De loco, quo Acta composita fuerint, multum ambigitur, et magis quidem quam de scriptionis tempore. Ceterum loci definitio a quæstione temporis aliquatenus pendet. Si enim admittamus opus editum fuisse antequam Pauli vincula Romana soluta essent : quum Lucas testetur (Act. Ap. XXVIII, 16) se cum Apostolo Romam venisse, valde probabilis erit s. Hieronymi conjectura (*De viris illustr.* c. 7), qui censet Romæ exaratam fuisse Actorum

historiam. Obiter nota eumdem Doctorem in *præf. in Matth.* aliam proposuisse conjecturam, quæ viris eruditis minus probatur.

§ 13. *De Theophilo, ad quem scripsit Lucas.*

Theophilus idem est in cujus gratiam s. Lucas jam suum scripserat Evangelium. Confer igitur Prolegomena ad Evang. s. Lucæ.

Nobis omnio persuasum est, Theophilum esse nomen proprium personæ, non vero nomen appellativum quo christianus quivis Θεῳ φιλος, *Deo carus*, significetur. Virum autem illum fuisse ethnico-christianum, facile credamus.

Jam vero, ut Theophilus omnia historicæ narrationis adjuncta rite intelligat, s. Lucas in *Actibus*, quemadmodum in Evangelio, multas hic illicque addit explicationes, præsertim geographicas, quamdiu loquitur de regionibus quæ ad Italiam non pertinent. Ponamus aliquot exempla : Act. I, 12 situm montis Oliveti, ejusque ab urbe Hierosolyma distantiam, et pariter cap. XVI, 12 situm Philipporum definit ; cap. XVII, 21 peculiarem Atheniensium indicat indolem ; cap. XXVII, 8, 12 varia loca rursus nota facit. Sed a cap. XXVIII, 12, ubi semel ad terram Italicam, nempe ad Siciliam, advenit, scribendi rationem mutat, quum sciat Theophilo probe cognitam esse regionem ; quare loca simpliciter nominat : Syracusas, Rhegium, Puteolos, etiam si parvula sint atque obscuræ famæ, ut Apii Forum et Tres Tabernæ. Eodem modo procedit in factis exponendis : quæ enim extra Italiam a Paulo gesta sunt fuse pertractat ; sed statim ac Romam pervenit, librum absolvit, quamvis maximi sint momenti quæ in illa urbe, orbis capite, evenerint.

Hinc 1° confirmatur, quod supra diximus, § 4, finem auctoris proximum fuisse, ut ea narraret quæ Theophilus scire cuperet, aut quæ ei utiliora essent ; non vero ut æquales suos omnes, multo minus futuros christianos, de Ecclesiæ fundatione ac prima ejus propagatione plene institueret. Hac occasione generalem addere liceat observationem : sacris novi Testamenti scriptoribus mentem haudquaquam fuisse ut christianis traderent notitiam completam illorum omnium quæ credere et utiliter nosse debeant (quo posito, argumentum pro traditione firmissimum contra Protestantes hic habemus). Apostolis enim mandatum erat ut fidem

viva voce prædicarent, non ut universam doctrinæ sacræ materiam scripto consignarent. Hæc in Tract. dogmatico de Ecclesia uberius explicantur.

Hinc 2° concludimus, veri admodum simile esse Theophilum in Italia, et Romæ quidem, habitasse.

§ 14. *De lingua, scribendi indole, literariisque elegantiis.*

Græce scripsit Lucas, doctus ceteroquin Hellenista. Ita censent omnes critici alicujus nominis, præter Harduinem, qui (in *Præf. ad Paraphr.*) singulariter tenet latinum sermonem fuisse adhibitum. Præterea textus græcus scripturæ primigeniæ indolem manifesto prodit, nullumque versionis vestigium usquam exhibet.

Quod autem ad ipsam scribendi rationem attinet, præmittimus, tamquam verum et aliunde demonstratum, in divinis Literis non ipsa *verba* a Spiritu sancto esse inspirata, neque scribendi modum eidem tribuendum esse, sed auctorem sacrum suo ductum fuisse ingenio ; adeo quidem ut sub inspiratione divina stylum sibi proprium atque suam loquendi rationem naturalem servaverit.

Jam vero, dicendi genus a Luca usitatum plenius perfectiusque quam ceterorum novi Testamenti scriptorum ingenio linguæ græcæ est accommodatum. Imo, observat * *Schottius, Isagoge in N. T.*, orationem Lucæ græcam in Actibus expolitiorem esse quam in Evangelio, et in parte Actuum posteriore elegantiorem quam in priore : cui quidem rei auctoris exercitatio in scribendo nonnihil conferre potuit. Hebraismi tamen seu aramaismi in Actuum libro, maxime in parte priore, sat frequenter reperiuntur; et isti idiotismi non tantum in sermonibus Petri et Stephani, sed etiam in ipsa rerum gestarum narratione obvii sunt. Illud autem inde ortum esse videtur, quod Lucas quædam documenta, sermone syro-chaldaico conscripta, sæpius tamen in prioribus libri capitibus quam in ceteris, adhibuerit. Vide supra § 10 *de fontibus* etc. Nihilominus, quod probe animadvertendum est, loca veteris Testamenti *semper* secundum versionem Alexandrinam (non secundum textum hebræum), modo strictius et totidem quasi verbis, modo liberius et ad sensum tantum, adduxit. Usus quippe documentorum ipsum non impedivit quominus rationem dicendi et citandi sibi propriam pro libitu suo sequeretur : igitur notulis, quas habuit præ manibus, satis libere usus est.

Exemplum sit cap. XV, 16 sqq., ubi in oratione s. Jacobi locus ex Amos propheta inseritur, atque refertur eo modo quo in versione 70 Interpretum legitur (aliquantum diverso a textu hebræo), quum tamen veri admodum simile sit ipsissima verba hebræa a Jacobo usurpata fuisse : Lucas ideo forsitan versioni græcæ inhæsit, quod cuperet ut citatio illa ceteris esset consentanea.

Brevitatis in primis studiosum ubique sese ostendit Actuum auctor, frequenter ea omittens, quæ ex reliqua narratione et ex aliis locis suppleri facile possunt; v. gr. cap. VIII, 37. Haud raro ab oratione obliqua ad rectam transit, ut I, 4 ; XVII, 3 ; XXIII, 22 in gr. etc. ; et pronomine relativo sæpe utitur in casu quem *attractionis* vocant, hoc est in casu nominis præcedentis, loco casus nominis sequentis, v. gr. I, 1, et passim.

Quamquam in divinis eloquiis veritas doctrinæ morumque sanctitas, magis quam verborum eloquentia et venustas sermonis, quærendæ sunt : benigne tamen voluit et statuit Providentia ut hic illicque dictionis flores cum fructibus sanctæ eruditionis miscerentur ; unde animus lectoris pii delectetur, simul ac virtutibus exornetur.

Atque ideo ingratum non erit quædam notasse de meritis literariis Actuum libri. Ante omnia nominandæ sunt duæ orationes pulcherrimæ, quarum unam Athenis coram gentilibus philosophis, alteram vero Mileti coram episcopis et presbyteris, habuit s. Paulus : in priore elegantiam styli præsertim sententiarumque sublimitatem, in posteriore autem suavissimos tenerrimosque cordis affectus miramur. Magna etiam oratoris industria resplendet in verbis, quæ fecit idem Apostolus ad sui defensionem, coram Felice et coram Agrippa. Variæ passim leguntur narrationes et descriptiones valde conspicuæ, inter quas eminet historia laboriosæ navigationis ad urbem Romam, cap. XXVII. Totus liber magnam exhibet scribendi facilitatem, dictionum accurationem, sobrietatem leporemque sermonis : omnia etiam et singula, quæ in eo leguntur, personarum, locorum, temporum rerumque adjunctis apte sunt accommodata. Sic, verbi gratia, dicendi ratio, qua Petrus utitur, si cum Pauli facundia comparetur, longe diversa videbitur ; et merito quidem, quum ille Hebræus esset patria et sermone, hic vero, in Asia-Minore natus,

græcam linguam pulchre calleret. Ipsius quidem Pauli varius est loquendi modus, prout coram Judæis vel coram gentilibus sermonem habet : ex. gr. cap. XIII, 16, longo utitur circuitu ut ad argumentum suum perveniat ; qualem sane extra synagogam non adhibuisset. Contra, in oratione ad Athenienses, præter majorem styli puritatem, servatur quædam brevitas Attica, qua singula verba suum obtinent finem. Porro Stephanus, non tamquam orator bene accinctus concionatur, sed potius ratiocinatur, sicut vir doctus, qui thesim eruditione refertam paululum diffuse exponit ; sæpe in digressiones abit, quæ quasi ex nimia doctrinæ scientiæque copia redundant. Cf. annot. cap. VII.

§ 15. *De citationibus e vetere Testamento adductis.*

Supra jam animadvertimus, in Actibus Apostolorum veteris Testamenti sententias e versione Alexandrina, quæ 70 Interpretum dicitur, constanter desumptas esse ; etiam tum quum eorum referuntur verba qui procul dubio textum hebræum secuti sunt, v. gr. in oratione s. Jacobi, cap. XV, 16. Utile nunc ducimus omnia indicare loca in quibus vetus Testamentum commemoratur, simulque notare qua ratione ista se habeant ad fontem hebræum, et ad versionem Alexandrinam.

Interdum ipsamet versio 70 Interpretum totidem verbis adducitur, sc. II, 34 sqq. ; IV, 25 sqq. ; VIII, 32 sqq. ; XIII, 33, 35 ; sæpissime vero libere et ad sensum tantum, seu memoriter ea citatur, sc. I, 20 ; II, 17 sqq. ; 25 sqq.; III, 22, 23, 25; VII, 3, 6 et 7, 32, 42 et 43, 49 et 50 ; XIII, 34, 41, 47; XV, 16 et 17 ; XXVIII, 26 et 27 ; imo vero, fit nonnumquam ut quædam notetur sensus diversitas si textum nostrum hebræum (i. e. editum a Massoretis) inspiciamus, videl. II, 25, 28 ; VII, 42 et 43 ; XIII, 41 ; XV, 16 et 17 etc.

§ 16. *Quam utile sit ad textum græcum recurrere.*

Ut hanc utilitatem demonstrem, tres præmitto veritates alibi probandas :

1° Per declarationem concilii Tridentini de authentia Vulgatæ latinæ, nihil detractum esse auctoritati textus primigenii ; ideoque licitum esse ad illum recurrere.

2° Textum autem *Actuum* primigenium adhuc exstare, et, si quæ menda in eo sint, ea per regulas sanæ critices corrigi; igitur ad fontem accedere non tantum licere, sed etiam fieri posse.

3° Tandem, in Vulgata nostra, quæ alioquin doctissima, et omni veneratione dignissima est, quamque vel ipsi Protestantes sinceri magnopere extollunt (1), reperiri nonnulla loca, quæ, etsi nullus ibi sit perniciosus error in rebus fidei et morum, secundum textum græcum prudenter ab interprete corrigantur, perficiantur, accuratius vertantur, majore cum vi exprimantur atque apertius clariusque exponantur. Ex annotationibus, quæ per decursum commentarii hujus tradentur, facile concludet unusquisque, differentias illas inter utrumque textum, latinum et græcum, plerumque levissimas esse, quum ipsemet verborum sensus, saltem quod rerum substantiam attinet, raro mutetur; nusquam autem eas tanti esse momenti, ut in rebus fidei et morum diversam exhibeant doctrinam. Præcipuæ enim discrepantiæ e lectionibus variantibus codicum manuscriptorum oriuntur; et ex hac parte, ut videbimus, Vulgatæ lectio lectioni textus græci, qui *Receptus* dicitur, sæpe præferenda est. Ceteræ vero differentiæ, vel humanæ interpretis infirmitati, vel vario linguarum ingenio earumque imperfectioni nativæ, adscribendæ sunt: unde fit ut quævis versio, quantumvis optime elaborata, semper tamen a textu primigenio nonnihil deficiat.

Quatuor præsertim sunt utilitatis rationes, quæ in studio ss. Literarum ad scripturam auctoris authenticam constanter recurrere suadent. Eas autem paucis enumerabo, ac singularum exemplum ex *Actibus* desumam. Igitur textum græcum consulere utilissimum est:

1° Ut vocabulorum et dictionum, quæ in Vulgata leguntur, significationes et proprietates melius percipiantur mente, universaque orationis series suis nexibus aptius componatur. Quod ut intelligamus, animadvertendum est, plerumque majorem esse verborum vim et accurationem in scriptura quavis primigenia, quam in versione quantumvis optima; præterea, eam esse linguæ græcæ, qua usus est Lucas, indolem propriam, ut latino sermoni,

(1) Keil, *Einl.* etc. 1859, § 197 aperte fatetur Vulgatam nostram " omnes versiones antiquas et accuratate et fidelitate superare. "

quod sensus fecunditatem copiamque dicendi attinet, per se præstet. Ex. gr. Act. VII, 23 verbum επισκεψασθαι, quod in Vulgata vertitur per *visitaret*, plus significat, et accuratius exprimeretur per *succurreret*. Pariter Act. XI, 19 *Et illi quidem qui dispersi fuerant* etc.: istud *quidem* orationis nexum reddit difficilem; græce est οἱ μεν ουν, *illi ergo qui* etc.; melius ponitur *ergo*, nam resumitur oratio quæ cap. VIII, 40 fuerat abrupta. Iterum Act. I, 13, ὑπερωον (*cubiculum domus superius*) vox significantior est quam *cœnaculum*. Notare quoque juvat, sententiarum ordinem in Vulgata satis frequenter turbari, propterea quod participia aoristi per participia præsentis temporis referantur, ut cap. I, 2 et passim. Adde etiam nonnumquam latine adhiberi vocabulum ambiguum aut improprium, quod græce explicatur : sic cap. V, 3 loco *tentavit* apud s. Lucam habetur επληρωσεν, *implevit*, quod contextæ orationi magis convenit.

2° Ut sciatur num forte in versionem non irrepserit glossema aut lectio mendosa : cf. annot. ad Act. IV, 21.

3° Ut vitia typographica corrigantur : v. gr. Act. II, 23 in editione authentica Vaticana a. 1598 legitur *affligentes*, cui, ut patet ex græco, substitui debet *affigentes*.

4° Tandem ut, contra acatholicorum criminationes, Vulgatæ integritas vindicetur, ejusque mirabilis cum fontibus consonantia, saltem quod rerum substantiam attinet, et in quantum id requiritur ad hoc ut versio dici possit vere fidelis et authentica, talis quæ, generatim loquendo, textum primigenium optime et constanter referat.

§ 17. *Chronologia libri.*

Actus Apostolorum, quemadmodum ceteri historiarum libri, locorum temporumque notionibus ubique illustrentur oportet : geographia enim et chronologia bini historiæ *oculi* merito nuncupantur. Ob eamque causam duplicem tabulam, *chronologicam* nempe et *topographicam*, commentario nostro annectere statuimus. Præterea annorum seriem definire, in iis rerum eventibus quos narrant *Actus*, haud supervacaneum est pro pleniore et faciliore Epistolarum Paulinarum intelligentia. Atque ideo in tabula nostra chronologica tempus indicare, quo scriptæ videntur istæ Epistolæ, haud prætermisimus.

Ante omnia animadvertendum est, facta historica, in hoc libro, secundum temporis ordinem, attamen absque regulari chronologiæ notatione, a Luca exposita fuisse. Sæpe numerantur dies, raro autem anni; deinde indicia chronologica ex historia profana desumpta nonnisi obiter et quasi fortuito reperiuntur.

TABULA CHRONOLOGICA ACTUUM APOSTOLORUM,

IN QUA SIMUL INDICATUR

QUO TEMPORIS ORDINE EPISTOLÆ PAULINÆ SCRIPTÆ VIDEANTUR.

Spatium triginta circiter annorum complectitur liber.

A. 29 vel 30. Ascensio Christi et Pentecoste. Initium Actuum. Eodem anno evenerunt ea quæ Act. III-V leguntur.

A. 34. Stephanus lapidatur, et magna Hierosolymis oritur adversus christianos persecutio : Act. VI-VIII.

A. 35. Conversio s. Pauli (Act. IX, 1 sqq.), circiter quinque annis post Christi mortem.

Paulus Damasco in Arabiam (post dies paucos Act. IX, 19), proficiscitur (Gal. I, 17 coll. annot. in Act. IX, 23), ibique fere tribus annis (diebus multis, Act. IX, 23), mansisse videtur : inde Damascum redit.

A. 38. Pauco tantum tempore in ea civitate manere potuit, et aufugit Hierosolymam, Act. IX, 23, tribus post conversionem annis (Gal. I, 18). Post quindecim autem dies (Gal. I, 18) Tarsum in Ciliciam abit (Gal. I, 21 ; Act. IX, 30 ; coll. XI, 25).

A. 41. A Barnaba Antiochiam ducitur, Act. XI, 25.

A. 42. Secundo post conversionem Hierosolymam ascendit, ab Antiochenis missus, occasione famis : Act. XI, 27-30.

A. 42. Liberatio s. Petri, et mors Herodis Agrippæ, Act. XII.

A. 42. Primum iter Pauli apostolicum : in Cyprum et Asiam-Minorem, Act. XIII.

A. 52. Hierosolymam se confert (tertio post conversionem), ad concilium quod propter quæstionem de Legalibus congregatum fuit, Act. XV, coll. Gal. II, 1.

A. 52. Secundum iter Evangelicum suscipiens, Asiam-Minorem, Macedoniam, Græciam etc., peragrat, Act. XV, 36 sqq.

A. 53. Corinthi per sesquiannum commoratur, Act. XVIII, 1, 11, ibique scribit *epistolam* 1m *ad Thessalonicenses*, et paulo post 2m *ad Thessalonicenses*.

A. 54. Ephesum petit, et inde Cæsaream, imo vero, secundum multorum sententiam, ascendit Hierosolymam (quarto post conversionem), Act. XVIII, 18.

A. 54. Antiochia tertium iter Evangelicum aggreditur : per Galatiam et Phrygiam pervenit Ephesum, Act. XVIII, 23 sq. Tribus annis ibi et in locis vicinis prædicat fidem, quo tempore *epistolam ad Galatas* exarat.

A. 57. Ibi etiam, circa finem triennii illius, edit *epistolam* 1m *ad Corinthios*.

A. 57. Epheso propter Demetrii seditionem relicta, in Macedoniam pergit (Act. XX, 1), ubi Titum, quem epistolæ latorem Corinthum miserat, invenit, et nuntiis ejus incitatus 2m *ad Corinthios epistolam* mittit.

A. 58. A Macedonia Corinthum proficiscitur (Act. XX, 2), qua de urbe *ad Romanos* literas dat.

A. 58. Inde, per Macedoniam, Troadem (Act. cap. XX, 6) et Miletum (XX, 15), quinto petit Hierosolymam (XXI, 15), ibique comprehenditur, et vinctus Cæsaream ducitur (XXIII, 23).

A. 60. Post carceris biennium, tempore autumni Romam mittitur, cap. XXVII, 1.

A. 61. Vere primo eo advenit, cap. XXVIII, 11-16.

Per duos annos in vinculis ibi manet : quo tempore *Actuum* historia absolvitur. In illa autem custodia Romana varias epistolas, sc. *ad Philippenses*, *ad Colossenses*, *ad Ephesios*, *ad Philemonem*, et *ad Hebræos* componit.

Juvat nunc quædam addere de ultimis Pauli annis, quamvis hæc ad Actus Apostolorum proprie non spectent : utile enim est ut universam Apostoli vitam paucis complectamur. Moneo tamen postremam ejus ætatem valde obscuram esse : ea tantum trademus quæ satis verisimilia videntur.

A. 63. Tempore verno liberatus, proficiscitur in Cretam (Tit. I, 5), indeque in Asiam-Minorem : ibi, ut videtur, conficit *epistolam ad Titum*, ac paulo post *epistolam* 1m *ad Timotheum*. Mox transit in Macedoniam, ex

qua nonnulli censent datam fuisse epistolam primam ad Timotheum; iter autem pergit in Græciam et Italiam, imo vero forsitan usque in Hispaniam (1), ubi in vincula conjectus, Romam sub Nerone ducitur. In carcere vero cum s. Petro conjungitur. Ad hanc alteram Pauli in urbe Roma custodiam referri solet epistola 2ª *ad Timotheum;* quæ omnium ultima habetur, ideo præsertim quod auctor mortem sibi imminere significet : *Ego,* inquit, *jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat..... Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi : in reliquo reposita est mihi corona justitiæ* etc. (2 Tim. IV, 6-8).

A. 67, die 29 Junii, post novem menses in carcere Mamertino (ut fert traditio) transactos, anno duodecimo Neronis, eodem tempore quo s. Petrus, ad Aquas Salvias, tria milliaria extra Urbem, gloriosam pro Christo sustinet mortem.

Nota. 1°. Anni, in margine positi, secundum æram Dionysianam, quæ inter christianos vulgaris est, computantur.

2°. Magna inter eruditos est sententiarum diversitas quod spectat ad Actuum chronologiam. Nec mirum : sanctus enim Lucas, quamvis ordinem quemdam historicum servaverit, *Annales* stricte dictos conscribere noluit, atque ideo rei gestæ certum tempus seu annum nusquam posuit, sed passim usus est formulis infinitis *in illis diebus, in illo tempore,* et similibus. Atque hæc sane causa est quare annos in tabula nostra indicatos stricte accipere non possimus, tamquam accuratam temporis notam; successionis ordinem in factis ipsis potius attendamus decet, quippe qui certior est et majoris momenti. De cetero, secutus sum tabulam chronologicam cl. et doct. *Güntner, Introd. in s. libros n. T.* Pragæ 1863. Lectori inutile fortassis non erit hanc tabulam cum illa quam tradit R. P. PATRIZI ad calcem *Comm. in Act. Apost.* comparasse.

§ 18. *Topographica Actuum ratio.*

Huic Actuum commentariolo tabulam annexuimus geographi-

(1) De itinere Paulini in Hispaniam, vide DE VALROGER, *Intr. au nouv. Test.*, ad calcem 2ⁱ vol.

cam, quam proprio studio præparavimus, quamque de industria confici curavimus ad illustrandum hunc librum (1). In ea autem quatuor majora s. Pauli itinera distincte delineata fuerunt.

§ 19. *Peculiaris libri utilitas.*

Generatim affimat s. Chrysostomus *(Hom.* 1 *in Act.)* hunc librum non minus quam ipsa Evangelia utilem esse, quia « Plenus « est, ait, φιλοσοφίᾳ (*scientia* seu *sapientia religiosa*), multa habet « dogmata recte expressa, et miracula plurima ostendit esse « patrata. » Et re quidem vera, inter utilitates varias, quæ ex eo hauriri possunt, tres potissimum indicare licet :

1° Exempla ibi inveniuntur ad dirigendos mores præstantissima, populoque christiano sæpius proponenda ; siquidem notum est omnibus, primis Ecclesiæ temporibus mirabilem quamdam exstitisse perfectionem fidei, pietatis atque charitatis. Nostræ imitationi commendanda sunt ante omnia sequentia : concordia primorum christianorum, cap. IV, 34-37 ; amor Apostolorum studiumque contentum pro Christo mediis in periculis rebusque adversis, cap. V, 40-42 et XIV, 19-21 ; fidelium quoque in simili casu constantia pro fide servanda ac tuenda, cap. VIII, 1, 4 ; opera pietatis ac beneficentiæ quas Dorcas, cap. IX, 39, et Cornelius, cap. X, 4, perficiebant ; diligentia quorumdam magna in audiendo verbo Dei, cap. XX, 7 ; reverentia erga superiores ecclesiasticos, cap. XX, 37, 38 ; sanctæ precationis exemplum, cap. IV, 24-31 ; piæ orationis efficientia, v. gr. in liberato Petro, cap. XII, 3-11, et Paulo, cap. XVI, 25 etc.

2° Mirabilissimum Dei opus, quo fundata firmiterque constituta fuit Ecclesia, ibi intuemur ; inde firmissimum deducimus argumentum, quo religionis nostræ divinitatem atque infallibilem veritatem demonstremus. Triplici autem parte constat illud argumentum historicum, ex *Actibus Apostolorum* desumptum : a/ plurima narrantur miracula in confirmationem doctrinæ christianæ patrata ; et, ut ait s. Chrys., ea quæ Christus in Evangeliis prædixit, hic eventu confirmata videre est. b/. Celerrimam contemplamur et continuam fidei propagationem, non per vim et arma, nec per dolum aut pias fraudes, nec per divitiarum

(1) Tabula ista geographica ante libelli titulum inserta est.

potestatem aut profanæ eloquentiæ persuasionem, sed per solam Christi efficientiam ejusque supernaturalem gratiam : legimus enim Evangelii prædicationem ab hominibus ignotis et rudioribus paractam fuisse, invitis Judæis et gentilibus, regibus et principibus, verbo, obsistentibus illis omnibus, qui humana auxilia præstare poterant. c/ Apostoli et discipuli, antea timidi et ignavi, invicto lætoque animo pericula quævis et mala gravissima, imo vero et carcerem et mortem, leguntur subiisse pro veritate Evangelii tuenda. Quis, cedo, divinam non diceret religionem tot tantisque veritatis et certitudinis indiciis confirmatam ? Quanta igitur utilitatis emolumenta in re dogmatica ex hoc libro oriuntur ! Quæ quidem inde etiam accrescunt, quod nostris temporibus theologi præstantissimi studio historiæ ecclesiasticæ, præsertim primitivæ, multa cum diligentia sese impendant.

3° Plurima etiam in eo recensentur fidei doctrinæque christianæ documenta, necnon et institutiones et monitiones sapientissimæ, quæ præsertim sacerdotibus, Evangelii præconibus, suggerendæ sunt. Exempli causa, videmus viam rationemque docendi, qua apostoli in tradenda religione usi sunt, temporibus, locis et personis plane fuisse accommodatam. Sic e vetere Testamento ratiocinabantur, cum Judæis demonstrarent Jesum Nazarenum esse verum Messiam (cf. orat. Pauli in synag. Pisidiæ, cap. XIII, 16) ; cum autem ethnicos ad Christum convertere vellent, a religione naturali et humana ratione præsertim argumenta petebant, ut ad agnitionem unius veri Dei eos primum perducerent (cf. orat. Pauli Pauli ad Athenieus. cap. XVII, 22). Deinde, sicut notat s. CHRYS. (*Hom.* 1 *in Act.*), sublimiora fidei dogmata, v. gr. Christi divinitatem, non statim auditoribus tradebant, sed illos a minoribus ad majora sensim extollebant, et sese ipsis multum attemperabant.

Atque illæ quidem rationes sunt, præter alias plurimas, quas silentio premimus, quæ sacerdotes omnes incitare debent ut libenter et magna animi contentione studio Actuum se tradant.

§ 20. *Præcipui Actuum codices græci manuscripti.*

Quum identidem in commentario, ubi de vera lectione disputatur, antiqui codices textus græci et versiones vetustissimæ testes invocentur ; quumque etiam aliquando mentio fiat de certis editionibus ejusdem textus græci : utile duxi, in hoc

introductionis paragrapho et in duobus sequentibus, codices, versiones et editiones, quæ majoris pretii habentur, indicare paululumque describere.

Codices antiquissimi, in quibus textus græcus Actuum Apostolorum completus vel incompletus legitur, sunt sequentes :

I. Codices unciales (1) ante stichometriam (2) scripti.

1° *Codex A*, seu *Alexandrinus*, qui in museo Britannico asservatur, nullos habet accentus aut spiritus; scriptura autem est continua (adeo ut verba nullo spatio a se invicem separentur), paucis locis exceptis, sed in parvas pericopas divisa per punctum in apice ultimæ literæ adjectum ; longiorum sectionum initium literis majoribus distinguitur. Tribuitur medio seculo V, et in Ægypto, probabiliter Alexandriæ, scriptus est.

2° *Codex B*, seu *Vaticanus*, qui Romæ in bibliotheca Vaticana custoditur, accentibus spiritibusque etiam caret, ejusque scriptura pariter continua est ; nonnisi ad finem majorum sectionum conspicitur spatium ; interpunctio rara et a secunda manu addita. In Ægypto confectus est sicut codex A, et seculo quidem III, vel saltem medio IV. Accuratissime editus est a Card. Maio, ejusque continuatore P. Vercellone, Romæ a. 1855-57.

3° *Codex Aleph*, seu *Sinaiticus*, a. 1844-1859 a Tischendorfio in monasterio s. Catharinæ ad montem Sinai detectus, et a. 1863 Lipsiæ typis impressus fidelissime. Scriptura continua est et elegantissima, in sectiones versibus nostris similes, plerumque autem iis majores, divisa ; interpunctio rara ; in novo Testamento aliquando adsunt spatia, jam majora, jam minora, imo duplex punctum nonnumquam adhibetur. Ætatem cum Vaticano parem habet, secundum multorum sententiam. Ad familiam codicum Alexandrinam (3), quemadmodum duo præcedentes, pertinet. Attamen Actus Apost. post epistolas Paulinas et ante epistolas Catholicas positi sunt, dum codices Vaticanus, Alexandrinus et

(1) *Unciales* vocantur codices, quorum literæ formam habent quadratam, et rectam aut rotundam, omnique nexu inter se invicem carent. Auctores solent illos codices per literas alphabeti majusculas A B C etc. designare.

(2) *Stichometria* appellatur illa scribendi ratio, qua singulæ lineæ nonnisi tot continent vocabula, quot uno halitu legenda sunt.

(3) Codices in duas distingui familias, infra dicemus.

alii librum illum Evangeliis adjungant. Codex posteriore ætate a pluribus, saltem a septem, vicissim correctus fuit.

Codices autem Vaticanus et Sinaiticus, qui ambo ex eodem promanaverunt fonte, quique sibi mutuo fidem faciunt, et se invicem complent, summi pretii sunt. Imprimis enim testantur, tempore quo primigenium eorum exemplar, quod librarius coram oculis habebat, scriptum fuit (seculo III vel plane II), libros nostros novi Test. omnes et integros jam exstitisse; hinc vana esse dubia, quæ recentissima ætate de eorum authentia atque integritate sceptici ac rationalistæ moverunt. Uterque etiam codex præstantiam Vulgatæ nostræ demonstrat ; atque adeo versio illa eo clarius elucet, quo plura antiquitatis monumenta deteguntur et accuratius perlustrantur.

4° *Codex C, Parisinus* vel *regius*, in bibliotheca publica Parisiensi asservatus. Vocatur etiam *Ephræmi Syri rescriptus* seu *palimpsestus*, quia sub opusculis s. Ephræmi latebat (1). Scriptura est continua, accentibus spiritibusque carens, sed interpunctionibus distincta, videl. per punctum diverso modo positum, cui serior manus crucem plerisque in locis superne addidit. Sectiones, versibus nostris et partitioni codicis A similes, majoribus literis inchoantur. Multa desunt in codice C, adeo quidem ut nonnisi fragmenta Actuum habeantur. Ante medium seculum V in Ægypto scriptus videtur; deinde uno fere seculo post (in Palæstina ?) correctus (correctio citatur hoc signo C**, quod significat *codicem C secunda manu*) ; iterum vero correctus Constantinopoli seculo fere nono (C***). Peculiare quid in hoc codice, quemadmodum in codice D, de quo statim loquemur, reperitur : nimirum in Actus Apostolorum multa irrepsisse additamenta seu glossemata, de quibus fuse disputavit *Kuinöl* (auct. Protest.) *in Act. Ap.* § 2.

II. Codices unciales stichometrici.

1° *Codex D, Cantabrigiensis*, græco-latinus (ad latus textus græci posita est versio latina antehieronymiana). Scriptura est

(1) Textus novi Testamenti, ob obsoletam scripturæ formam, abluendo vel radendo deletus olim fuerat, et s. Ephræmi opera superscripta fuerant : vetustior autem scriptura membranæ alte infixa serius emicuit, et subsidiis chemicis fuit restituta.

continua, et in utroque textu stichometrica, absque accentibus et spiritibus; interpunctio rarissima. Insignem habet cum codice Vaticano consensionem. In textu tamen Actuum lectiones singulares, et additamenta seu glossemata, frequenter occurrunt. Adsunt correctiones a secunda manu factæ. In Actibus pericopæ ecclesiasticæ secunda manu notatæ sunt. Literæ græcæ latinum produnt librarium. Scriptus videtur seculo VI in Gallia meridionali, adhibito exemplari valde antiquo, quod ad familiam Alexandrinam, quemadmodum quatuor codices præcedentes, pertinet. Porro mutilus est pluribus in locis.

2° *Codex E, Laudianus* (a Laudio, olim possessore), græcolatinus, stichometrice scriptus, seculo VI exeunte. Lectiones habet peculiares et generatim optimas. Una est lacuna Act. Ap. XXVI, 29 — XXVIII, 26.

3° *Codex* F^{a}, *Coislinianus,* seculi VII, cujus nonnisi septem versus Actuum supersunt.

4° *Codex* G-L, *Angelicus* (ex bibliotheca Angelica Romæ). Incipit Act. VIII, 10. Non ante medium sec. IX scriptus.

5° *Codex H, Mutinensis,* seculi IX, cum plurimis lacunis, quas supplevit secunda manus seculo XI, et tertia manus seculo XV vel XVI.

6° *Codex I,* bibl. imp. Petropolitanæ, fragmenta pauca, seculi V et VII, tantum habet.

Codices illos unciales sequuntur magno numero (200 Act. Ap.) codices minusculi, qui literis *cursivis* scripti sunt, a seculo IX usque ad artis typographicæ usum, seculo XVI. Hi autem per notas arithmeticas 1, 2, 3, etc. designantur.

Merito etiam consuluntur *lectionaria,* quæ lectiones Actuum et Epistolarum, ad usum ecclesiasticum ex continuo textu desumptas, continent ; supersunt pauca literis uncialibus scripta, plurima vero literis minusculis.

§ 21. *De versionibus antiquis.*

Ante omnia observandum, versionum antiquarum usum maximi esse momenti in studio s. Scripturæ : 1° ut sensum rectum et intelligentiam verborum sacrorum assequamur *(usus exegeticus)* ; 2° ut lectiones veras a falsis secernamus, ac textus sacri integri-

tatem propugnemus *(usus criticus)*. Et re quidem vera, veteres interpretes testes sunt gravissimi, a quibus comperimus quomodo ab antiquissimis temporibus in singulis ecclesiis, tum orientalibus, quum occidentalibus, lecta et intellecta fuerint divina Eloquia; atque eorum auctoritas hac in re eo major dicenda est, quod versiones illæ, ad usus ecclesiasticos confectæ, ab ecclesiarum superioribus approbatæ essent et quasi *canonizatæ*, adeo quidem ut textui primigenio fere æquipararentur, neminique liceret privata auctoritate quidpiam in eis mutare.

Ceteris paribus, majore gaudent auctoritate et pretio versiones 1° *antiquiores* et 2° *immediatæ* (quæ ad ipsum textum græcum elaboratæ fuerunt). Inter omnes vero latina vetus seu *Itala*, et *Vulgata* tantæ sunt præstantiæ, ut nulli alii sint posthabendæ. Præterea, generatim dici potest, inter versiones orientales, Ægyptiacas et Syriacas, inter occidentales vero, Latinas et Gothicam, ceteris præferendas esse.

Præcipuas nunc recensebimus versiones antiquas N. T.

I. Versiones occidentales.

1° *Versio Itala vetus*, seu *latina ante-Hieronymiana*, seculo II in Africa Proconsulari, ut videtur, confecta; cujus quidem haud pauci codices raræ vetustatis ad nos pervenerunt. Hi codices citantur per literas alphabeti minusculas, v. gr. d designat codicem *Cantabrigiensem* Evangeliorum et Actuum, seculo VI exaratum.

2° *Vulgata*, quæ Romæ, a. 383, a s. Hieronymo edita fuit. Hic autem s. Doctor novam versionem non dedit, sed Veterem Italam correxit ex textu græco, secundum optimos codices. Cujus quidem operis Hieronymiani plurimi exstant codices antiquissimi, v. gr. *Amiatinus* et *Fuldensis* seculi VI etc. Authenticam autem Vulgatæ editionem dedit Clemens VIII a. 1592, 1593 et 1598, a qua sæpe differt, in rebus minoris momenti, editio Sixti V a. 1590.

Gothicam versionem hic adducere non oportet, propterea quod nihil de Actibus superest.

Slavonica, seculi IX.

II. Versiones orientales.

1° *Syriacæ* : a/ *Peschito* (i. e. *simplex*), quæ seculo II facta existimatur, magnamque habet auctoritatem. Verum, probe notandum est, duos exstare textus satis diversos versionis illius Peschito, nimirum textum vulgarem, et textum a Cureton nuper editum. Textus vulgaris, qui sæpe liberior in vertendo est, tamquam primitiva versio Syriaca habitus fuit, usquedum, a. 1858, Cureton Londini edidit fragmenta Evangeliorum syriace; quæ quidem fragmenta ad versionem Peschito vetustiorem pertinere videntur. Cf. *Rev. Cath.* 1858. *De Valroger,Introd. au n. T.* 1861, t. 1, p. 449.

b/ *Syriaca Philoxeniana* vel *posterior*, quam episcopus quidam Monophysita *Philoxenus* seu *Xenaia* a. 508 conficiendam curavit, quæque literaliter et serviliter textum græcum refert. Hujus autem versionis recognitio facta est a Thoma Charklensi seu Heracleensi (ex Heraclea in Palæstina).

2° *Versiones Ægyptiacæ* seu *Copticæ*. Tres sunt linguæ copticæ dialecti, in quibus translatio s. Scripturæ facta est, ad finem seculi III, ut videtur, scilicet :

a/ *Coptica* (stricte dicta), sive *Memphitica*, in dialecto Ægypti inferioris.

b/ *Sahidica* sive *Thebaidica*, in dialecto Ægypti superioris. Nonnisi fragmenta supersunt.

c/ *Basmurica* seu *Ammoniaca*, quæ, quum nihil de Actibus habeat, ad hanc introd. in Act. Ap. non pertinet.

3° *Versio Æthiopica*, facta seculo IV (secundum aliorum conjecturam nonnisi seculo VI vel VII), ex textu græco, ut videtur, adhibita tamen versione *arabica*. Lacunas habet in *Actibus*.

4° *Versiones Arabicæ* plures sunt, sed nulla totius novi Testamenti versio publicam auctoritatem obtinuisse videtur. Ea, quæ in polyglottis Parisiensibus et Londinensibus edita est, circa Mahumedis tempora probabiliter elaborata fuit. Liber *Actuum* Apostolorum e Syriaca Peschito originem habuit.

5° *Versio Armeniaca*, seculi V, facta est ex codicibus græcis Epheso et Alexandria allatis. Seculo XIII, quando Armeni ad unionem cum Latinis reversi sunt, versionem eorum ad exemplaria latina Vulgatæ mutatam fuisse nonnulli contendunt.

6° *Versio Georgica* seu *Iberica*, seculi VI, ex græcis codicibus. Sed textus editus auctoritate magna non gaudet.

§ 22. *Editiones præcipuæ textus græci.*

Quum in re critica, ad commendandam hanc vel illam lectionem, principales textus græci editiones sæpe citentur : oportet, post datam codicum versionumque notitiam brevem, quædam addere de præcipuis editionibus græcis, earumque auctore, præstantia et utilitate. Verum, ne longius extra limites progrediatur hæc introductio, de ea tantum editione quæ *Textus Receptus* vocatur loquemur, et parce quidem, in hunc præsertim finem ut ejus fontes vimque criticam cognoscamus.

Textus Receptus, nomine injuste usurpato, dicitur ille qui in editionibus Elzevirorum invenitur, quique primum prodiit Lugduni Batavorum *(Leyden)* a. 1624. Exemplaria autem hujus editionis ob elegantiam typi et formæ commoditatem celerrime propagata sunt, adeo quidem ut textus ille, ab eo tempore usque ad a. 1735 sæpe recusus, longe lateque diffusus fuerit, et vulgo *receptus* appellatus sit. Hanc autem speciosam denominationem ei immerito tradi, docent eruditi hodierni omnes : textus dicendus est *non recipiendus*, potius quam *receptus*. Magna enim auctoritate non pollet : siquidem nihil aliud nobis exhibet quam Roberti Stephani editionem tertiam Parisiis a. 1550, cum nonnullis mutationibus (Tischendorfius notat 150) ex editionibus Bezæ desumptis. Illæ autem Bezæ mutationes ex Bibliis Complutensibus et quibusdam manuscriptis oriuntur. Robertus vero Stephanus in editione tertia secutus est Erasmi quintam, Complutensi nonnullisque codicibus collatis. Nunc autem, Erasmus in editione quinta a. 1535 suos codices et exemplar Complutense adhibuit : sed codices ejus pauci fuere et recentiores, atque ad familiam Constantinopolitanam pertinebant omnes. Tandem editio Complutensis (ex *Alcala de Hénarès* in Hispania), in Bibliis polyglottis a. 1520 inserta, elaborata fuit ad codices quosdam, qui non nominantur, quique potius cum recentioribus (a seculo XI usque ad XIII), quam cum antiquissimis, consentiebant ; præterea, ad familiam Constantinopolitanam spectabant etiam omnes (1).

(1) Duæ codicum græcorum familiæ in studio critico s. Scripturæ distinguuntur : 1ª *Alexandrino-occidentalis* (vel *Africana*) eos complectitur codices

Ut autem plenius intelligantur quæ statim dicta sunt, oportet causam notare ob quam primæ textus græci editiones e manuscriptis familiæ Constantinopolitanæ promanaverint. Postquam a. 1453 Turcæ Constantinopolim occuparunt, Græcorum multi cum codicibus suis in Occidentem fugerunt, ubi eodem fere tempore studia classica reviviscebant ; et, dum antiquiora Ægypti exemplaria (quæ familiam Alexandrinam constituunt) in bibliothecis delitescerent, per diuturnum temporis spatium fere soli codices recentiores e familia Constantinopolitana viris eruditis innotuerunt.

Jam vero, nostris diebus omnes viri docti fatentur codices familiæ Constantinopolitanæ, quod et auctoritatem et accuritatem attinet, generatim esse minoris pretii quam codices familiæ Alexandrinæ seu Africanæ : hi enim et puriores sunt et antiquiores, ut *Griesbach, *Lachmann et *Tischendorf diligenter demonstrarunt. Ex his autem codicibus melioribus confecta est vetus Itala et Vulgata nostra Hieronymiana.

Quæ quidem omnia si recte perspiciantur, mirum nemini videbitur, in multis novi Testamenti locis lectiones Vulgatæ nostræ editionibus textus græci *Recepti* præferendas esse.

Sed hæc hactenus : post tot et tantos *Introductionis* sermones, ad explicandam s. Lucæ narrationem festinemus oportet.

qui in Ægypto, præcipue Alexandriæ, exarati sunt, et per Africam et Italiam primum divulgati fuerunt. Altera autem familia *Constantinopolitano-orientalis* est, ad quam spectant manuscripta quæ in Asia, Græcia et insulis finitimis fuerunt exarata.

PARS PRIOR:

ECCLESIA FUNDATUR, ATQUE OPERA PRÆSERTIM S. PETRI PER JUDÆAM PROPAGATUR (CAP. I-XII).

§ 1. *Præparatur Ecclesiæ fundatio,* CAP. I.

Antequam Ecclesia per adventum Spiritus sancti fundari posset, necesse erat ut Christus in cœlum ascenderet, et numerus apostolorum compleretur. Igitur duæ sunt hujus paragraphi particulæ.

I. CHRISTUS IN CŒLUM ASCENDIT : I, 1-14.

Summarium. Prologus (1-2). Christus, ad vitam reversus, apostolis frequenter videndum se præbet (3), eisque sanctum promittit Spiritum (4-8) ; tandem in cœlum ascendit (9-11). Apostoli autem, aliique disci2puli in cœnaculo congregati, ad Spiritus divini adventum per continua piæ precationis officia se præparant (12-14).

VULGATA.

1 * Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile,

---

1. PRIMUM QUIDEM SERMONEM : designatur Evangelium Lucæ, quod tertio loco in Bibliis nostris venit. PRIMUM QUIDEM FECI : mente supplendum est *alterum vero nunc incipio.* Particula *quidem* μεν ponitur *solitarie* in priore phraseos membro (seu in *protasi*), quum alterum membrum, quod priori respondeat (seu *apodosin*), in quo sit particula *vero*, non habeat. Cf. *Beelen, Gramm. græc. n. T.* § 64, p. 521. — DE OMNIBUS etc. : quod cum latitudine quadam accipiendum est ; multa enim a Luca fuisse prætermissa, ex Evangelio s. Joannis liquet. — THEOPHILE : vide supra introd. § 13. — QUÆ CŒPIT FACERE. *Cœpit* fere pleonastice ponitur ; significat enim *quæ fecit,* sed simul includit aliquam notionem actus continui ; eodem modo gallice dicimus :



quæ cœpit Jesus facere, et docere, * usque in diem, qua præci- 2
piens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus
est : * quibus et præbuit seipsum vivum post passionem suam in 3
multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens

---

il se mit à faire telle ou telle chose. Ista loquendi ratio in Evangeliis, præsertim apud s. Lucam, sæpenumero occurrit : v. gr. Luc. III, 8 *Ne cœperitis dicere,* quod vix differt a *ne dixeritis,* ut colligitur ex loco parallelo Matth. III, 9, ubi legitur *ne velitis dicere;* et re quidem vera, non reprehenduntur ii qui dicere *incipiunt,* sed prohibetur omnino ne sermo talis habeatur. Cf. etiam Luc. XIII, 25 ; XIV, 29 etc.

FACERE ET DOCERE, ejus verba et opera, seu totam ejus vitam narravi. *Facere:* tria præsertim operum genera intellige : 1° virtutum exempla, 2° miracula, 3° Passionem et mortem. *Docere:* tria etiam sunt præcipua doctrinæ capita : 1° veritates credendæ, 2° morum præcepta, et 3° consilia evangelica. Auctor dicit primum *facere* et dein *docere,* propterea quod nemo utiliter et efficaciter *docere* possit, nisi prius *fecerit* ipsemet quæ aliis sit prædicaturus. Fortior enim est vox operis quam oris: verba quidem movent, sed exempla trahunt.

2. PRÆCIPIENS. Græce participium est aoristi εντειλαμενος : *postquam* apostolis a se electis *præcepta* suæ doctrinæ *dedisset,* vel præceptum (in singulari) illud ultimum quo jussit ut, euntes in mundum universum, docerent omnes gentes (Matth. XXVIII, 19, 20). — PER SPIRITUM SANCTUM, refer, vel *ad præcipiens,* cum s. Chrys. : præceptum docendi omnes gentes apostolis dedit Christus per Spiritum sanctum, cujus nempe plenitudo erat in ipso, et per quem omnia Incarnationis et Redemptionis opera perfecit, ut explicabimus Act. X, 38. Vel, cum vers. Syr. et s. Aug., *per Spiritum sanctum* refertur ad *quos elegit,* adeo ut quædam sit verborum trajectio : *cum mandata dedisset apostolis, quos per Spiritum sanctum elegerat.*

3. IN MULTIS ARGUMENTIS, *per multa argumenta,* puta palpandum se præbendo, vulnera ostendendo, cibum sumendo, etc. — PER DIES QUADRAGINTA : non tot diebus continenter, sed frequenter per illud temporis spatium. — LOQUENS DE REGNO DEI. τα περι της βασιλειας του Θεου, *de iis quæ ad regnum Dei pertinent,* i. e. ad religionem christianam.

Regnum Dei, vel *Christi,* vel *cœlorum,* multiplici sensu in novo Testamento dicitur. Ac 1° quidem, significatur Messiæ adventus, quo nimirum in mundo restitutum fuit veri Dei regnum, i. e. cultus ejus : Marc. I, 15 *Impletum est tempus et appropinquavit regnum Dei,* i. e. jam advenit Messias. 2° Ipsa religio quam Messias nuntiavit, et res omnes quæ ad illam pertinent, verbo, tota novæ legis œconomia; igitur etiam Ecclesia quam Christus in terris fundavit : quo sensu hic sumendum est. 3° Ecclesia in cœlo triumphans, seu vita æterna, beatitudo cœlestis : Act. XIV, 21. Sunt qui ita etiam explicent secundam Orationis Dominicæ petitionem: *Adveniat regnum tuum;* utrum recte, diximus ad Matth. VI, 10 (vide Comm. nostr. 3a ed. 1880-1882).

4 de regno Dei. * Et convescens, præcepit eis ab Jerosolymis ne
discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis
5 (inquit) per os meum : * quia Joannes quidem baptizavit aqua,
vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos
6 dies. * Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicentes :

Tandem 4° regnum terrenum et aspectabile, bellis contra hostes Israeliticæ gentis clarum et insigne, quod Judæi, Christi ætate, a Messia condendum fore exspectabant : quam quidem falsam opinionem ipsi apostoli aliquamdiu tenuerunt, ut colligitur ex Matth. XX, 21 ; Act. I, 6.

4. CONVESCENS. Verbum συναλιζόμενος plerumque significat *congregatus cum illis*, seu *quando cum illis convenerat*, puta, in montem Olivarum (Act. I, 12), die quo in cœlum ascendit. Attamen verbum illud etiam sensu Vulgatæ sumi posse videtur, quasi sit derivatum ab ἅλς *sal*, unde συν-αλίζομαι, *sale uti cum aliis, manducare cum aliis.* Ita s. Chrys., Theophyl., Œcum., et versiones syriaca utraque, copt., sahid. ; præterea notio verbi consueta (*congregatus*) jejunam et verbosam reddit orationem : contra, in sensu Vulgatæ invenitur unum ex illis argumentis, quibus Christus probavit se a mortuis vere surrexisse, cf. v. 3.

NE DISCEDERENT, nec præceptum docendi omnes gentes (de quo v. 2) statim perficerent. " Sicut milites, ait s. Chrys. (in *Catena*), invasuros mul- " tos dux exire non sinit, donec armati sint : sic et Christus discipulos ante " Spiritus adventum ad conflictum egredi non permittit. " — PROMISSIONEM PATRIS : metonymia pro *re a Patre promissa.* Intellige Spiritum sanctum, quem Christus promisit a Patre dandum, Joann. XIV, 16. QUAM AUDISTIS (INQUIT) PER OS MEUM. Vera lectio est : *quam audistis a me.* Quum auctor ab oratione obliqua ad rectam subito transeat, quod haud raro facit s. Lucas, vox *inquit* a librario quodam perspicuitatis causa inserta fuit.

5. BAPTIZABIMINI SPIRITU SANCTO. *Baptizari* (*tingi*) per verborum translationem dicitur de abundanti effusione seu communicatione. Sensus est : *penitus imbuemini Spiritu sancto ;* eum tam copiosa effusione recipietis, ut in ea tamquam in aquis videamini immersi, quasi novo initiati baptismo ; tali nempe qui longe præstantior sit baptismo Joannis. Christus videtur tacite respicere ad ea quæ dixit Joannes Baptista : *Ego quidem aqua baptizo vos : veniet autem fortior me....., ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni* (Luc. III, 16). Et re quidem vera, baptismus Joannis interiorem gratiam per se præstabat nullam, neque erat nisi nudum signum, seu ritus exterior, quo homo profitebatur se novam vitam per pœnitentiam velle inchoare. Igitur ad Baptismi Sacramentum a Christo institutum præparabat, quemadmodum et Christi Baptismus ad recipiendum Spiritum sanctum, in Sacramento Confirmationis, homines disponit. Cf. quæ diximus de baptismo Joannis in *Comm.* nostro *s. Matth.* q. 126 (3ª ed., 1880-1882).

6. SI (*an*) IN TEMPORE HOC, quo Spiritus sanctus, qui *virtus* est *ex alto* (Luc. XXIV, 49), tam copiose nobis donabitur, tanto induti robore tempo-

Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? * Dixit autem 7
eis: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater
posuit in sua potestate: * sed accipietis virtutem supervenientis 8
Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni
Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ. * Et cum hæc 9
dixisset, videntibus illis, elevatus est: et nubes suscepit eum ab
oculis eorum. * Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce 10

---

ralem et gloriosam instaurationem regni Israelitici sperare possimus? Nondum apostoli plane excusserant errorem inter Judæos illius ævi communem, Messiam aliquando in terris regnaturum, cum triumpho et felicitate gentis Judaicæ.

7. Christus eorum curiositatem reprehendit, ac simul indirecte innuit regnum Messiæ esse spirituale, illudque per fidem, non vero per arma, in universum terrarum orbem esse propagandum. NON EST VESTRUM, non spectat ad homines, quicumque sint, NOSSE TEMPORA VEL MOMENTA, *temporum articulos*, in quibus evenire debent res omnes quæ futuris libere contingentibus annumerandæ sunt, quæque a Dei *potestate* et voluntate tantum pendent. Præter istas, sunt res quædam futuræ causis naturalibus et necessariis subjectæ, quarum cognitionem *in* hominum *potestate* plus minusve *posuit* Deus. Opinionem autem falsam, de regno Messiæ terreno, Christus directe et manifesto non corrigit; quia, ante acceptum Spiritum sanctum, apostolorum animi ad plenam veritatis expositionem audiendam satis præparati nondum erant: errorem tamen neutiquam confirmat, sed contra indirecte et tacite removet, in v. 8.

8. Nexus est: non de Messiæ regno, quod a Dei potestate pendet, locutus sum, SED hoc est quod dixi: ACCIPIETIS etc.; et supernaturali robore armati, ERITIS MIHI TESTES: vitam, mortem et resurrectionem meam, necnon universam doctrinam meam prædicabitis, vestroque testimonio confirmabitis; primum IN JERUSALEM, dein IN reliqua JUDÆA ET SAMARIA (*per totam Palæstinam*), tandem ubique locorum USQUE AD ULTIMUM TERRÆ limitem. Igitur Evangelii propagatio per universum orbem verum constituet regnum Messiæ; utique non terrenum, veteribus Israelitici regni limitibus circumscriptum, sed spirituale, atque universale: nimirum regnum fidei per apostolos dilatandum. — Christus duas veræ Ecclesiæ notas tradit, contra quas impingunt omnes hæreticorum sectæ: *catholicitatem* et *apostolicitatem*.

9. SUSCEPIT AB OCULIS: constructio *prægnans* (de qua vide *Beelen, Gramm. græc. n. T.* § 66, III) quæ significat: *nubes suscepit eum, et ab oculis eorum subduxit.*

10. DUO VIRI: duo angeli, qui corpus humanum in specie virili assumpserant, ideoque viris similes erant. * *Kuinöl*, quum sensu proprio intelligere nolit quæcumque de *angelis* dicantur, hic fulmina et tonitrua significari censet, per quæ discipuli crediderunt Deum declarasse quæ ipsi cogitassent cum Christus abiisset. Quam dura et coacta, quam absurda et ridicula hæc sint, nemo non videt.

11 duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, * qui et dixerunt :
Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Jesus, qui
assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis
12 eum euntem in cœlum. * Tunc reversi sunt Jerosolymam a monte,
13 qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, sabbati habens iter. * Et

---

11. QUID STATIS diutius ASPICIENTES IN CŒLUM? Frustra facitis. Jesum amplius videre non potestis ; ASSUMPTUS EST A VOBIS IN CŒLUM. Dicitur *assumptus* (ut Marc. XVI, 19) sensu improprio, quatenus nube vectus fuit ; nam propria virtute, tam divina, quam humana, sc. per dotem agilitatis, se ipse sustulit. Cf. *s. Thom. Summ. theol.* p. 3, q. 57, a. 3. ASSUMPTUS EST A VOBIS, sed mœrore non afficiamini ; idem iterum VENIET de cœlo in fine seculorum, quo modo VIDISTIS EUM ab-EUNTEM in CŒLUM, aspectabili et glorioso corpore humano indutum, ac nubibus vectum.

12. OLIVETUM, *locus olivis consitus.* Mons ille, ex quo Christus in cœlum ascendit (ut in *Comm. s. Matth.* demonstrare conati sumus), urbi imminet ab oriente, ceterosque, qui circa Hierosolymam sunt, montes altitudine superat. — EST JUXTA JERUSALEM, ei vicinus, valle Josaphati et Cedron torrente ab ea separatus. Ampliorem de locis istis notitiam in *Comm.* nostro *s. Matth.* invenietis. — SABBATI HABENS ITER : tanto circiter spatio ab urbe distat, quantum Judæis licebat sabbato perficere citra diei festi violationem Exod. XVI, 29 Israelitæ in deserto prohibentur die sabbati extra castra exire ad colligendum Manna ; dein, ex generalibus præscriptionibus circa sabbatum patet, vetitum fuisse illo die iter proprie dictum instituere : postea vero Judæi, cultu quodam Legis nimis literali compulsi, contenderunt nefas esse ut quis plus quam 2000 cubitorum ultra muros urbis, aut ultra terminos habitationis suæ deambulatum iret ; propterea quod Tabernaculum ab extremo limite castrorum Israeliticorum in deserto duo millia cubitorum distaret. Quod quidem spatium ferme 1100 metris, i. e. leucæ quadranti æquiparatur.

Homilitica commentatio obiter adjecta. Tria sunt facta præcipua quæ in monte Olivarum egisse legitur Jesus : ibi enim flevit super Jerusalem, ex tenerrimo cordis affectu ; ibidem suam inchoavit Passionem ; ac tandem inde gloriosus in cœlum ascendit. Quæ quidem tria si conjungamus, præclaram morum doctrinam colligemus : ex iis enim discemus, ad exemplum Jesu, et *amare*, et *pati*, ut cum ipso *glorificemur.* In his tribus summa quædam vitæ nostræ supernaturalis reperitur, neque illa a se invicem separari possunt ; hæc est enim conditio nostra, ut primum Deum et proximum *amemus*, ut deinde res adversas hujus terræ et labores multos ex amore illo *patiamur*, atque tandem aliquando per sanctum amorem, et per crucis Dominicæ participationem, ad æternam cœli gloriam perveniamus.

13. CUM INTROISSENT, vel *urbem*, vel *domum* quam in urbe occupabant, ASCENDERUNT IN CŒNACULUM, εις το ὑπερωον, *in cubiculum domus superius.* Notum est in Judæorum domibus privatis conclave magnum sub tecto

cum introissent (1) in cœnaculum, ascenderunt ubi manebant Petrus et Joannes, Jacobus et Andreas, Philippus et Thomas, Bartholomæus et Matthæus, Jacobus Alphæi, et Simon Zelotes, et Judas Jacobi. * Hi omnes erant perseverantes unanimiter in 14
oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus.

---

plano plerumque fuisse; quæ quidem ædium pars, quum a strepitu esset remota, iis præsertim actionibus, quæ solitudinem locumque secretum requirebant, destinata erat: v. gr. ad precandum (cf. 4 Reg. IV, 10 in hebr.; ib. XXIII, 11; Tob. III, 10; Act. X, 9; XX, 8), et ad cœnam solemnem habendam (cf. Marc. XIV, 15; Luc. XXII, 12 *in cœnaculo grandi, strato*, Christus epulas celebravit Paschales); ibidem etiam deponi solebant mortui (cf. 3 Reg. XVII, 19; Act. IX, 37, 39), quemadmodum et infirmi etc. — UBI MANEBANT, *manere solebant* per illos dies: græce enim est participium cum verbo finito, quod sæpe indicat actionem continuatam (cf. *Beelen, Gramm. græc. n* T. § 46, 11). Ex. Luc. XXIV, 53 novimus, apostolos sæpe e domo illa exiisse ut in templo Deum precarentur. — PETRUS ET JOANNES etc. Lucas hic alium recensionis ordinem quam in Evangelio suo sequitur; attamen Petro primum locum rursum assignat, quod et Matthæus X, 2 facit. Inde argumentum pro Petri primatu eruitur. — JOANNES ET JACOBUS (dictus *Major*, frater Joannis), Zebedæi filii. — JACOBUS, ALPHÆI filius, qui vocatur *Minor*, frater (consobrinus seu patruelis) Christi Domini, primus Jerosolymorum episcopus. JUDAS JACOBI, per ellipsim peculiaris generis, idem est ac Judas *frater* Jacobi, puta *Minoris*. De 12 apostolis multa diximus in *Comm. s. Matth.*, 3ª ed., p. 452 sq.

14. UNANIMITER, ὁμοθυμαδον, *corde uno, uno animo*. — CUM MULIERIBUS: græce sine articulo, igitur *cum mulieribus quibusdam;* intelliguntur mulieres illæ piæ, Maria Magdalena, Maria Jacobi etc., quæ Jesum, ut ei ministrarent, a Galilæa secutæ fuerant: cf. Matth. XXVII, 55; Luc. VIII, 2, 3; XXIV, 10. — ET MARIA MATRE JESU, i. e. inter quas eminebat Maria mater Jesu. Particula *et* (και) partem excellentiorem, ideo distincte exprimendam, aliquando toto annectit, quo casu valet *præsertim, imprimis* (cf. *Beelen, Gramm.* § 57, 8); sic Marc. XVI, 7 *dicite discipulis ejus et Petro*. — FRATRIBUS EJUS, sc. Jesu. *Fratres* dicuntur sensu latiore, more loquendi Hebræorum, pro *cognati propinquiores*. In Commentario nostro s. Matthæi p. 529-534 (3ª ed. 1880-1882) contra hæreticos et rationalistas demonstrare diligenter conati sumus: Jesu non fuisse fratres proprie dictos seu uterinos, atque ideo Beatæ Mariæ Virgini, Dei matri, nonnisi unicum fuisse filium, Jesum Christum, ipsamque post partum, ut in partu et ante erat, mansisse semper virginem.

---

(1) Virgula, quæ in edit. Vaticana habetur post *cœnaculum*, deberet poni post *introissent*.

II. Electio Matthiæ, v. 15-26.

Summarium. Apostoli, in cœnaculum congregati, dum Spiritum sanctum exspectant, Petro hortante (15-22), Matthiam in locum Judæ proditoris sorte sufficiunt (23-26).

15 * In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat
16 autem turba hominum simul, fere centum viginti) : * Viri fratres,
oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per
os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt
17 Jesum : * qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem

---

15. Fratrum, αδελφων, loco cujus habetur μαθητων, *discipulorum*, in Codd. C***DE, et in vers. syriaca utraque; sed Tischendorf lectionem Vulgatæ, quæ in ABC*, copt., sahid., æthiop. utr., et arm. reperitur, merito præfert. — Erat turba hominum simul (επι το αυτο, in eodem loco, in eodem conclavi) fere centum viginti. **De Wette* rationalista interrogat ubinam essent 500 illi fratres de quibus 1 Cor. XV, 6; atque **Baur* contendit Lucam a vero aberrasse. Respondetur : certum haudquaquam esse apparitionem illam, 500 fratribus factam, prope Hierosolymam contigisse; præterea, etiamsi eam ibi collocemus, quum ante Ascensionem evenisset, multos ex illis, qui forsitan occasione Paschatis in Urbem venerant, jam domum redire potuisse. De cetero, ex eo quod in cœnaculo non adessent die electi Matthiæ, sane non sequitur eos nusquam fuisse.

16. Oportet (gr. *oportebat)* impleri : quo sensu *oportebat?* quia prædictum erat; erat autem prædictum, non *ut* fieret, sed quia erat prævisum fore ut fieret, et libere quidem fieret. Ita explicari debet formula : *Factum est ut adimpleretur prophetia*, v. gr. Matth. I, 22. Res quævis divinitus prædicta eo fine evenit ut prophetia impleatur, et, per hunc effectum, Deus verax agnoscatur. Itaque, postquam res prænuntiata fuit, certo fit, et fieri debet statuto tempore : sed fuit prænuntiata non ut eveniret, sed quia præviderat Deus eam suo tempore a causa libera (si agatur de actibus hominum) perficiendam fore, suamque prævisionem prophetis declaraverat. Cf. Joan. XII, 37-41. Nihil igitur contra hominis libertatem inde concludi potest. — Prædixit Spiritus sanctus per os David : hæc verba clare significant, inspirationem s Scripturæ non esse solam sancti Spiritus *assistentiam* qua omnis error excludatur : cf. annot. nostr. in 2 Tim. III, 16. — De Juda reprobando, deque alio in ejus locum substituendo. S. Petrus respicit loca Psalmorum quæ v. 20 adducit.

17. Qui connumeratus erat. Loco *qui* græce est ὅτι *quia* : redditur ratio quare illud Davidis oraculum in Judam cadat, nimirum : quia ipse locum obtinuerat de cujus amissione loquitur propheta. — Et sortitus est etc. *Et* particula exegetica, quæ explicat verba præcedentia; significat *videlicet, nimirum.* Sortitus est sortem, *ei contigit officium* Vocabulum

ministerii hujus. * Et hic quidem possedit agrum de mercede ini- 18
quitatis, et suspensus crepuit medius: et diffusa sunt omnia viscera
ejus. * Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita 19
ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc est, ager
sanguinis. * Scriptum est enim in libro Psalmorum : Fiat commo- 20

---

sors, κληρος, sign. partem quam aliquis per sortem obtinet; inde generatim *partem, munus, officium;* innuit etiam munus illud *gratuito* et *divinitus* traditum fuisse.

18. In versibus 18 et 19 parenthesis est historica, qua s. Lucas, quum Theophilum Judæ exitum in Evangelio non docuisset, id nunc data opportunitate facit. **De Wette* verba illa Lucæ tribuenda esse negat, in hunc finem ut Actuum auctorem reprehendat quasi Petri orationem inepte reddidisset, quum fieri nequeat ut Petrus linguam suam vocaverit (v. 19) *propriam ipsorum linguam.* Verum iste Rationalista falso nititur fundamento, nimirum per particulas *μεν ουν* (initio v. 18) sequentia cum præcedentibus arcte connecti; connexio quidem admittenda est, sed talis ut simul fiat transitio ad parenthesim historicam. — POSSEDIT (*εκτησατο, sibi acquisivit*) AGRUM DE MERCEDE etc. Catachresis, pro *ager emptus fuit illi,* i. e. *ejus pecunia;* quæ quidem pecunia *merces* erat *iniquitatis ejus,* siquidem eam in mercedem impiæ proditionis acceperat.

SUSPENSUS CREPUIT MEDIUS. Loco *suspensus* græce habetur *πρηνης γενομενος, pronus factus,* seu *quum præceps in terram cecidisset,* puta, rupto fune quo, ut narrat Matthæus XXVII, 5, se suspenderat; vi autem lapsus illius *crepuit medius,* ideo certe quod e loco edito vel e rupe lapsus fuerit. Hac explicatione conciliari possunt narrationes Lucæ et Matthæi. Aliam præterea interpretationem, et forte meliorem, in *Comm.* nostro *s. Matthæi* (3ª ed. p. 1084 sq.) dedimus. Verumtamen animadvertimus, etiamsi conjecturæ istæ cuiquam minus arrideant, haudquaquam ei licitum esse affirmare scriptores sacros inter se pugnare, adeoque apud alterutrum falsum quid reperiri. Tot enim tantaque sunt argumenta exteriora et interiora, quibus et veracitas utriusque et divina inspiratio demonstrentur, ut, quamvis in casu quodam particulari certam conciliationis rationem non inveniremus, fas non esset inde concludere eorum narrationes contrarias esse : oporteret potius nostram fateri ignorantiam, ex inopia documentorum veterum, quæ omnes rei gestæ rationes adjunctas referant, exortam (contra **De Wette*).

19. ET NOTUM FACTUM EST, sc. agrum illum emptum fuisse pecunia quam Judas tamquam pretium proditionis acceperat. — ITA UT APPELLARETUR LINGUA EORUM (*τῃ ιδιᾳ διαλεκτῳ αυτων, lingua ipsis propria*) HACELDAMA. Illa autem lingua, id temporis in Palæstina vulgaris, erat dialectus quædam linguæ hebrææ, quæ *Aramæo-Palæstinensis,* vel, secundum alios, *Syro-Chaldæa* vocatur, quæque ad linguam Syriacam multum accedit. Vide Dissertationem nostram in *Comm. s. Matthæi,* 3ª ed. p. 1504 sq.

20. Resumitur Petri oratio. FIAT COMMORATIO EORUM DESERTA : loco *eorum*

ratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea: et episcopatum
21 ejus accipiat alter. * Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt
congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Do-
22 minus Jesus, * incipiens a baptismate Joannis, usque in diem,
qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum

---

(αυτων) legendum est *ejus αυτου*, ut testantur codices antiqui. In Psalmo autem LXVIII, 26, cujus verba recitantur, ita habetur : *Fiat habitatio eorum* (adversariorum meorum) *deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.* S. Petrus igitur numerum pluralem *eorum* mutavit in singularem *ejus*, ut id quod David de suis inimicis cecinit, ad Judam proditorem referret. Quod quidem fecit, non sensu *accommodatitio* tantum, sed sensu vere *mystico* seu *typico*, ut statim dicemus. Antea interpretationem verborum tradere oportet. Hunc in finem in memoriam revocamus locum esse ex libro poetico desumptum, ideoque membrorum parallelismum rhythmumque poeticum probe observandum esse. Quod autem attinet ad conjunctivum *fiat*, vel loco futuri ponitur, adeo ut sit prædictio quædam, vel exsecrationem denotat, quæ non ex odio vel ultionis cupiditate, sed ex amore justitiæ, oritur ; sicut Act. VIII, 20. Propheta enim sensu literali loquitur de Israëlitis seditiosis ac contumacibus ; sensu vero typico, David, qui figura erat Christi, vaticinatur de Judæis, Christi adversariis, quos inter imprimis numerandus est Judas, *qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum* (supra v. 16) ; eorumque pœnas prædicit. Illud autem oraculum, ad Judæos quod attinet, in clade Jerosolymitana eventu confirmatum fuit ; ad Judam vero quod spectat, ad quem s. Petrus ista verba nominatim accommodat, suum obtinuit effectum in morte quam proditor subiit, et qua domum suam inhabitatam reliquit.

ET EPISCOPATUM etc. Post *et* oporteret ponere duplex punctum, hoc sensu : *et (iterum scriptum est,* nempe in Ps. CVIII, 8) : *Episcopatum ejus accipiat alter.* Vox *episcopatus* non stricte sumitur, de ordine episcopali proprie dicto, namque apostoli nonnisi post Christi resurrectionem ordinem illum complete acceperunt. Igitur *episcopatus* sign. *præfecturam* seu *ministerium.* Davidis autem verba secundum literam dicuntur de Doeg, qui, sub Saule, regiis gregibus erat præpositus : typice vero respiciunt Judam, aliumque in ejus locum assumendum esse vaticinantur.

21. ERGO, ut oraculum illud eventu confirmetur, OPORTET etc. Syntaxis verborum est : *oportet unum ex his viris, qui nobiscum congregati sunt....., fieri nobiscum testem resurrectionis Domini.* CONGREGATI, συνελθοντων ἡμιν, *qui nobiscum conversati sunt.* INTRAVIT ET EXIVIT : hæc dictio, per hebraismum, universam vitæ agendique rationem designat, cf. Ps. CXX, 8.

22. INCIPIENS, sc. Jesus, ab eo tempore quo Joannes baptizabat, USQUE IN DIEM Ascensionis ; igitur talis qui Jesum prius mortuum deindeque ad vitam revocatum viderit, atque adeo qui certum testimonium de Christi resurrectione aliisque nostræ religionis factis ferre possit ; verbo vir qui

fieri unum ex istis. * Et statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur 23
Barsabas, qui cognominatus est Justus, et Matthiam. * Et orantes 24
dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem
elegeris ex his duobus unum, * accipere locum ministerii hujus, 25
et apostolatus, de quo prævaricatus est Judas ut abiret in locum
suum. * Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Matthiam, et 26
annumeratus est cum undecim Apostolis.

---

aptus sit illa omnia legitime et efficienter prædicare; quod quidem requirebatur ut quis essset apostolus verus et stricte dictus.

23. Annuerunt omnes Petro, et duo candidati fuerunt propositi : unus *Joseph*, qui patronymico nomine vocabatur *Barsabbas (filius Sabbæ*, vel *Sebæ)*, et agnominabatur Ιουστος, quod est ipsum nomen latinum *Justus*; alter vero *Matthias*.

24. Tu Domine etc. ad Christum sermo fieri videtur; nam 1° v. 21 Jesus vocatur *Dominus*, 2° supra v. 2 Christus dicitur *apostolos* elegisse; nunc pariter ad ipsum spectat virum designare quem in locum Judæ assumere velit. Adde ab eodem Christo Saulum in via ad Damascum inter apostolos cooptatum fuisse. — Qui solus corda nosti omnium, adeoque falli non potes, dum nos contra, exteriorem hominis faciem tantum, non interiora cordis sensa, videntes, facile erramus.

25. Locum ministerii hujus et apostolatus : hendiadis, *munus hujus ministerii apostolici*. De quo prævaricatus est Judas, εξ ἡς (vel potius αφ'ἡς) *παρεβη, de quo* munere *discessit*, quod deseruit. Ut iret, *πορευθηναι*, infinitivus finis; indicatur finis ad quem Judas tendebat; nimirum, actu suo malo, potius quam expressa mentis voluntate. In locum damnationis suum, sibi destinatum. Per euphemismum ita vocatur *gehenna*. Simili modo loquitur s. Ignatius (ad Magn., c. 5) : *Post mortem*, ait, *quisque in locum suum* (εις τον ιδιον τοπον) *ibit*.

26. Dederunt sortes. Id autem ex inspiratione divina fecerunt, ad morem illius quod sæpe apud Hebræos fiebat, quando humana hærebat prudentia, cf. Josue VII, 16; sorte etiam statuebatur quinam e sacerdotibus in templo ministerio sacro vicissim fungi deberent, Luc. I, 9. Ideo fortassis ad sortem recurrere inducti sunt apostoli, quod Spiritum sanctum nondum accepissent, neque satis adhuc illuminati essent, ut electionem tanti momenti suo peragerent judicio. Vel sortem adhibere iis divinitus inditum fuit ut hic apostolus directe ab ipso Christo, sicut alii undecim, constitutus esset. Ad hujus electionis imitationem, primis Ecclesiæ seculis, episcopi sorte interdum nominati fuerunt; sed usus ille numquam in regulam transiit generalem, et post aliquod temporis spatium reprobatus fuit. Videsis dissertationem *de electione per sortes* quam commentario suo in h. l. adjecit *Calmetus*.

§ 2. *Ecclesiæ fundatio, ejusque prima propagatio,* CAP. II.

I. DESCENSUS SPIRITUS SANCTI, V. 1-13.

Summarium. Die Pentecostes Spiritus sanctus in apostolos aliosque discipulos magno cum sonitu sub specie ignis descendit (1-4) : illo commoti strepitu, Judæi variarum regionum, qui tunc Jerosolymis erant, accurrunt, et obstupescunt eo quod audiant apostolos variis linguis per miraculum loquentes (5-12). Quidam tamen illud irrident prodigium (13).

1 * Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter

---

1. CUM COMPLERENTUR DIES : græce in singulari *cum compleretur dies,* i. e., per hebraismum, *cum adesset dies Pentecostes* (similem hebraismum vide Luc. I, 57; II, 21; IX, 51). Pluralem autem numerum adhibuisse videtur Vulgata ut falsum præcaveret sensum illum : cum dies Pentecostes esset præterlapsus. Dies ille intelligitur quinquagesimus (πεντηκοστη) post primum Paschatis diem, connumerato nempe die secundo Paschatis, ut constat ex Deut. XVI, 9 sqq., et Levit. XXIII, 15 sqq.

Pentecoste autem istius anni videtur incidisse in diem dominicum, quod testantur ss. Patres : quare ponendum est a Judæis Jerosolymitanis illo anno Pascha celebratum fuisse die sabbati, postridie quam Christus fecisset (hic enim agnum Paschalem manducavit in primis vesperis feriæ VI). Interpretes vero, qui putant Judæos eodem die (feria VI) quo Christum celebrasse Pascha, admittere debent Pentecosten illius anni in diem sabbati incidisse; nisi sententiam sequantur Schusteri *(Handb. der Bibl. Gesch.)*, qui contendit isto anno, cum 2[s] Paschatis dies sabbatum esset, falces in segetes missas fuisse die sequenti (17 Nisan) propter requiem sabbati; adeoque 50 dies numeratos fuisse a die 17 Nisan, i. e. a die dominico, non autem, ut aliis annis fiebat, a 16 Nisan, i. e. a die sabbati. A Lapide vero opinatur, Pentecosten, in qua descendit Spiritus sanctus, fuisse diem quinquagesimum post *resurrectionem Christi;* adeo ut, secundum scriptorem istum, magnum Judæorum festum quod quinquagesimo *post Pascha* die occurrebat, a Luca hic non designetur : quæ quidem sententia minime probabilis est. Oportet enim ut, cum omnibus fere auctoribus, vocem *Pentecosten* intelligamus sensu consueto et scripturistico, de solemni illo die festo qui Judæis lege præscriptus fuit in gratiarum actionem pro peracta messe, et, ut videtur, etiam in memoriam legis in monte Sinai datæ : cf. Deut. l. c.

Notum est tria fuisse festa majora (Paschatis, Pentecostes, et Tabernaculorum), in quibus omnes Judæi masculi et adulti in Palæstina habitantes vi legis tenebantur (Exod. XXIII, 14-17) Tabernaculum vel Templum adire *(apparere coram Domino Deo,* ait Lex), ut munera et sacrificia offerrent;

in eodem loco : * et factus est repente de cœlo sonus, tamquam 2
advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi
erant sedentes. * Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam 3
ignis, seditque supra singulos eorum : * et repleti sunt omnes 4
Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus
sanctus dabat eloqui illis.

---

quod feminæ etiam et pueri (Luc. II, 42), imo vero Judæi qui extra Palæstinam commorabantur (Act. II, 5 ; XX, 16), in quantum fieri poterat, perficiebant.

Erant omnes : lectio melior habet παντες, loco ἀπαντες quod est in textu *Recepto.* Απαντες majorem vim haberet et significaret *omnes nullo excepto :* verum intelliguntur tantum omnes discipuli qui in cœnaculum quotidie convenire solebant. Fortasse plures tunc aderant quam eo die quo Matthias in locum Judæ fuit assumptus, quando simul erat turba hominum fere 120 (Act. I, 15). — Pariter ; ὁμοθυμαδον, *uno animo*, habentes omnes idem desiderium accipiendi Spiritum sanctum ; vel potius ὁμου, *simul, pariter*, ut Vulgata cum antiquioribus manuscriptis ABC legit.

2. Spiritus : πνοης, *flatus, venti.* Itaque de cœlo (de aere superiore) subito venit sonitus quidam supernaturalis, ὥσπερ πνοης βιαιας, *sicut venti violenti*, i. e. similis ei qui editur quando vehementer ruit ventus ; igitur *sonus venti vehementis, sed absque vento.* Hoc autem fuit primum signum exterius advenientis Spiritus sancti, sc. signum quod auditu percipiebatur ; alterum autem visu aspectabile describitur v. 3. — Ventus seu turbo (qui vim quamdam latentem et potentissimam designat) in vetere Testamento divinam sæpe nuntiat præsentiam, quemadmodum etiam ignis et fumus. Animadverte similitudinem inter promulgationem veteris legis in Sinai, cum tonitru et fulgure, et legis novæ in Sione (ubi erat cœnaculum) cum strepitu et igne. — Replevit totam domum : *domus* intelligitur privata (non conclave quoddam inter Templi ædificia), probabiliter eadem de qua cap. I, 13.

3. Dispertitæ linguæ : διαμεριζομεναι (forma media), *distribuentes semetipsas ;* prius igitur visæ sunt linguæ in una congerie collectæ, quæ deinde se ab invicem diviserunt, ita ut singulæ super singulorum capita considerent. Sub *linguarum* figura descendit Spiritus sanctus, ut apostolos insignes verbi Dei prædicatores efficeret. — Tamquam ignis, *igni similes* (non *igneæ*), nempe colore, splendore, et motu ; quasi flammulæ quædam ad modum linguarum efformatæ. Seditque (εκαθισε, *posuit se)* unaquæque lingua seorsum ab alia. Verbum est in numero singulari quamvis subjectum sit in plurali : quod fit sensu *distributivo.*

4. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et acceperunt 1° gratiam *gratum facientem*, quæ per Sacramentum Confirmationis baptizatis confertur ; 2° gratias, quas *gratis datas* vocant theologi, ut donum linguarum, miraculorum etc. Quomodo autem tertiæ ss. Trinitatis Personæ seu Spiritui

5 * Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi ex
6 omni natione, quæ sub cœlo est. * Facta autem hac voce, convenit
multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque
7 lingua sua illos loquentes. * Stupebant autem omnes, et mirabantur, dicentes : Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt,
8 * et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in
9 qua nati sumus ? * Parthi, et Medi, et Ælamitæ, et qui habitant
Mesopotamiam, Judæam, et Cappadociam, Pontum, et Asiam,
10 * Phrygiam, et Pamphyliam, Ægyptum, et partes Lybiæ quæ est

---

sancto conveniat *mitti, dari* alicui, aut *descendere* in aliquem eumque *replere* etc., explicatur apud theologos dogmaticos in Tract. de ss. Trin. — VARIIS LINGUIS : ἑτεραις, *peregrinis* : sunt qui *linguas aliarum gentium*, a lingua vernacula diversas, quas apostoli numquam didicerant, intelligant. Verum, quum de eodem linguarum dono loqui videatur Christus apud Marc. XVI, 17, atque linguas illas vocet *novas*, καινας ; ideo, secundum quorumdam sententiam, fuerunt linguæ vere novæ, tales quæ ea ætate nusquam in usu essent. Cf. dissertat. nostr. in 1 Cor. XIV, 4, *de dono linguarum.*

5. ERANT IN JERUSALEM HABITANTES JUDÆI, qui ibi domicilium, aut perpetuo, aut ad tempus, collocaverant; inter quos numerandi videntur qui ad diem festum Pentecostes venerant. — JUDÆI : ita vocantur omnes Israelitæ a tempore reditus ex exilio Babylonico, nomine ducto a subditis regni *Juda*, qui majore numero quam incolæ regni *Israel* in patriam reversi fuerant. — EX OMNI NATIONE QUÆ SUB COELO EST. Hyperbole poetis, præsertim Hebræis, familiaris; significat : ex multis variisque orbis terrarum nationibus, inter quas illorum progenitores, ab Assyriis præsertim abducti, olim dispersi fuerant.

6. FACTA HAC VOCE, *edito sonitu illo* de quo v. 2 (*vox*, φωνη, improprie sumitur), CONVENIT MULTITUDO : audientes bene multi accurrerunt ad locum unde fragor oriri videbatur. MENTE CONFUSA EST, ejus cogitationes perturbatæ erant; seu nesciebat quid hac de re sentiret. — AUDIEBAT UNUSQUISQUE LINGUA SUA ILLOS LOQUENTES, sc. lingua sua propria, aut saltem, si quorumdam eadem erat lingua, propria sua *dialecto.*

7. GALILÆI, quorum patrius sermo Galilæus erat, h. e. *Aramæo-Judaicus secundum dialectum Galilæorum.* Ipsis enim fuisse dialectum propriam colligitur ex Matth. XXVI, 73.

8. AUDIVIMUS : ακουομεν (in omnibus codicibus), *audimus* in tempore præsenti; pariter v. 11. LINGUAM IN QUA NATI SUMUS : pro, *linguam tam diversam illarum regionum, in quibus nati sumus.* Qui stupent, sermonem facile perturbant.

9 et 10. Enumerantur jam provinciæ omnes in quibus erant Judæi : quæ quidem recensio non casu fit, sed cum ordine quodam satis regulari, ab oriente occidentem versus eundo (excipiuntur tamen Cretenses et Arabes,

circa Cyrenen, et advenæ Romani, * Judæi quoque, et Proselyti, 11
Cretes, et Arabes: audivimus eos loquentes nostris linguis magna-
lia Dei. * Stupebant autem omnes, et mirabantur ad invicem 12
dicentes : Quidnam vult hoc esse? * Alii autem irridentes dice- 13
bant : Quia musto pleni sunt isti.

---

qui ultimo loco nominantur). Nunc autem, quod istorum omnium sermonem patrium attinet, PARTHI, MEDI et ÆLAMITÆ utebantur lingua *persica*, sed dialecto fortasse varia, nimirum *Zend, Pelvi, Parsi;* MESOPOTAMENSES et JUDÆI lingua Aramæa orientali, distincta tamen dialecto; incolæ CAPPADOCIÆ, PONTI, ASIÆ (sc. Proconsularis, dempta tamen Phrygia; itaque incolæ Mysiæ, Lydiæ, et Cariæ), PHRYGIÆ ET PAMPHYLIÆ lingua græca, etsi diversis dialectis; pariter ii qui erant ex ÆGYPTO et LYBIA CYRENAICA, quibus præterea lingua erat patria. ROMANI vero latine, CRETENSES græce, et ARABES arabice loquebantur.

11. JUDÆI.. : nos omnes, *tam Judæi* (*tam* melius quam *quoque), quam Proselyti,* audimus etc. Nota syntaxin ob animum tanto prodigio commotum irregularem esse. Verba *Judæi* et *Proselyti* videntur referenda ad omnes enumeratos, etiam ad sequentes, ideoque post vocem *Arabes* ponenda essent. Bisping tamen ea ad solos Romanos restringit. *Judæi* intelliguntur qui ex ea gente nati erant; *Proselyti* vero (scil. *proselyti justitiæ*) qui, gentiles nati, facti erant Judæi per admissam circumcisionem, et generatim per universam legis Mosaicæ observantiam. Vide quæ de *Proselytis* notabimus iufra Act. Ap. X, 28.

12. MIRABANTUR, διηπορουν. Verbum διαπορεω hic adhibitum ita s. Lucæ proprium est, ut apud alium n. T. scriptorem non occurrat usquam. Radix est πειρω *penetro ;* απειρω *penetrare non possum ;* διαπειρω *penitus non possum penetrare* rem, illam explicare; itaque *hæreo, dubius sum.* Sensus est : *hærebant* in re explicanda, quamvis, pie affecti, suspicarentur divini quid subesse. Dicebant enim τι αν θελοι τουτο ειναι ; gall. *qu'est-ce que cela voudrait dire ?*

13. QUIA, ὁτι pleonasticum est, seu redundans. Vocatur *recitativum*, et orationem directam, qua alterius verba recitantur, inducit. In novo Testamento sæpissime adhibetur, in primis ex consuetudine Syrorum, qui sua particula *de* (quæ respondet fere particulæ *ki* Hebræorum) frequenter utuntur. Attamen ὁτι *recitativum* apud auctores græcos classicos etiam invenitur : cf. *Vigerus, De idiotismis græcis.*

MUSTO, γλευκους : proprie sucus seu liquor ex uvis sponte stillans vel vi expressus, qualis est antequam fuerit fermentatus (a γλευκυς *dulcis,* quia sucus ille valde dulcis est). Quum autem tempore Pentecostes vindemia nondum esset, *mustum* non est *vinum novum* (Beel.), sed ponitur improprie, vel pro *vino dulci,* vel pro *vino mero,* i. e. aqua non temperato, proptereaque magis inebriante.

II. Petri oratio ejusque effectus, cap. II, 14-41.

Summarium. S. Petrus ad turbam orationem habet, quæ post exordium (14) in duas dividitur partes : quarum prior, v. 15-21, huc spectat ut ii qui miraculum linguarum irrident confutentur : a/ ex hora nimis matutina (15) ; b/ ex propheta Joele, qui prodigium illud prædixerat (16-18). Cum autem apostolus pœnas impiis et contumacibus reservatas ex eodem Joele describit, ad alteram concionis partem transit (19-21). Jam vero, in hac parte, v. 22-36, Christum Messiam esse probat triplici argumento : a/ per miracula ejus (22), b/ per ejus resurrectionem (23, 24) ; — hanc porro demonstrat *a*/ Davidis oraculo (25-31), et *b*/ testimonio eorum qui viderant eum ad vitam revocatum (32) — c/ per ejus ascensionem et glorificationem, quam rursus David vaticinatus fuerat (33-35). Peroratio (36). Illa concione multi commoventur (37), eosque ad Baptismum adhortatur Petrus (38-40). Tria hominum millia sese ad fidem convertunt (41).

14 * Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam, et
locutus est eis : Viri Judæi, et qui habitatis Jerusalem universi,
15 hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea. * Non enim,

---

14. Petrus rursum (cf. cap. I, 13, 15) sistitur ut apostolorum princeps et Ecclesiæ caput. Stans... levavit vocem suam, quo facilius audiretur a turba. Quum hic non dicatur propriam linguam ab unoquoque auditam fuisse, fieri potuit ut Petrus vernaculo sermone, Syro-Chaldæo seu Aramæo-Palæstinensi, usus fuerit; et nihil obstat quominus cogitemus *fere* omnes auditores linguam illam cognovisse ; igitur, novum miraculum necessario ponendum non est.

Petri oratio duas habet partes, apta transitione connexas : quarum prior calumniam confutat irridentium, posterior vero Christum prædicat : utramque supra analytice exposuimus. — Judæi, designat eos qui in Palæstina nati erant, et qui habitatis Jerusalem, notat Judæos aliunde oriundos.

15. Non... hi ebrii sunt. Propositio partis prioris. Sollerter agit s. Petrus, cum ante omnia se ipse defendit, ut dein, Christum prædicans, qui finis erat principalis orationis, et libentius et majore cum fructu audiatur. Hora 3ª, nostra nona antemeridiana. Judæi, Christi ætate diem naturalem, ab ortu solis usque ad ejus occasum, in 12 horas, modo longiores modo breviores, pro majore vel minore diei spatio, dividebant. Tempore æquinoctii, finis horæ 3æ horæ nostræ 9æ antemeridianæ respondet ; initium autem horæ septimæ cum ipso meridie concurrit. Cum sit hora diei tertia. Petri ratiocinatio hoc facto tamquam fundamento nitebatur : Judæis

sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia : * sed 16
hoc est, quod dictum est per Joel : * Et erit in novissimis 17
diebus (dicit Dominus), effundam de Spiritu meo super omnem
carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ, et juvenes
vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt.
* Et quidem super servos meos, et super ancillas meas, in diebus 18
illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt : * et dabo prodi- 19

---

morem non fuisse ut ante horam 3^m^, qua preces fiebant, quidpiam cibi aut potus sumerent, præsertim diebus sabbati aut festis.

16. SED HOC, quod miramini, et quod irrident quidam, EST confirmatio et impletio illius QUOD DICTUM (*prædictum*) EST PER JOEL, nempe cap. II, 28-32.

17. IN NOVISSIMIS DIEBUS. Petrus sensu literali, et secundum 70 Interpretes, libere tamen seu memoriter, locum recitat. In hebræo et apud 70 legitur *post hæc :* quæ formula, prophetis sacris solemnis, ultimam mundi ætatem, ab adventu Messiæ usque ad finem seculorum, passim designat. Itaque sensus est : quando advenerit Messias, novissima mundi ætate. EFFUNDAM *copiose dabo* DE SPIRITU MEO, *aliquid de Spiritu meo*, variis varia Spiritus sancti charismata distribuam. Απο cum gen. verbis *dandi, communicandi, accipiendi, auferendi* aliquando jungitur, eodem sensu quo Latini dicunt *aliquid* cum gen., seu *partem alicujus rei :* ex. gr. Luc. XX, 10. Apud Joelem autem hebraice *Effundam spiritum meum.* — SUPER OMNEM CARNEM, *hominem* (more Hebræorum *caro* significat *hominem*, per synecdochen qua pars pro toto ponitur). Sensus est : super posteros vestros, qui ad me convertentur, cujuscumque sint ætatis (*juvenibus* æque ac *senioribus*) sexus *(filiis* et *filiabus)* aut conditionis *(liberis* et *servis)*.

PROPHETABUNT : effectus effusionis illius. *Prophetare* autem sensu lato sumitur, sc. *afflatu divino loqui*, non de sola futurorum prædictione, ut colligitur ex verbis sequentibus *visiones videbunt et somnia somniabunt.* Igitur ad hoc *donum prophetiæ* pertinet cognitio quædam miraculosa, ex divina eaque extraordinaria revelatione oriunda, rerum occultarum, sive sint præteritæ, sive præsentes, sive futuræ : cf. ann. in 1 Cor. XIV, 1. Alibi adhuc latius, sæpe tamen strictius, sumitur vox *prophetia.* Sub hoc autem dono reliqua Spiritus sancti charismata a Joele comprehenduntur.

18. ET QUIDEM, imo vero (gradatio), SUPER SERVOS MEOS, ET SUPER ANCILLAS MEAS. Sensus non est : *super viros et mulieres qui me* (Deum) *colunt*, sed *super viros et mulieres servilis conditionis, qui mei sunt*, quia me colunt mihique cari sunt. Id patet ex hebræo, ubi desunt pronomina *meos* et *meas.*

19. S. Petrus citationem Joelis persequitur, quamvis verba prophetæ ad calumniam irridentium refutandam non jam pertineant. Id autem facit, propterea quod aptam in eis reperiat transitionem ad Christum prædicandum. Quasi diceret : Idem Joel, qui mirabile illud linguarum donum, cujus testes modo fuistis, prænuntiavit, etiam de aliis loquitur prodigiis, quæ Judæis impiis incredibilem aliquando inferent calamitatem. Ne ergo

gia in cœlo sursum, et signa in terra deorsum, sanguinem, et
20 ignem, et vaporem fumi : * sol convertetur in tenebras, et luna in
sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et manifestus.

---

vobis obveniant ista mala, verum Dei cultum, a Christo Messia vestro promulgatum, quem vobis jam expositurus sum, nolite abjicere. Atque hic est nexus quem statuimus inter utramque orationis partem.

Prodigia etc. Nonnulli hæc intelligunt de prodigiis quæ ultimum judicium præcedent, quasi s. Petrus ita ratiocinaretur : prodigia modo peracta nolite mirari, nam majora, teste Joele, in mundi exitu evenient. Sed totus contextus huic sententiæ repugnare videtur. Quid enim, cedo, huc important prodigia in fine seculorum eventura ? Nisi admittamus, cum Bisping, Petrum in falsa versatum fuisse opinione, alterum Christi adventum *(diem Domini magnum)* et interitum rerum omnium proxima fuisse : quo posito, denuntiatio istius cladis nata fuisset Judæos ad pœnitentiam excitare. Sed error iste, si verbis exprimatur in Scriptura, mihi videtur haud facile conciliari posse cum divina inspiratione. Atque ideo, cum s. Chrys. (in hunc loc.) et s. Cyrillo (Catena græc. Patrum) putem per *diem Domini*, quem prodigia illa præcedent, designari hic ut alibi sæpe (v. gr. apud eumdem Joelem II, 11), tempus quo Deus magnam aliquam immissurus sit pœnam aut calamitatem, videlicet quando Hierosolyma duce Tito funditus destruetur.

Prodigia in coelo *(in aere)* et in terra : hujusmodi plurima id temporis visa fuisse, narrat *Flavius Josephus*, *De bello Judaico* VI, 5, 3. — Sanguinem : multi *sanguinem* interpretantur *cruentissimam stragem ;* ignem et vaporem fumi, *incendia urbis et templi ;* verum, quum agatur de prodigiis et signis, per *sanguinem* intelligimus pluviam sanguineam de qua Josephus scribit, per *ignem* ignita quædam in aere phænomena, et per *vaporem fumi* vaporem instar fumi, fumo similem, e terra ortum, seu columnas fumi quales in terræ motu e penetralibus terræ sæpe erumpunt.

20. Sol etc. Hyperbole, ingenio Orientalium audaciori accommodata, quæ hac ratione nititur quam tradit s. Hier. (ad Joel. II, 10) : *adversa* (præsertim terribilissima) *patientibus, præ terroris magnitudine, cœlum ruere terramque fluctuare videri.* Similis figura in Scripturis occurrit sæpenumero : sic idem Joel II, 10 dicit : *A facie ejus* (agminis locustarum)..... *sol et luna obtenebrati sunt*, etc. Cf. Is. XIII, 10 de ruina Babylonis ; XXIV, 18 sqq. ; XXXIV, 4 etc. ; Ezech. XXXII, 7 de Ægypto vastanda ; Aggæi II, 21 sqq. Utrum huc pertineant Matth. XXIV, 29 *sol obscurabitur* etc., dubitem valde, siquidem Salvator interitum mundi ibi describit ; quamobrem verba sensu proprio (non sensu figurato) sumenda videntur. Sunt qui autument sensu lato et improprio, sicut hic Act. II, 20, explicanda esse loca Is. LXV, 17 ; LXVI, 22, quibus Deus promittit *cœlum novum et terram novam*, quasi nihil aliud significarent quam *magnam aliquam instaurationem et prosperitatem* eventuram esse. Sed ista melius sensu proprio et obvio, sicut jacent, intelliguntur.

* Et erit : omnis, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus 21
erit. * Viri Israelitæ, audite verba hæc : Jesum Nazarenum, 22
virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis, et
signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos
scitis : * hunc definito consilio, et præscientia Dei traditum, per 23

DIES DOMINI : tempus quo Deus præcipua quadam ratione sese notum facit, in specie, quo potentiam suam notam facit, vel strictius, quo potestatem suam ultricem adversus homines malos et impios exerit; ergo, tempus quo judicia justitiæ suæ vindicis in mundo exercet magnasque infert calamitates. Hoc ultimo sensu dicitur Is. II, 12; XIII, 6, 9; Ez. XIII, 5; Joel. I, 15; Sophon. I, 7 etc *Dies Domini* κατ' ἐξοχην erit dies ultimi judicii, dies mundi fatalis, quo Deus cladem immittet supremam, omnemque impietatem severissime ac decretoria sententia ulciscetur. Omnes alii *dies Domini*, quibus per seculorum decursum pœnæ et calamitates magnæ in homines pravos divinitus inferuntur, sunt totidem figuræ istius diei ultimi, atque ideo verbis iisdem vel similibus describuntur : sic de clade Jerosolymitana dicitur hic *sol convertetur in tenebras* etc., illudque ipsum Matth. XXIV, 29 de mundi interitu prænuntiatur.

DIES... MANIFESTUS : επιφανης, *gloriosus ;* in hebræo autem apud Joelem *terribilis*.

21. QUICUMQUE INVOCAVERIT NOMEN DOMINI, *qui Jesu Christi fidem professus fuerit*, SALVUS ERIT, istam evadet calamitatem. Et re quidem vera, christiani, divinitus admoniti, paulo ante obsidionem Jerosolymæ, Pellam confugientes, cladi sese subtraxerunt *(Euseb., Hist. eccl.* III, 5).

22. Connexio logica cum præcedentibus hæc est : itaque, ut terribilissimæ istæ pœnæ a vobis arceantur, invocate nomen Domini : Dominus autem ille, quem invocare debetis, est Jesus Christus, eumque nunc vobis notum faciam.

VIRUM IN VOBIS, εις ὑμας, *ad vos*, vestri causa, APPROBATUM, αποδεδειγμενον, qui *plenissime demonstratus* fuit A DEO tamquam Messias. Quomodo? VIRTUTIBUS etc., per varia et innumera miracula quæ fecit, seu potius QUÆ FECIT ipse DEUS PER ILLUM. Animadvertit s. Chrys. ad h. l., Petrum de Jesu loqui prudenter, tamquam de homine divina virtute prædito. Miracula autem vocantur *virtutes*, quatenus *potentia* quædam extraordinaria in eis splendet; *prodigia*, quatenus admirationem et terrorem excitant; *signa* vero, quatenus divinam voluntatem declarant, quatenus per ea Deus significat Jesum esse verum Messiam, ejusque religionem divinam esse.

23. HUNC. Pronomen demonstrativum abesse poterat, sed recte additum fuit, propter majorem vim ac perspicuitatem orationis. TRADITUM vobis, vel a Deo vel a Juda proditore; non autem a vobis devictum aut vestra potestate subactum. Petrus tacitæ occurrit objectioni huic : si Jesus tanta præditus fuit virtute ut miracula patraret, quare morti se non subripuit?

DEFINITO CONSILIO ET PRÆSCIENTIA DEI TRADITUM : ab æterno decreverat

24 manus iniquorum affligentes interemistis : * quem Deus suscitavit,
solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum
25 ab eo. * David enim dicit in eum : Providebam Dominum in
conspectu meo semper : quoniam a dextris est mihi ne commo-

Deus eum in manus tradere Judæorum, quamvis sciret eum ab istis occidendum fore; ad hoc enim potuit *se permissive habere* (ut aiunt theologi). Decretum igitur Dei mortis Christi causa non fuit, sed solum effecit ut Judæi quod pessime vellent peragere possent. Animadverte Petrum de scelere isto moderate loqui, ne auditorum animos offendat : quod factum est, ait, decreti divini impletio fuit et exsecutio.

Iniquorum, *ανομων (qui sine Lege sunt,* 1 Cor. IX, 21, *qui legem a Deo traditam non habent, gentiles)*, gentilium, Pilati nempe militumque Romanorum. — Affligentes : ita legitur in editione Romana a. 1598; sed omnino videtur esse mendum typographicum, pro *affigentes* (*προσπηξαντες*) sc. cruci.

Interemistis : Judæi supplicii Jesu illati vere auctores erant. Igitur, quantumvis Petrus prudentissime se gerat, veritatem tamen non lædit, neque occultat. Judæi, qui aderant et quos Petrus alloquitur, non omnes quidem in necem Jesu conspiraverant, sed omnibus commune scelus dici potest, quatenus crimen erat gentis Judaicæ (gall. *en vertu du principe de solidarité)*.

24. Quem Deus suscitavit. Christus, utpote Deus, se ipse ad vitam revocavit : sed Petrus de Christo tamquam de eximio quodam Propheta loquitur, auditorum menti et intelligentiæ solerter sese accommodans. Suscitavit a mortuis, solutis doloribus inferni, *postquam solvisset dolores mortis : ωδινας θανατου* ex Ps. XVII, 5, secundum 70 Interpretes, ponitur pro *vinculis mortis*. Latet tamen in verbis *ωδινες θανατου* sensus altissimus : in morte sunt quasi *dolores partus* (*ωδινες*), qui *solvuntur* seu sedantur quando ex morte nova vita nascitur per resurrectionem. — Juxta quod *καθοτι, propterea quod,* impossibile erat illum teneri *a morte,* seu sub potestate mortis. Id autem fieri non poterat, quia Scriptura, quæ Christi resurrectionem prædixerat, eventu confirmanda erat. Hæc autem connexio cum sequentibus omnino obvia est, propter *enim* v. 25.

25. David, in Ps. XV, postquam de se ipse plura locutus fuerat, in extrema Psalmi parte, v. 8-11, quam Petrus jam recitabit, subito motu quasi abreptus, Christi personam agit, et de eo vaticinatur ; ita ut verba, proprio et stricto sensu si sumantur, non ad Davidem sed ad Christum, in quo solo impleta inveniuntur, referri debeant. Etenim, quando Propheta affirmat corpus suum corruptioni subjiciendum non fore, utique non de se ipse scribit ; secus falsum quid diceret ; sed Christi resurrectionem prænuntiat. — Providebam Dominum in conspectu meo semper, oculos constanter in eum intendebam in defensorem humanæ meæ naturæ ; quoniam a dextris est mihi, *adjutor juxta me stat,* ne commovear, ne damno quovis afficiar.

vear : * propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua 26
mea, insuper et caro mea requiescet in spe : * quoniam non dere- 27
linques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre
corruptionem. * Notas mihi fecisti vias vitæ : et replebis me 28
jucunditate cum facie tua. * Viri fratres, liceat audenter dicere ad 29
vos de patriarcha David, quoniam defunctus est, et sepultus : et

---

26. LINGUA MEA : in hebræo *gloria mea*, i. e. *anima mea* vel simpliciter *ego :* quemadmodum latine dicimus *vestra Dominatio, Excellentia, Celsitudo, Majestas* etc., pro *vos.* — INSUPER, cum mors advenerit, ne tunc quidem timebo : CARO MEA, *corpus meum* REQUIESCET, *κατασκηνωσει*, secure *habitabit* in sepulcro, tamquam *in tentorio,* tutum a putredine, IN SPE resurrectionis brevi futuræ.

27. QUONIAM... : ratio quare corpus ejus mansurum sit *in spe.* Nam, ait, ANIMAM MEAM *(anima* sensu proprio sumitur, non vero ponitur pro *persona,* ut in quibusdam locis), a corpore separatam per mortem, NON DERELINQUES, non sines manere, IN INFERNO. *Infernus* intelligitur locus in quem animæ hominum, ex hac vita decedentium, recipiuntur. Igitur, non sines animam meam in illo loco manere, a corpore separatam, sed mox eam corpori denuo conjunges, meque ad vitam revocabis. — Ante Christi ascensionem, quum clausæ essent cœli portæ, animæ justorum defunctorum in *inferno,* seu potius in *limbo Patrum,* custodiebantur. Anima quoque Christi, quando mors eam a corpore divulsit, ad hunc locum descendit, ut docet Ecclesia catholica, in symbolo Apostolorum de Christo canens : *Descendit ad inferos;* quæ doctrina contra Protestantes, tum ex hoc Actuum loco, quum ex 1 Petr. III, 19, atque etiam, secundum plurimorum sententiam, ex Eph. IV, 9, firmissime comprobatur. Vide amplam dissertationem in *Comm.* nostro *s. Matthæi,* 3ª ed. p. 1306-1311.

NEC DABIS etc. Hebraismus, nec permittes ut ego *sanctus tuus* (rejicienda est hebræa lectio quæ habet numerum pluralem : *nec dabis sanctos tuos)* experiar mortis corruptionem. *Sanctus* i. e. homo pius, Deo devotus, aut a Deo sanctificatus. Christi autem sanctificatio intelligenda est de natura ejus humana, quatenus hæc per unionem hypostaticam divinæ naturæ arctissime conjuncta fuit. — VIDERE, per hebraismum, significat *experiri :* sic Luc. II, 26 Simeon dicitur non *visurus,* i. e. *experturus* mortem, antequam etc. — CORRUPTIONEM : in hebræo *foveam.*

28. NOTAS MIHI FECISTI VIAS VITÆ. Hebraice est futurum : *notam facies,* vel *docebis me viam* (in singulari) *vitæ,* i. e. me vitæ reddes ; ET præterea REPLEBIS ME JUCUNDITATE CUM FACIE TUA, quando in Ascensione glorificabor ut homo, tuique aspectu vultus fruar ; aliis verbis, quando natura mea humana te *intuitive* contemplabitur in cœlis.

29. LICEAT AUDENTER DICERE, *μετα παρρησιας, cum libertate.* Molliter loquitur ex arte quadam oratoria, ne Judæos, quorum nonnulli Psalmi verba ad Davidem, virum summa veneratione ab ipsis cultum, fortasse referebant,

30 sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. * Pro-
pheta igitur cum esset, et sciret quia jurejurando jurasset illi
31 Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus : * providens
locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in
32 inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. * Hunc Jesum resus-
33 citavit Deus, cujus omnes nos testes sumus. * Dextera igitur Dei
exaltatus, et promissione Spiritus sancti accepta a Patre, effudit
34 hunc, quem vos videtis, et auditis. * Non enim David ascendit in
cœlum : dixit autem ipse : Dixit Dominus Domino meo, sede a
35 dextris meis, * donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuo-

---

offendat. SEPULCHRUM EJUS EST APUD NOS USQUE IN HODIERNUM DIEM, et in eo sunt reliquiæ corporis ejus corruptioni traditi; ergo, de se ipse talia scribere non potuit. De sepulchro Davidis in urbe Hierosolyma videsis Nehem. III, 16; Jos. *Ant.* 7, 15, 3 ; 13, 8, 4 ; *Bell. Jud.* 1, 2, 5.

30 et 31. Paraphrasis : cum esset propheta, et ex divina revelatione sciret certo immutabilique decreto a Deo statutum fuisse *(jurejurando jurare,* i. e. solemnissimo et firmissimo jurejurando promittere), ut Messias e posteris suis *(de fructu lumbi ejus)* gigneretur, soliumque regni sui occuparet *(sedere super sedem ejus)* : futura providens, Christi resurrectionem prædixit verbis illis : *Non derelinques animam* etc.

32. Probat hanc vaticinationem reipsa fuisse eventu confirmatam.

33. DEXTERA DEI etc. : *potentia Dei in cœlum assumptus, postquam promissum Spiritum sanctum accepit* A PATRE (etenim apud Joan. XIV, 16 *Ego,* ait, *rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis)*, EFFUDIT HUNC QUEM VOS VIDETIS ET AUDITIS, cujus effectus seu mirabilia dona videtis. Quum Filius dicatur Spiritum sanctum effudisse, Ecclesia catholica contra Græcos schismaticos recte concludit, Spiritum sanctum a Filio etiam procedere.

34. Ut id quod modo dixit, Christum fuisse *exaltatum* in cœlum, demonstret, aliud Davidis oraculum adducit. Vates sacer in Ps. CIX loquitur de aliquo cui datur *sedere ad dexteram Dei,* quique adeo in cœlum ascenderat : atqui non de se ipse hoc affirmat; ergo de Christo Messia. Ex hac argumentatione colligitur, hunc Psalmum secundum literam propheticum esse de Christo; quod et ipsi Judæi olim admittebant, ut patet ex Matth. XXII, 42 sqq. — SEDE A DEXTRIS : metaphora, cujus sensus est : veni occupare, ait Deus Pater, locum mihi proximum, omnibus creaturis longe eminentiorem. Hæc verba ad naturam divinam, quam ab æterno Filius habet Patri æqualem, referri non possunt; sed naturam spectant humanam, quatenus hæc in Ascensione, ad summam dignitatem et gloriam regni, super omnem creaturam, exaltata est.

35. DONEC PONAM INIMICOS TUOS SCABELLUM PEDUM TUORUM. Locutio poetica, valde audax, ducta ex more Asiatico devictorum hostium colla pedibus calcandi : sic Josue (X, 24) jussit ut Israelitæ pedes super colla quinque regum ponerent. Sensus est : *donec perfecte subjecero tibi hostes tuos.*

rum. * Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Domi- 36
num eum, et Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifi-
xistis.
* His autem auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt ad 37
Petrum, et ad reliquos Apostolos : Quid faciemus, viri fratres?
* Petrus vero ad illos : Pœnitentiam (inquit) agite, et baptizetur 38
unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem pec-
catorum vestrorum : et accipietis donum Spiritus sancti. * Vobis 39
enim est repromissio, et filiis vestris, et omnibus, qui longe sunt,

---

36. *Peroratio.* Concludit (ERGO) eos exhortando, ut, his edocti vaticinationibus, linguarumque miraculo persuasi, SCIANT, *firmiter credant* hunc Jesum, quem cruci affixerunt, a Deo constitutum esse DOMINUM rerum omnium, et CHRISTUM seu *Messiam.* — OMNIS DOMUS ISRAEL. *Domus,* proprie *ædificium, habitatio;* inde *omnes personæ in eadem domo degentes,* seu *familia* (cf. Act. X, 2) : hinc *integra gens* ex eadem familia oriunda. Igitur *domus Israel* significat gentem Israeliticam, ex Jacob progenitam. — Totius analysim orationis videsis supra, p. 54.

37. COMPUNCTI CORDE : acerrimo doloris, timoris ac pœnitentiæ affectu commoti fuerunt, propterea quod Messiam male habuissent, terribilesque justitiæ divinæ pœnas meruissent.

38. BAPTIZETUR IN NOMINE JESU CHRISTI, *εν τῳ ονοματι (per nomen ejus, ejus auctoritate),* ut legunt codd. BCD; vel potius *επι τῳ ονοματι, super nomen (præmissa confessione nominis Jesu),* ut habent codd. AE : adeo ut significetur accipiendum esse Baptismum Christi (non Joannis Baptistæ), quo Christo sese addicant, quo fiant christiani. Sensus autem non est, in Baptismo conferendo adhibendam esse hanc formulam : *Ego te baptizo in nomine Jesu.* S. Thomas quidem, *Sum.* 3, 66, 6, opinatur Baptismum, ex speciali Domini revelatione, initio sic collatum fuisse : verum id non admittit Catechismus Conc. Trid. (II, 2, 15), qui auctoritate ss. Ambr. et Bas. nititur.

ET ACCIPIETIS, per manuum impositionem, in Sacramento Confirmationis, DONUM SPIRITUS SANCTI, Spiritum sanctum cum aliquo dono extraordinario, seu cum aliqua gratia *gratis data :* quam quidem gratiam specialem primis Ecclesiæ temporibus per Sacramentum Confirmationis sæpe concessam fuisse vel ex hoc ipso Actorum libro novimus. Fateor tamen hanc explicationem aliquantulum subtilem esse, magisque obvium videri sensum hunc : accipietis gratiam Spiritus sancti, seu Spiritum sanctum cum gratiis ejus.

39. VOBIS EST REPROMISSIO, sc. illa Joelis quæ supra v. 17 recitata fuit. ET OMNIBUS QUI LONGE SUNT, Judæis procul habitantibus. Alii intelligunt *gentiles,* ad quos s. Paulus ad Eph. II, 13 *Vos,* ait, *qui aliquando eratis longe* etc. : verum huic explicationi obstat verba Joelis ad Judæos tantum spectare, Petrumque cœlesti visione moneri debuisse de gentilium voca-

40 quoscumque advocaverit Dominus Deus noster. * Aliis etiam ver-
bis plurimis testificatus est, et exhortabatur eos, dicens : Salva-
41 mini a generatione ista prava. * Qui ergo receperunt sermonem
ejus, baptizati sunt, et appositæ sunt in die illa animæ circiter
tria millia.

---

tione: cf. Act. X, 10 sq. Sensus igitur est : Spiritus s. promissus est Judæis omnibus, cujuscumque sint *ætatis (vobis et filiis vestris)*, cujuscumque *patriæ (vobis.., et iis qui longe sunt)*, modo DEUS illos AD hanc gratiam VOCAVERIT.

40. TESTIFICATUS EST, *διεμαρτυρατο*, quod sumi potest sensu illo : verbis testatus est, solemni ratione pronuntiavit, docuit : ET EXHORTABATUR EOS : igitur ea referre licet ad binas oratoris sacri partes præcipuas, quarum prior est ut doceat, instituat, convincat, seu intellectum illuminet auditorum; altera vero ut cor illorum moveat per fervidam adhortationem.

SALVAMINI A GENERATIONE ISTA, oratio *prægnans* pro : SALVAMINI *segregando vos* A GENERATIONE ISTA : i. e. ab æqualibus vestris, viris istis impiis et scelestis. Vox *generatio, γενεα*, sæpe occurrit in s. Scriptura, et vario quidem sensu : 1° proprie significat *actum generandi* (id quod *γενεσις*, a *γιγνομαι fio*), et 2° passive, *prolem genitam* seu *progeniem*; inde 3° *temporis spatium* (triginta ferme annorum) *quod existit inter duas generationes sibi invicem succedentes*; hinc generatim *ævum, seculum.* (Luc. VII, 31). Deinde 4° *homines una eademque ætate viventes, æquales.* Tandem 5° spatium vitæ unius hominis, totam vitæ ejus seriem, ejus historiam universam (Act. VIII, 33).

41. QUI RECEPERUNT SERMONEM EJUS (textus *Receptus* addit *ασμενων, libenter*, sed est glossema, teste Tischendorfio, quum in codd. ABCD non compareat). Hæc verba libertatem humanam clare innuunt; supra, v. 39, necessitatem vidimus divinæ gratiæ prævenientis; duo enim in opere salutis requiruntur : et gratia Dei, et hominis opera mutua. Ideo s. Paulus 1 Cor. XV, 10 (secundum lectionem Vulgatæ) : *Non ego*, ait, (*laboravi*) solus *sed gratia Dei mecum* laboravit, ego simul cum gratia laboravi, (obiter nota lectionem probabiliorem aliam esse: sensum autem videsis in *Comm.* nostro *in Epist. Paul.* 3ª ed.). — APPOSITÆ SUNT, *προσετεθησαν, additæ sunt;* vel, si notio verbi medii sumatur, *adjunxerunt se.* Cui? Cœtui christianorum, Ecclesiæ, ut habetur v. 47 in aliquib. codicib. Ergo isti non efformarunt primam Christianorum communitatem, neque novam constituerunt ; innuitur Ecclesiæ a Christo conditæ unitas. ANIMÆ CIRCITER TRIA MILLIA : *animæ* pro *personæ*, ex more loquendi omnibus fere linguis communi.

III. Sancta primorum christianorum vita, v. 42-47.

Summarium. Christianorum pietas erga Deum (42, 46), et erga proximum charitas, ex qua sancta bonorum communitas (44, 45). Inde, et ex Apostolorum miraculis (43), accrescit Ecclesia (47).

* Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et com- 42
municatione fractionis panis, et orationibus. * Fiebat autem omni 43
animæ timor : multa quoque prodigia, et signa per Apostolos in

---

42. Communicatione fractionis panis. Aliqui interpretes, etiam ex catholicis, convivia communia, quæ primi Christiani ante ss. Eucharistiæ celebrationem magna cum caritate faciebant, intelligunt, eodem sensu ac v. 46. Sed longe probabilior nobis videtur sententia, quæ verba illa ad ss. Eucharistiam refert. Etenim 1° id suadet contextus, quum communicatio fractionis panis ponatur inter duos actus religiosos, *in doctrina apostolorum perseverare* (sedulo audire verbum Dei), et *orationibus* (liturgicis) interesse. 2° In aliis novi Testamenti locis de usu s. Eucharistiæ iisdem fere verbis mentio fit, v. gr. 1 Cor. X, 16. 3° Versio Syriaca, quæ antiquissima est et maximi pretii, habet : in fractione *Eucharistiæ*.

Fractionis : græce constanter legitur τῃ κλασει (in dativo) : *erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione, fractione panis et orationibus.* Ergo quatuor notantur, quæ bina et bina distinguuntur : 1° perseverabat in doctrina Apostolorum et communicatione cum ipsis, i. e. eos docentes diligenter audiebant arctamque cum ipsis servabant vitæ et dilectionis conjunctionem. 2° Perseverabant in fractione panis et orationibus, i. e. in ss. Eucharistiæ et s. Liturgiæ celebratione.

Aliqui codices ante vocabulum *fractione* addunt και : tunc quatuor ista rerum capita enumerantur una serie per tria και. Interpretes nonnulli sumunt istud και ante vocabulum *fractione* tamquam particulam exegeticam: *in communicatione, nempe in fractione panis ;* vel contendunt subesse *hendiaden* in sensu Vulgatæ : inter se communicabant panem sanctum seu Eucharisticum, quem apostoli, postquam illud consecraverant, frangebant et adstantibus distribuebant, secundum morem a Domino Jesu institutum.

Et orationibus : græce cum articulo. Intelliguntur certæ quædam preces sacræ, quæ, quum prædicationi doctrinæ sacræ et participationi Corporis Domini jungantur, sacrosanctum Missæ sacrificium non obscure denotant.

43. In Jerusalem, probabiliter est *glossema,* seu nota aliqua quæ prius in margine scripta, dein in ipsum textum ab alio librario assumpta fuit : etenim in omnibus fere mss. græcis deest, atque aliunde otiosum videtur. Idem dic de verbis Et metus erat magnus in universis, quæ nihil aliud quam languidam repetitionem sententiæ præcedentis præ se ferunt.

44 Jerusalem fiebant, et metus erat magnus in universis. * Omnes
etiam, qui credebant erant pariter, et habebant omnia communia.
45 * Possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omni-
46 bus, prout cuique opus erat. * Quotidie quoque perdurantes una-

---

44. OMNES ETIAM etc. Pro *etiam*, græce est δε, *autem*, quæ particula est pergentis in narratione : modo dixit quid facerent apostoli, nunc *autem* quid fideles. PARITER, επι το αυτο, *simul*, erant; i. e. in quantum fieri poterat, *conjunctim* vivebant, tamquam si ad unam eamdemque domum pertinuissent omnes, sæpe *in unum locum* convenientes et a ceteris incolis se segregantes : inde sponte sequebatur bonorum communitas seu communis usus (v. 45), qualis inter membra ejusdem domus seu familiæ existere solet. Nolim επι το αυτο sumere pro ὁμοθυμαδον, *unanimiter*, de animorum concordia tantum : quamvis, de cetero, conjunctio illa in unam familiam summam includat animorum consensionem.

45. POSSESSIONES, bona immobilia, ET SUBSTANTIAS, ὑπαρξεις, ceteras facultates seu mobilia bona, VENDEBANT, ET pretium DIVIDEBANT OMNIBUS.

Hæc autem Communistis hodiernis re ipsa non favent : quum 1° illa bonorum communitas sponte omnino et libere acceptaretur, cf. Act. V, 4; 2° *localis* esset et *singularis :* non enim alibi quam in ecclesia Jerosolymitana in usu fuisse legitur ; imo vero, eam aliis in locis non exstitisse colligitur ex iis quæ s. Paulus de collectis quæ fiebant in sanctos, deque harum modo et ratione, scribit 1 Cor. XV, 1 sq., et 2 Cor. IX. 3° *Temporalis* et *caduca* fuit, etiam Jerosolymis; abrogata enim fuit, statim atque extraordinaria rerum adjuncta, quæ eam induxerant, effluxerunt. 4° Erat *adventitia*, namque ad vitæ vere christianæ naturam seu essentiam eam pertinere nusquam affirmatur. Et re quidem vera, quando Jerosolymitani rogant Petrum, v. 37, quid facere debeant, apostolus respondet duo esse necessaria, pœnitentiam et Baptismum ; nihilque addit de abjiciendo jure possidendi bona privata quælibet. Tandem 5° (quod ex 1° oritur et consequitur), neque Jesus, neque apostoli jus illud umquam negaverunt : contra, aperte admiserunt; v. gr., cum s. Paulus in epistolis suis christianos ad eleemosynam adhortatur, ut certum ponit eam esse prorsus liberam, et unicuique jus esse strictum retinendi aut distribuendi facultates suas.

Præclare docet Bisping bonorum communitatem, in Ecclesia primitiva, linguarum dono parallelam seu similem aliquatenus esse. Sicut enim amor, quem Spiritus s. in cor abunde effudit, sustulit, ad breve tempus, linguarum divisionem, quæ ex superbia orta fuerat : sic etiam bonorum divisionem, cujus prima causa fuerat peccatum *egoismus*, modo temporario et fugitivo, in parva quadam hominum societate, cessare fecit vel saltem suspendit. Ita præparatus fuit felicissimus ille status, qui in cœlis, ubi peccatum non est, existere debet : ibi enim una omnium lingua, ibi eædem divitiæ et bona communia, quia ibi cor unum semper et anima una.

46. PERDURANTES : gr. προσκαρτερουντες (a προς et καρτερειν *perdurare*, quod

nimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant
cibum cum exultatione, et simplicitate cordis, * collaudantes 47
Deum, et habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem
augebat qui salvi fierent quotidie in idipsum.

§ 3. *Sanatio claudi, et secunda Petri prædicatio* : CAP. III.

Summarium. Hominem a die natali claudum sanat s. Petrus (1-8), atque, quum accurrissent Judæi admiratione perculsi (9-11), docet miraculum non sibi, sed Jesu illi, quem ipsi cruci affixerant, tribuendum esse (12-16); illos tamen aliquatenus excusat (17-18); tandem ad pœnitentiam eos adhortatur, et ad fidem in Christum, quem probat esse Messiam, toties promissum (19-26).

---

est a κρατος, *robur*), sign. *adhærere* alicui personæ, vel in aliquo loco *assidere*, *sæpe adesse*, ut hic. In templo, videlicet *in atrio Israelitarum*, cf. ann. in cap. III, 1, necnon *Comm.* nostr. *s. Matth.*, in quo p. 208-220 (3ª ed.) de Templo variisque ejus partibus fuse disseruimus. Christiani a cultu Mosaico nondum erant prorsus separati, legemque adhuc observabant; et licite quidem, quum Legalia id temporis *mortua* quidem essent, sed nondum *mortifera*.

Nota tamen præter cultum Mosaicum, qui fiebat in Templo, christianis jam fuisse proprias cultus novi cæremonias, sc. liturgiam novam, novum sacrificium, preces ipsis proprias etc. Per diem in Templo Deum colebant antiquo more, vespere in certas domos conveniebant, ubi agapas faciebant (hic v. 46), Deum laudabant (v. 47), et statis diebus, si non quotidie, s. Eucharistiam celebrabant (v. 42).

Frangentes circa domos (κατ'οικον, *domi*, *privatim*, ut ad Philem. 2, per antithesim ad *in templo*), panem, αρτον, sine articulo; quamobrem *panem Eucharisticum* (ut v. 42, ubi adest articulus) non intelligo, eo vel magis quod supra jam de hujus usu sermo fuerit, et quod *frangere panem* mox explicetur per *sumere cibum*. — Cum simplicitate cordis, refer ad *sumebant cibum*, hoc sensu : integre, absque culpa, absque ulla intemperantia.

47. Habentes gratiam ad omnem populum : grati erant omni populo, ob excellentiam vitæ modo descriptæ. Dominus augebat (προσετιθει, *addebat*, sc. *Ecclesiæ*, quæ vox legitur in codicibus DE, sed omittitur ab ABC) qui salvi fierent : periphrasis pro *christianos augebat*, numerum augebat illorum, qui in via *salutis* erant. In idipsum : επι το αυτο, in pluribus codicibus antiquis initium est capitis III, hoc sensu : Petrus et Joannes *simul (eadem via)* ascendebant. Attamen ABCD et Sinait., vers. copt., sahid., æthiop., armen., et Vulgata istud capiti II, 47 annectunt; quod sic explicatur : *Dominus eos augebat in idipsum*, i. e. adeo ut simul viverent, et communitatem quamdam efficerent, nempe illo sensu quem supra v. 44 dedimus.

1 * Petrus autem, et Joannes ascendebant in templum ad horam
2 orationis nonam. * Et quidam vir, qui erat claudus ex utero
matris suæ, bajulabatur : quem ponebant quotidie ad portam tem-
pli, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeunti-
3 bus in templum. * Is cum vidisset Petrum, et Joannem incipientes
4 introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. * Intuens
5 autem in eum Petrus cum Joanne, dixit : Respice in nos. * At ille
6 intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. * Petrus
autem dixit : Argentum et aurum non est mihi : quod autem
habeo, hoc tibi do : In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et
7 ambula. * Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, et
8 protinus consolidatæ sunt bases ejus, et plantæ. * Et exiliens

---

1. AD HORAM ORATIONIS NONAM. Apud Judæos piis precibus consecratæ erant horæ seq. : 3ª (Act. II, 15), qua sacrificium matutinum in Templo offerebatur; deinde 6ª (ad meridiem, Act. X, 9); et 9ª, quo tempore fiebat sacrificium vespertinum. Pariter Daniel *ter* singulis diebus Deum adorare solebat (Dan. VI, 10); quemadmodum et David (Ps. LIV, 18) *vespere, mane,* et *meridie* faciebat.

2. TEMPLI : illud intelligitur cui nomen dedit Herodes Magnus, cum, paulo ante Christum natum, templum Zorobabelis, post ferme quinque secula collapsum, maxima cum magnificentia, per partes et paulatim restituit. Mons autem Moria, in quo, sicut templum Salomonis, situm erat, muro cinctus erat excelso, a radicibus montis exstructo, qui præter ædem sacram stricte dictam, tria includebat atria, sub dio : *atrium sacerdotum,* quod interius erat, *Israelitarum* (tum virorum, tum mulierum), et *gentium,* quod prius transire debebat quicumque ad alia vellet atria intrare. In muro exteriore prope porticum Salomonis (v. 11) erat, secundum sententiam *Kuinöl, porta *Speciosa,* de qua loquitur hic s. Lucas : ergo porta exterior, per quam ingressus patebat in atrium gentium. Plerique tamen auctores intelligunt portam interiorem, dictam *Nicanoris* (de qua certe scribit Jos. *B. J.* 5, 5, 3), quæ ex atrio mulierum in atrium Israelitarum ducebat. Videsis descriptionem Templi quam in *Comm. s. Matth.*, 3ª ed. p. 208-220, dedimus.

3. INCIPIENTES INTROIRE : gr. *μελλοντας εισιεναι, quum in eo essent ut ingrederentur.*

4. INTUENS : *ατενισας,* postquam eum intentis oculis aspexisset, certe ut videret num beneficii capax esset. — RESPICE : s. Petrus eum ad miraculum attentum reddere vult, ut postea de eo possit idoneum ferre testimonium; deinde etiam fiduciam ejus excitare cupit.

7. BASES : *αἱ βασεις,* gressus (a *βαινω*), planta pedis, inde ipse pes. ET PLANTÆ : *τα σφυρα,* tali.

stetit, et ambulabat : et intravit cum illis in templum ambulans,
et exiliens, et laudans Deum. * Et vidit omnis populus eum 9
ambulantem, et laudantem Deum. * Cognoscebant autem illum, 10
quod ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam
templi : et impleti sunt stupore et exstasi in eo, quod contigerat
illi. * Cum teneret autem Petrum et Joannem, cucurrit omnis 11
populus ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis, stupentes.
* Videns autem Petrus respondit ad populum : 12

Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini,
quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?
* Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum 13
nostrorum glorificavit filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis,
et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti.

---

9. Vidit omnis populus, qui hac hora frequens ad templum veniebat.

11. Cum teneret Petrum et Joannem : cum claudus, ut gratum animum testaretur, retineret Petrum et Joannem, qui, oratione absoluta, e templo egressuri erant. — *Porticus Salomonis*, de qua Act. V, 12 et Joan. X, 23 (Jos. *Ant.* 20, 9, 7), erat in parte Templi orientali : ita appellabatur, quia superstes remanserat, quando sacrum ædificium a Nabuchodonosore dirutum fuit. — Stupentes : hæc vox pendet a populus, quod est nomen singulare collectivum; quare fit constructio *ad sensum.*

12. Respondit, *απεκρινατο*, quod in vetere et novo Testamento passim notat, non tantum *respondere ad interrogata*, verum etiam omnino *exordiri sermonem, verba facere, loqui;* nimirum, propter datam aliquam occasionem, ad quam sequens oratio refertur. Quid miramini...? Ex abrupto incipit sermonem, rerum adjunctis solerter usus. Porro, forma interrogativa optime juvat ad captandam turbæ attentionem. — Quasi nostra virtute aut potestate etc. Loco *potestate*, græce in omnibus codicibus habetur *ευσεβεια, pietate*, quæ vera est lectio : in Vulgata autem videtur esse tautologia.

13. Deus Abraham etc. : hanc denominationem Israelitæ Deo sæpe tribuebant, eodem sensu quo dicebant *Deus patrum nostrorum.* — Glorificavit filium suum Jesum, ad invocationem ejus nominis miraculum perficiens, ejusque munus divinum et doctrinam ita confirmans. — Filium suum, *τον παιδα αυτου*, non autem *τον υιον αυτου*, igitur *puerum, servum suum.* Sensu autem eminentiore ita vocatur Jesus, tamquam Messias, secundum morem prophetarum veteris Testamenti, qui ipsum *Servum Dei* (*παιδα* vertunt 70 Interpretes) singulariter et *κατ' εξοχην* appellant (v. gr. Is. XL-LXVI, passim). Quem vos quidem etc. *Quidem, μεν, solitarie* ponitur (cf. ann. ad I, 1); alterum membrum mente supplendum est, hoc modo : *vos quidem morti eum tradidistis, Deus vero ad vitam revocavit.* — Judicante etc. Accuratior esset translatio, si diceretur : *quum hic judicasset illum absolvendum.*

14 * Vos autem sanctum, et justum negastis, et petistis virum homi-
15 cidam donari vobis : * auctorem vero vitæ interfecistis, quem
16 Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus. * Et in fide
nominis ejus, hunc, quem vos vidistis, et nostis, confirmavit
nomen ejus : et fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem
17 istam in conspectu omnium vestrum. * Et nunc, fratres, scio quia

---

14. AUTEM. Illorum agendi rationem opponit sententiæ quam tulerat Pilatus : vir ille ethnicus decrevit Jesum absolvendum, ut innocentem; vos AUTEM, qui prædictiones de Messia in Christo impletas cognoscebatis (vel saltem cognoscere debebatis), eum NEGASTIS, ut Messiam vestrum non agnovistis, sed *repudiastis, damnastis;* imo vero virum homicidam (Barabbam) absolvistis et liberastis. Antithesis est elegans, quæ v. seq. continuatur.

15. AUCTOREM VITÆ : voci *homicidam* opponitur. *Vitam* intellige corporalem. Innuitur Christum creatorem esse : ex quo consequitur et ipsum vere dicendum esse Deum. QUEM DEUS SUSCITAVIT : Petrus Christi resurrectionem tamquam demonstrationis christianæ fundamentum semper et ubique prædicat. Ipsemet jam (supra I, 22) apostolum definivit *Testem resurrectionis Christi.* Huic concinit s. Paulus 1 Cor. XV, 14 : *Si Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est fides vestra : invenimur autem et falsi testes Dei.* Christus, cum ad vitam se ipse revocavit, se verum Deum ostendit : apostoli vero, cum miraculum illud testabantur, divinitatem religionis christianæ argumento certissimo confirmabant.

16. IN FIDE : επι cum dat. notat *causam* qua quid nititur; sensus est : per fidem NOMINIS EJUS, quam habemus *in nomen ejus*, in eum. HUNC CONFIRMAVIT, εστερεωσε, *consolidavit,* nempe crura ejus; pedum firmitatem ei concessit. FIDES QUÆ PER EUM EST, quæ ab eo nobis donata est. Ecclesia docet, contra Pelagianos et semi-Pelagianos, fidem et ipsum fidei initium a nemine haberi posse, nisi per Dei gratiam.

17. Ne audientes nimis offendat, accusationem satis duram, quam statim protulerat (v. 14), jam lenit; et duplici quidem ratione : 1° ex variis sceleris causis, ignorantiam solummodo affert, reliquis non exclusis; 2° ostendit ista omnia fieri debuisse ut Dei decreta et oracula perficerentur. Utrumque autem argumentum adducit Petrus in hunc finem oratorium, ut corda eorum facilius lucretur, et ad pœnitentiam flectat. — ET NUNC, transitionem ad alteram orationis partem inducit.

SCIO QUIA PER IGNORANTIAM FECISTIS : non ignorabant Christi innocentiam, sed nesciebant eum esse Messiam. Hæc ignorantia, utpote vincibilis et aliquatenus voluntaria, imminuit quidem eorum peccatum, præsertim in oculis vulgi, sed non excusavit penitus : quod et Petrus clare significat, quum ad pœnitentiam illos mox adhortetur. Etenim Judæi, si bona fide et diligentia ordinaria egissent, Chistum verum esse Messiam ex ejus miraculis, vita et doctrina, necnon ex oraculis veteris Testamenti in ipso impletis, certo cognoscere potuissent. Inde patet, ignorantiam *principum*, seu Synedrista-

per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri. * Deus autem, 18
quæ prænunciavit per os omnium prophetarum, pati Christum
suum, sic implevit. * Pœnitemini igitur, et convertimini, ut delean- 19

---

rum, *crassam* fuisse culpæque obnoxiam; quæ tamen impudentiæ eorum et audaciæ nonnihil detraxit. — SICUT ET PRINCIPES VESTRI. Eos etiam ex quadam egisse ignoratione, probat s. Paulus 1 Cor. II, 8 : *Si*, ait, *(principes) cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Cf. Act. XIII, 27. Similiter Christus moriens : *Pater*, inquit, *dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt.*

18. DEUS... QUÆ PRÆNUNTIAVIT... IMPLEVIT. *Christum* fuisse *cruci affixum*, *scandalum* erat *Judæis*, ut dicitur 1 Cor. 1, 23. Petrus autem, tamquam orator prudens, dum accusationem gravissimam v. 14 aliquatenus mitigat, simul obstacula removet ut viam sibi aperiat : scandalum illud, quod auditores a fide christiana avertebat, solerter auferre nititur (quemadmodum in 1ª sua oratione fecit, cf. supra II, 23). Hoc sibi vult : *Vos non offendat Messiam morti adeo ignominiosæ se subjecisse; id fieri debuit, ut prædictiones veteris Testamenti eventu confirmarentur.* Animadverte etiam quomodo Apostolus solertissimus, non solum dura verba v. 14 emolliat, tacitamque præveniat objectionem, sed præterea indirecte tradat argumentum pro causa sua certissimum.

DEUS... PRÆNUNTIAVIT PER OS OMNIUM PROPHETARUM (*os* redundat ex hebraismo) : obiter nota divinam ss. Scripturarum inspirationem his verbis firmissime demonstrari. OMNIUM PROPHETARUM. Verum quidem est non *omnes* Prophetas directe et *explicite* locutos fuisse de Messiæ venturi cruciatibus : attamen vox OMNIUM a s. Petro recte adhiberi potuit (contra **De Wette*), neque per hyperbolen accipienda est; namque in singulis prophetarum libris quædam de Christo, mundi Redemptore, saltem sensu typico, intelligenda sunt : atqui mundus revera redimendus erat per Passionem et mortem Messiæ. Ideo etiam Jesus, discipulis Emmauensibus loquens : *incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis... quæ de ipso erant* (Luc. XXIV, 27).

19. UT DELEANTUR PECCATA VESTRA. Vel sola voce *deleantur* contra Protestantes probatur, hominem justificari per veram peccatorum *remissionem*, non per *exteriorem imputationem* justitiæ Christi. Etenim, in justificatione vere *delentur* peccata, non autem, ut isti docent pseudo-Reformatores, solummodo *raduntur*, quasi abrasa mox iterum crescant; multoque minus admittendum est quod contendunt, peccata tantum *tegi*, aut extrinsecus *non imputari*, aut tantum remissa *declarari;* sed plane *expunguntur*, ita ut amplius non existant. Ipsa enim vox græca hic adhibita tantam habet vim significationis, ut doctrinam catholicam certo demonstret; nam ἐξαλείφω proprie valet : *delere quod illitum erat, abstergere liniendo ut nulla amplius vestigia supersint;* et dicitur de exstinguendis literis in *tabellis*. Quod quidem ita fiebat : tabellæ, ut notum est, apud veteres cera erant obductæ, et

20 tur peccata vestra, * ut cum venerint tempora refrigerii a con-
spectu Domini, et miserit eum, qui prædicatus est vobis, Jesum
21 Christum, * quem oportet quidem cœlum suscipere usque in tem-

---

stylo ferreo literæ in eis insculpebantur. Quum autem id quod scriptum erat eradendum videbatur, stylus vertebatur, et obtusa ejus parte cera oblinebatur, atque ita scriptura penitus delebatur (flandr. *uit-vagen*, delere fricando, terendo). Hæc primaria verbi significatio comparet in Apoc. III, 5 *Non delebo nomen ejus de libro vitæ.* Per metaphoram sensus transfertur ad creditorem, qui, cum soluta vel condonata sunt debita, debitorum nomina e libro suo expungit. Porro, in Petri oratione agitur de debitis spiritualibus, quibus peccator sese Deo adstrinxit, quorumque remissionem a Deo per pœnitentiam obtinet. Cf. Col. II, 14 : *Delens* (εξαλειψας) *quod adversus nos erat chirographum.*

20. Ut cum venerint etc. : οπως αν ελθωσιν. Ad explicandum hunc locum tres præsertim dantur sententiæ, quarum ultimam amplectimur :

1ª Sententia. Pœnitemini, ut forte vel ut tandem adveniat tempus illud Messiæ felicissimum, quo restituentur omnia, quodque advenire nequit antequam electorum numerus fuerit completus. Aliis verbis : ut brevi adveniat regnum Dei perfectum et cœleste, regnum Christi gloriosum quod in ultimo judicio condetur. Sed ista ratio pœnitentiæ agendæ (sc. numerum electorum augendo) mihi videtur valde remota et parum efficax ad movendos Judæos : multa secula præterire poterant antequam numerus iste esset completus. Deinde Petrus non dicit *pœnitemini ut citius veniant tempora refrigerii :* gratis additur illud *citius.*

2ª Sententia. Pœnitemini, ut aliquando *vobis* contingat felicitas Dominici illius reditus, utque Deus mittat rursum Christum suum *ad vos* beatitudine donandos; i. e. pœnitemini, ut æternam salutem quondam consequamini. Hæc sententia priore probabilior est; sed eidem obstat dictum fuisse : *ut veniant tempora..., ut Deus mittat Christum,* non autem : *ut vobis adveniant tempora, ut Deus Christum ad vos liberandos mittat.*

3ª Sententia. Pœnitemini, ut, cum venerint (αν pro εαν, quemadmodum Joan. XII, 32 et XIV, 3) tempora refrigerii..., (supple) *etiam vos tum in refrigerio sitis.* Ita nostra Vulgata et Cl. Beelen. Quod vero constructionem attinet, nota in hac sententia dari *protasin* absque *apodosi,* seu alterum propositionis membrum mente reticeri.

Refrigerii, æternæ felicitatis, quæ justis continget *a conspectu Domini,* a Domino (redundat vox *conspectus*), i. e. quam Deus, justorum remunerator, post alterum Christi adventum largietur : Servator enim denuo veniet, missus a Deo, tamquam judex vivorum et mortuorum. — Eum qui prædicatus est vobis refert lectionem προκεκηρυγμενον, quæ ex cap. XIII, 24 orta videtur; sed longe melior est lectio προκεχειρισμενον, quam habent ABCDE etc., quæque significat : *qui vobis destinatus* seu *prœordinatus est,* sc. tamquam Messias.

21. Oportet, nam prædictum est, v. gr. in Psalmo CIX. *Oportet,* ait

pora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os sanctorum
suorum a sæculo Prophetarum. * Moyses quidem dixit : Quoniam 22
Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus
vestris, tamquam me, ipsum audietis juxta omnia quæcumque

Apost. 1 Cor. XV, 25, *illum regnare* (in cœlo, sedentem a dextris Dei), *donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*, i. e. donec Deus omnes ipsi penitus subjecerit : hoc autem perficiet ad finem seculorum, cum Christus judicium extremum exercebit atque omnia instaurabit. QUIDEM, μεν, *solitarium;* supple : qui tamen aliquando, *tempore restitutionis omnium*, ad supremum veniet judicium et tunc *omnia renovabit*, et quasi *regenerabit.*

TEMPORA RESTITUTIONIS OMNIUM, intelliguntur tempora quibus instauratio mundi universi, quæ priore Christi adventu inchoata est, absolvetur. OMNIUM, ait : quia non solum homo, sed etiam res hujus mundi irrationales, quæ simul cum homine ceciderunt, *restituentur*, et non tantum reponentur in statum in quo erant ante peccatum originale, sed in conditionem longe meliorem : cf. Rom. VIII, 19 sqq.; 2 Petr. III, 13. Nota tamen voc. *omnium* non posse absolute sumi, vel cum Origene de ipso diabolo, vel cum aliis hæreticis de damnatis ad pœnas inferni.

QUÆ tempora restitutionis universalis per Messiam efficiendæ (nunc jam inceptæ, ut statim dicebam, postea vero perficiendæ) LOCUTUS EST DEUS PER OS SANCTORUM SUORUM A SECULO PROPHETARUM : i. e. tempora illa *olim* per sanctos prophetas suos prædixit.

22. MOYSES QUIDEM. Huic *quidem*, μεν (γαρ glossema est) respondet και δε, v, 24, hoc sensu : Moyses quidem restitutionem mundi per Jesum Messiam perficiendam prædixit, sed et (και δε) omnes alii prophetæ eam vaticinati sunt. Moyses enim nuntiavit venturum esse magnum prophetam (Messiam), cui foret obediendum sub pœna *exterminationis*, i. e. internecionis, supple, ab illo propheta inferendæ in mundi exitu, quando redibit de cœlo ad judicium universale, et omnia in integrum restituet. — Alii verba Moysis ad v. 20 referunt, eaque sic explicant : quod modo affirmavi, Jesum vobis olim jam promissum fuisse Messiam, illud probo per Moysen dicentem etc. Sed obstat v. 21, in quo clare significatur hic sermonem haberi de prædictionibus quæ spectant ad *tempora restitutionis generalis.*

QUONIAM, ὁτι *recitativum :* cf. ann. ad II, 13.

PROPHETAM SUSCITABIT VOBIS DOMINUS etc., ex Deut. XVIII, 15-19, ad sensum, non ad verba : s. Petrus locum memoriter laudavit. Idem autem oraculum etiam citavit s. Stephanus, infra VII, 37; unde concludimus vel ipsos Judæos hæc verba ad Christum retulisse; idque aliquantulum confirmatur ex Joann. I, 45; V, 45. Attamen contexta oratio in cap. XVIII Deut. manifesto demonstrat ibi sermonem fieri de omnibus veris Prophetis post Moysen venturis : sed, quod probe attendendum est, inter Prophetas illos numerandus est Christus; et primum quidem locum occupat, propterea quod in ipso vis ac mens prophetæ summum attigerit gradum. Ergo de

23 locutus fuerit vobis. * Erit autem : omnis anima, quæ non audierit
24 Prophetam illum, exterminabitur de plebe. * Et omnes prophetæ
a Samuel, et deinceps, qui locuti sunt, annunciaverunt dies istos.

---

ipso præsertim et eminenter intelligendum est quod scripsit Moyses; adeo quidem ut plena significatio verborum, quibus utitur, nonnisi in Christo inveniatur. Hoc certo comprobavit Reinke, *Beitr. zum A. T.* 4 B., s. 291-354. Ergo plane erravit *De Wette* rationalista, quando contendit verba cit. Deut. Christum non spectare, eaque explicanda esse de solis Prophetis veteris Testamenti post Moysen venturis.

TAMQUAM ME, *mihi similem.* In quantum intelliguntur Prophetæ veteris Testamenti collective sumpti, sensus est : Deus semper vobis dabit prophetam *sicut me*, prophetam verum, longe diversum a falsis gentium vicinarum auguris (vide ibi in Deut. v. 14 et 20); igitur prophetam, cui Deus eadem ratione ut mihi voluntatem suam patefaciat, quique eam ad vos fideliter referat, ut ego retuli (qui medius sit Deus inter et populum, sicut ego fui in Sinai, v. 16 ibi in Deut.). Sed talis perfectissime et κατ'ἐξοχην fuit tantum Christus; eamque ob causam verba *sicut me* secundum totam significationis vim ad solum Messiam referuntur : ipse enim fuit anti-typus Moysis. Quasdam autem Moysen inter et Jesum similitudines enumerat BECANUS in opere : *Analogia vet. ac novi Test.*, c. VI, q. 3.

23. ERIT AUTEM : OMNIS ANIMA... EXTERMINABITUR DE PLEBE. *Erit autem* a s. Petro additur; et pro *exterminabitur de plebe* in l. c. Deut. est : *ego ultor existam :* sensus eodem recidit. Quod autem verba attinet, Apostolus in mente forsitan habuit Gen. XVII, 14 : *Delebitur anima illa de populo suo.* Hoc sibi vult : morte morietur; nempe, secundum mentem s. Petri, et quatenus verba Moysis de Messia, Prophetarum Propheta, intelliguntur, morte æterna afficietur, i. e. ad pœnas inferni damnabitur; nimirum quando Judex, ultimo mundi die, malos a justis separabit. Nonnulli interpretes id explicant de eversa Jerosolyma, sub Tito, qua clade, ut diximus ad II, 21, perierunt Judæi increduli, dum contra christiani periculum effugerunt. Verum huic sententiæ repugnat contexta oratio, ex qua patet istam internecionem intelligendam esse de iis quæ in tempore restitutionis omnium (v. 21) fient.

24. OMNES PROPHETÆ A SAMUEL etc., *omnes prophetæ, Samuel et sequentes.* Samuel quidem prædictiones suas scripto non edidit; s. Petrus aliquam de Christo prophetiam traditione conservatam forte memorat; vel respicit ad Nathanis oraculum quod Samuel in 2 Reg. VII, 12 literis consignavit. — DIES, quibus punientur impii, fideles autem salvi erunt : igitur dies alterius adventus Christi seu *restitutionis omnium* (v. 21). Quum autem renovatio illa generalis, quæ extremo mundi tempore perficietur, a priore Messiæ adventu (cujus opus ideo vocatur *regeneratio mundi*) inchoetur : dies isti, qui ab omnibus prophetis prædicti fuerunt, sensu latissimo de universo Messiæ regno intelligi possunt.

* Vos estis filii prophetarum, et testamenti, quod disposuit Deus 25
ad patres nostros, dicens ad Abraham : Et in semine tuo benedi-
centur omnes familiæ terræ. * Vobis primum Deus suscitans 26
Filium suum, misit eum benedicentem vobis : ut convertat se
unusquisque a nequitia sua.

§ 4. *Prima adversus apostolos persecutio* : CAP. IV, 1-31.

Summarium. Interrupta oratione, Petrus et Joannes in vincula conjiciuntur (1-3); nihilominus fidem multi amplectuntur Judæi

---

25. Quæ hactenus dixit jam suis accommodat auditoribus, et ad conclusionem pergit orationis; sed interrumpitur, ut videbimus cap. seq., et in vincula conjicitur. ESTIS FILII PROPHETARUM. Per hebraismum *filius alicujus rei* dicitur *is ad quem res illa, quocumque modo, pertinet.* Sensus igitur est : illa omnia oracula ad vos pertinent; instaurationem Messianicam participabitis, atque summam recipietis felicitatem, si ad Christum convertamini; supple, quemadmodum vicissim pœnas gravissimas patiemini, si impii et increduli permaneatis. — FILII ESTIS TESTAMENTI : ad vos spectat fœdus illud faustum, quod iniit Deus cum patribus nostris, dicens ad Abraham, progenitorem gentis nostræ, Gen. XXII, 18 : ET (pertinet ad locum recitatum) IN SEMINE TUO, per unum e posteris tuis, per Jesum Christum (ut edocemur divinitus hic a Petro, et a Paulo Gal. III, 16), BENEDICENTUR... non tantum Israelitæ, sed OMNES FAMILIÆ (*gentes*) TERRÆ.

26. Ad vos, inquit, pertinet lætum illud fœdus : nam *vobis primum suscitavit* (non de resurrectione ejus a morte, sed de missione dicitur) *filium* (*servum*) *suum et misit* etc. Igitur felicissima fruemini sorte, si fidem amplectamini; at vero (supplendum opinor propter v. 23) pœnas dabitis gravissimas, si fidem respuatis. Jam in hac vita initium erit ac prolusio illarum benedictionum et pœnarum, sed perfecta earum consummatio fiet post ultimum judicium, quando venerint *tempora restitutionis* plenæ et universalis, cum *in refrigerio* erunt justi, impii autem *exterminabuntur de plebe.*

Analysis orationis. Duas habet partes : 1° miraculum, quod modo factum est, probat Christum esse verum Messiam; 2° oportet igitur ut ad ipsum vos convertatis. Duplex autem hæc propositio sic exponitur : 1° claudi sanatio opus est Dei, v. 12[b], ad glorificationem Jesu peractum, v. 13[a] : quem Jesum vos, Judæi, morti tradidistis, v. 13[b] - 15[a], Deus autem ad vitam revocavit, v. 15[b], 16. 2° Adhortatio ad conversionem, v. 17-19, ut participent felicitatem, quam Christus in mundum rediturus afferet, v. 20, 21[a], secundum prophetarum prædictiones, v. 21[b] : eorum oracula jam recitat, ex quibus concludit beatos fore qui Christo crediderint, contumaces vero pœna gravissima afficiendos esse, v. 22-26. Deest peroratio, quum sermo per adventum sacerdotum abruptus fuerit : cf. IV, 1.

(4). Synedrio coacto (5, 6), Petrus causam dicit, audacter asseverans claudum fuisse sanatum per Jesum, utpote verum Messiam (7-12). Synedrii judices inter se deliberant, neque aliam inveniunt expeditam viam, quam ut minitantes prohibeant ne Apostoli Jesum deinceps prædicent (13-18). Hi autem imperterriti respondent Deo potius quam hominibus obediendum esse (19, 20). Propter metum autem populi dimissi (21, 22), redeunt ad suos. (23). His omnibus narratis, preces Deo offerunt pulcherrimas, quibus divinum implorant auxilium, ut, invitis persecutoribus, Evangelium intrepide prædicare idque miraculis confirmare valeant (24-30). In signum auditæ precationis, domus in qua versantur per miraculum commovetur (31).

1 * Loquentibus autem illis ad populum, supervenerunt sacerdo-
2 tes, et magistratus templi, et Sadducæi, * dolentes quod docerent
3 populum, et annunciarent in Jesu resurrectionem ex mortuis : * et
injecerunt in eos manus, et posuerunt eos in custodiam in crasti-
4 num : erat enim jam vespera. * Multi autem eorum, qui audierant
verbum, crediderunt : et factus est numerus virorum quinque
millia.

5 * Factum est autem in crastinum, ut congregarentur principes

---

1. SACERDOTES : gr. cum art., ii ex sacerdotibus qui eo tempore custodiam in templo agebant. ET MAGISTRATUS : rursum cum art., summus ille præfectus, qui omnibus excubitorum manipulis præerat. ET SADDUCÆI : secta quædam erat inter Judæos, Pharisæorum sectæ opposita. Ex Act. XXIII, 8 patet eos fuisse quasi *materialistas*, quum non admitterent spiritus existere præter Deum, atque ideo animi humani spiritualitatem, ejusque immortalitatem, et inde mortuorum resurrectionem negarent. De sectis Judæorum ampliora videsis in *Comm.* nostro *s Matth.*, 3ª ed. p. 175 sq. Sadducæi et sacerdotes, quamvis de cetero essent sibi invicem oppositi, adversus communem adversarium conspirant, quod inter malos fieri solet.

3. ERAT JAM VESPERA : nam multum temporis effluxerat ab hora nona (tertia nostra vespertina), cujus fit mentio supra cap. III, 1.

4. AUTEM, δε, *tamen*, quamvis Apostoli in carcerem fuissent conjecti : quippe crescit celerius ventis agitata arbor. FACTUS EST NUMERUS VIRORUM QUINQUE MILLIA. Non dicit : adjunxerunt se quinque millia ; ideoque opinor numerum christianorum accrevisse usque ad quinque millia VIRORUM, mulieribus puerisque non computatis.

5. CONGREGARENTUR PRINCIPES EORUM, ET SENIORES, ET SCRIBÆ, i. e. omnes Synedrii judices. De *Synedrio* dissertationem tradidimus in *Comm.* nostr. *s. Matth.*, 3ª ed. p. 117-121.

eorum, et Seniores, et scribæ in Jerusalem, * et Annas princeps 6
sacerdotum, et Caiphas, et Joannes, et Alexander, et quotquot
erant de genere sacerdotali. * Et statuentes eos in medio, interro- 7
gabant : In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?
* Tunc repletus Spiritu sancto Petrus, dixit ad eos : Principes 8
populi, et seniores audite : * si nos hodie dijudicamur in benefa- 9
cto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est, * notum sit 10
omnibus vobis, et omni plebi Israel : quia in nomine Domini
nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus
suscitavit a mortuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus. * Hic 11
est lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est

6. Annas vocatur PRINCEPS SACERDOTUM, ὁ αρχιερευς, *summus pontifex*, quia hanc dignitatem olim obtinuerat, nomenque, honoris causa, retinebat. Socer ejus Caiphas tunc eo officio fungebatur. Ampliora vide in *Comm.* nostro *s. Matth.*, 3a ed.

7. Qua virtute, per quamnam potentiam, Deine an alterius, AUT IN QUO NOMINE, cujus jussu et auctoritate, seu per quodnam nomen invocatum, divinumne an aliud, FECISTIS HOC, claudum hic adstantem sanastis? Ob contemptum rem non nominant. Interrogant autem quod sciunt, sperantes fore ut apostoli Christum confiteri non audeant.

8. Repletus Spiritus sancto, i. e. *speciali Spiritus sancti effusione* repletus, nempe per gratiam *actualem*, distinctam ab *habituali* quam die Pentecostes acceperat. Gratia autem hæc actualis ei data erat in hunc finem, ut in istis rerum adjunctis Christum intrepide confiteretur, secundum promissionem divini Salvatoris, Matth. X, 19, 20; Luc. XII, 11.

9. Si : istud *si* subtilitate rhetorica haud vacat : ponamus *quoniam* et minor erit vis nullumque acumen. Si JUDICAMUR IN BENEFACTO, επι ευεργεσιᾳ, *de benefacto :* nota verbum apte electum : accusare aliquem benefacti ! In quo iste salvus factus est, *per quem sanatus est.*

10. Quem Deus suscitavit a mortuis. Ad quæstionem ita respondet ut scandalum crucis removeat, Jesumque Messiam esse simul demonstret. Quis Apostoli solertiam non miretur?

11. Hic est lapis qui reprobatus est a vobis etc. Tum crucis ignominiam, quum gloriam resurrectionis prædictas fuisse ostendit e Ps. CXVII, 22. Verba autem ista ad Messiam sæpissime referuntur, ut Matth. XXI, 42, 1 Petr. II, 7 etc.; et *secundum literam* de eo intelligenda videntur, quia in Davidem non quadrant ea quæ a versu 22 habentur. Quum vero prior pars Psalmi (1-21) Messiæ non conveniat, adeoque sensu *literali* ad David spectet, dicendum est vatem v. 22 de se ipso ad Messiam subito transiisse, quasi raptu prophetico commotus et abductus : cujus quidem rei exempla etiam alibi in Scriptura reperimus.

A vobis ædificantibus, quorum officium erat spiritualem Dei domum

12 in caput anguli : * et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud
nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos
fieri.
13 * Videntes autem Petri constantiam, et Joannis, comperto quod
homines essent sine litteris et idiotæ, admirabantur, et cognosce-
14 bant eos quoniam cum Jesu fuerant : * hominem quoque videntes
stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere.
15 * Jusserunt autem eos foras extra concilium sedere : et confere-
16 bant ad invicem, * dicentes : Quid faciemus hominibus istis? quo-
niam quidem notum signum factum est per eos, omnibus habitan-

---

ædificare, populum vobis commissum in vero Dei cultu instituere, atque ei Messiæ adventum et sanctam ejus doctrinam prædicare etc.

Factus est in caput anguli. *In* ex hebraismo redundat. *Caput anguli*, summitas anguli, lapis angularis in summo fundamento positus, quo parietes duo (i. e. populus hebræus et gentilis) conjunguntur, suisque fundamentis solide superstruuntur. Lapis igitur ille totius ædificii præcipuus est, tum magnitudine et firmitate, tum loci quem occupat dignitate, tum denique stricta ejus necessitate. Ita Christus in Ecclesia primus est et princeps, magisque omnium necessarius ; ipse etiam singulas Ecclesiæ partes connectit et ad unitatem reducit ; imprimis ex duplici populo, Judæorum et gentilium, unum conflavit et effecit populum christianum. Cf. Ephes. II, 20. Fides in Christum venturum anima est veteris Testamenti et in novo Testamento fides in Christum natum de Maria Virgine, passum, mortuum et ad vitam reversum, fundamentum est, radix et principium justificationis vitæque supernaturalis. Christus centrum est historiæ, saxum medium quo fornix templi (sc. mundi creati) colligatur.

12. Nec aliud nomen est... datum hominibus. *Nomen*, pro *persona*, ut passim alibi, v. gr. supra II, 21. Sensus est : non alium nobis dedit Deus Salvatorem. Et re quidem vera, sine Christo, ejus meritis, salvus fieri nemo potest, videlicet in præsenti rerum ordine (*potuisset* quidem, si Deo placuisset alio modo redimere mundum). Inde nequaquam sequitur sine fide *explicita* in Christo neminem posse salutem æternam consequi. Quæstio hæc apud theologos dogmaticos dedita opera tractatur.

13. Mirabilis Petri in loquendo intrepiditas, quæ ipsosmet judices attonitos reddit, virtutemque vere divinam demonstrat. Videntes Petri constantiam : *παρρησιαν, in dicendo libertatem.* Sine literis : *αγραμματοι, indocti;* non oportet necessario intelligere de iis qui ne legere quidem possunt, qui literas non sciunt. Idiotæ : *ιδιωται* (*ιδιος*), homines *privati* (oppon. magistratibus), inde *plebeii* (oppon. nobilioribus), ut hic. — Et cognoscebant... fuerant, quasi inter parenthesim ponuntur.

16. Non possumus negare, et credere tamen nolunt ! Fides enim ante omnia actus est voluntatis.

tibus Jerusalem : manifestum est, non possumus negare. * Sed ne 17
amplius divulgetur in populum, comminemur eis, ne ultra loquan-
tur in nomine hoc ulli hominum. * Et vocantes eos, denunciave- 18
runt ne omnino loquerentur neque docerent in nomine Jesu.
* Petrus vero, et Joannes respondentes, dixerunt ad eos : Si 19
justum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum,
judicate. * Non enim possumus quæ vidimus et audivimus non 20
loqui. * At illi comminantes dimiserunt eos : non invenientes quo- 21
modo punirent eos propter populum, quia omnes clarificabant id,
quod factum fuerat in eo quod acciderat. * Annorum enim erat 22
amplius quadraginta homo, in quo factum fuerat signum istud
sanitatis.

* Dimissi autem venerunt ad suos : et annunciaverunt eis 23
quanta ad eos principes sacerdotum, et seniores dixissent. * Qui 24

---

17. Comminemur : gr. *minis minemur*, i. e. *severissime comminemur*. In ejusmodi locutionibus, quæ sæpius occurrunt in s. Scriptura, dativus (græce) vim verbi intendit. Ne ultra loquerentur : μη φθεγγεσθαι, nota vim: ne os aperirent, aut ullam vocem ederent; a fortiori ne docerent in nomine hoc. *In* pro *super, de; nomen* pro *persona*, hoc sensu : ne ultra loquerentur de isto Jesu.

19. Si justum est in conspectu Dei, *coram Deo, Deo judice, revera*. Sic Gen. X, 9 Nemrod dicitur robustus venator *coram Domino*, i. e. talis *vere* erat seu *prorsus* erat; aliis verbis, *valde robustus, robustissimus* erat venator. Jonæ III, 3 in hebræo Ninive dicitur *Urbs magna Deo*, i. e. urbs amplissima. Pariter infra Act. VII, 20, Moyses dicitur *gratus* (gr. *formosus*) *Deo*, i. e. homo formosissimus. — Vos potius audire, *vobis potius obedire :* verbum *simplex* ponitur pro *composito* (*obedire* ex *ob* et *audire*). — Judicate. Modeste et reverenter respondent, quod formam attinet; sed quanta intrepiditas in ipsiusmet sensu responsi !

21. Comminantes : προσαπειλησαμενοι, *quum severius* (quam antea v. 17 et 18) *comminati essent*. Clarificabant id quod etc. : gr. *clarificabant Deum propter id quod* etc. In eo quod acciderat : delenda sunt hæc verba; mendosam enim, ut jam animadvertit Ven. Beda, efformant lectionem, ex nota quadam marginali, quæ librarii incuria in textum irrepsit, oriundam.

22. Enim, particula causalis, hunc cum præcedentibus nexum inducit : vere illustre erat hoc miraculum, nam claudus ille plusquam 40 annos natus erat, et ab utero matris isto vitio laborabat.

23. Ad suos : non intelligendi sunt, ut innui videtur v. 31 et 32, soli collegæ, sed fideles generatim, qui congregati erant et procul dubio pro Apostolis Deum precabantur.

24. Unanimiter... : unus certe, nomine omnium, sensa omnium sciens (forte ipsemet s. Petrus), *clara voce dixit*, aliis corde et animo consentienti-

cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, et dixerunt : Domine, tu es qui fecisti cœlum, et terram, mare, et omnia,
25 quæ in eis sunt : * qui Spiritu sancto per os patris nostri David,
pueri tui, dixisti : Quare fremuerunt Gentes, et populi meditati
26 sunt inania? * Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt
27 in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus? * Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, et Pontius Pilatus cum

---

bus. Probabile non est hanc orationem apud ipsos antehac in usu fuisse. — Domine etc. : hæc est jam secunda precatio, quam refert s. Lucas a communitate christiana factam fuisse : primam vide supra I, 24. — Tu es qui fecisti cœlum et terram etc., sign. *tu es potentissimus.* Ratio est præcipua quare spem habeant in ipsius auxilium contra persecutores.

25. Qui Spiritu sancto... dixisti : Quare fremuerunt gentes etc. Non tantum Omnipotens sed etiam Omnisciens es ; prædixisti enim has vexationes, earumque inanitatem simul declarasti. Aliud fiduciæ argumentum : nihil nobis accidet, nisi quod decreveris; atqui statuisti impia istorum conamina fore irrita. — Per os David... dixisti . Quare fremuerunt etc., scil. in Ps. II, 1, qui propheticus est de Christo, saltem in sensu typico, ut probatur ex hoc loco, ex Act. XIII, 33, et ex Hebr. I, 5. Quare (vox irridentis et indignati) fremuerunt : præteritum propheticum pro futuro; vates enim divinus rem futuram sibi in visione exhibitam contemplatus est. Sensus itaque est : *Quare frement gentes,* gentiles, se. Romani milites : supple ex fine v. 26, *contra Dominum et Christum ejus?* Quare populi, ipsi Judæi, meditabuntur inania, talia quæ frustra conabuntur perficere; rursum supple : *contra Dominum* etc. Vide *Comment.* nostr. *in librum Psalmorum* 3 vol., Brugis, 1867 1870.

26. Astiterunt etc. Si cum ed. Vatic. 1598 in fine hujusce versus ponamus signum interrogationis, ante verbum *astiterunt* oportebit repetere *quare,* hoc modo : *quare astabunt reges* (Herodes, Pilatus) *et principes* (judices Synedrii) *convenient adversus...?* Nota tamen in eadem illa ed. 1598 signum interrogationis non haberi in libro Psalmorum, sc. in fine versus 2[i] Psalmi 2[i].

27. Demonstrat oraculum istud nunc jam eventu confirmatum fuisse (quemadmodum fiet per omnia Ecclesiæ secula). — In civitate ista immerito prætermittit textus Receptus, nam in cod. ABDE Sin. legitur. — Jesum quem unxisti, regem constituisti : certe respicit ad Ps. II, 6. *Ipse ego inunxi regem meum* (ita in hebræo; Vulgata autem sic reddidit : *Ego autem constitutus sum rex*). Jesus dicitur *unctus* eodem sensu quo in hoc ipso Davidis oraculo vocatur *Christus,* quod est *unctus* (a *χριω, ungo*). — Populis in plur. propter v. 25; indicat adfuisse Judæos e variis regionibus oriundos, qui occasione Paschatis in Urbem confluxerant.

Gentibus, et populis Israel, * facere quæ manus tua, et consilium 28
tuum decreverunt fieri. * Et nunc Domine, respice in minas 29
eorum, et da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum,
* in eo quod manum tuam extendas ad sanitates, et signa, et 30
prodigia fieri per nomen sancti Filii tui Jesu. * Et cum orassent, 31
motus est locus, in quo erant congregati : et repleti sunt omnes
Spiritu sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia.

§ 5. *Bonorum communitas in ecclesia Jerosolymitana ; historia Ananiæ et Saphiræ :* CAP. IV, 32—V, 11.

Summarium. Florens Ecclesiæ nascentis status, in qua regnat bonorum communitas (32-35). In exemplum adducitur liberalitas Barnabæ cujusdam (36, 37). Ananias autem et Saphira ob fucatam largitionem morte subita divinitus plectuntur (V, 1-11).

---

28. FACERE, non quæcumque voluerunt, sed QUÆ MANUS TUA (metaphora) *potentia tua*, ET CONSILIUM TUUM, *voluntas tua*, DECREVERUNT FIERI. Verbum illud *fieri* valde proprium est; nam ipse Deus non *fecit*, sed suo decreto *fieri* permisit. Regula summa et primaria, quæ historiam mundi uuiversi et singulorum hominum moderatur ac dirigit, præclare exprimitur.

29. RESPICE IN MINAS, ut eas inanes reddas. *Respicere* hic in malam partem ; alibi sæpius, ut Luc. I, 25, in bonam partem accipitur.

30. IN EO QUOD etc. : quæ fiducia, seu dicendi libertas aderit, SI MANUM TUAM EXTENDAS (hebraismus), si potentiam tuam exseras AD SANITATES, ET SIGNA etc., verbo, ad miracula omnis generis. Duo igitur petunt apostoli : robur ad prædicandum non obstantibus persecutionibus (ab his autem liberari non rogant, quod probe notandum), et miraculorum donum. Porro, exemplum eorum necessitatem recurrendi ad piam precationem, quotiescumque vehemens oritur tentatio, aut grave periculum imminet, nobis demonstrat. — JESU : ergo huc tantum spectant eorum preces et vota, ut Jesus glorificetur, ut nomen ejus sanctificetur, utque regnum ejus adveniat !

Analysis apostolicæ istius precationis. Tu, Deus, qui nos adjuvare vales (24^{b}), quique infallibili verbo tuo promisisti fore ut terræ principes et populi Jesum frustra impugnarent (25-27), quum nihil quin permittas fieri possit (28): succurre nobis ut Evangelium intrepidi prædicemus (29), nostraque verba miraculorum dono confirma (30).

31. MOTUS EST LOCUS, tremore quodam miraculoso, in signum precationis benigne auditæ. Quasi divinum *Amen* est, quod piam precationem concludit, ut venuste notat Bisping. ET REPLETI SUNT OMNES SPIRITU SANCTO : speciales gratias, nempe actuales, iterum receperunt, non solum apostoli, sed omnes ibi congregati.

32 * Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una :
nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat,
33 sed erant illis omnia communia. * Et virtute magna reddebant
Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri :
34 et gratia magna erat in omnibus illis. * Neque enim quisquam
egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut
domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vende-
35 bant, * et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem
36 singulis prout cuique opus erat. * Joseph autem, qui cognomina-
tus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum Filius con-

---

32. Autem : transit ab iis, quæ apostolos spectabant, ad illa quæ de novellis discipulis dicenda erant. Erant omnia communia : effectus istius amoris *(cor unum)* simulque ejus argumentum. Cf. II, 44. Sola charitas, et sancta quidem seu supernaturalis, bonorum communitatem inducere potest. Ideoque in cœlis tantum plena, perfecta, et perpetua erit. Felices utique societates religiosæ seu monasteria propter votum paupertatis! Ibi enim vestibulum cœli!

33. Sententia est interjecta, quæ logice refertur ad v. 31; ibi enim notatur priorem petitionem a Deo concessam fuisse, hic vero idem dicitur de altera, nempe de dono miraculorum. Virtute magna reddebant testimonium etc. *Virtus* metonymia est, qua *causa* ponitur pro *effectu*, hoc sensu : magnis editis miraculis. Cf. Rom. XV, 19 *In virtute signorum et prodigiorum*. Testimonium resurrectionis J. C. : en fidei, en Apostolicæ doctrinæ fundamentum et centrum. Et gratia magna erat in omnibus illis. *Gratia*, *χαρις*, Dei favor et auxilium, *erat in omnibus illis*, sc. *christianis*, potius quam *apostolis*, ut colligitur ex *enim* quod in versu sequenti habetur. Gratia directe et proprie non significat eos multitudini jucundos fuisse, sed de divina gratia intelligitur : ut patet ex nexu cum sequentibus.

34. Neque enim : christianos illos omnes fuisse *gratia plenos* ex eo comprobat quod tantas facerent eleemosynas, ut inter ipsos nulli jam invenirentur pauperes.

35. *Ponere aliquid ante pedes alicujus :* multi putant (v. gr. Beel.) nihil aliud significari quam *aliquid alicui committere, concredere*; quemadmodum Act. VII, 57 *Deposuerunt vestimenta secus pedes... Sauli*, coll. Act. XXII, 20, ubi Paulus ait : *Custodiebam vestimenta*. At vero, mihi videtur hæc tacite referri ad servilem subjectionem erga dominos in antiquitate, et præsertim in Oriente : notat ergo profundam venerationem fidelium erga Apostolos.

36. Liberalitas Barnabæ cujusdam in exemplum adducitur. De eodem viro mentio fit Act. IX, 27 et XIII, 1. Levites, e tribu Levi oriundus; ergo sensu lato; stricto autem sensu Levitæ dicebantur qui Templo inserviebant : hi autem erant qui ex triplici familia Gerson, Kahat (Vulg. *Gaath*) et

solationis), Levites, Cyprius genere, * cum haberet agrum, vendi- 37
dit eum, et attulit pretium, et posuit ante pedes Apostolorum.
(CAP. V) * Vir autem quidam, nomine Ananias, cum Saphira uxo- 1
re sua vendidit agrum, * et fraudavit de pretio agri, conscia uxore 2
sua : et afferens partem quamdam, ad pedes Apostolorum posuit.
* Dixit autem Petrus : Anania, cur tentavit Satanas cor tuum 3
mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri? * Nonne 4

Merari originem ducebant (Num. III, 17 sq.). FILIUS CONSOLATIONIS : proprie filius *prophetiæ* (*Bar nebouah*); Lucas dicit παρακλησεως, quia prophetiæ charisma datum erat in παρακλησιν, cf. Comm. nostr. in Ep. Paul. ad 1 Cor. XIV, 1. — CYPRIUS GENERE, natus in insula Cypro.

37. CUM HABERET AGRUM. Ex Jerem. XXXII, 7 novimus sacerdotibus (adeoque et Levitis) olim jam licitum fuisse agros emere; unde concludimus præscriptiones legis Mosaicæ, circa sacerdotum et Levitarum possessiones a multo tempore relaxatas vel mutatas fuisse.

1. AUTEM. Ingenuæ Barnabæ liberalitati fucata agendi ratio Ananiæ et Saphiræ opponitur. In pulcherrima lætissimaque imagine primitivæ Ecclesiæ, quam s. Lucas hactenus descripsit, prima nunc occurrunt lineamenta deformia, quæ tristitiam animi movent. Inter frumentum purissimum semper miscentur paleæ.

2. FRAUDAVIT : græce verbum medium νοσφιζομαι (a νοσφι, *seorsum*, hinc νοσφιζω, *seorsum facio, seorsum pono*), i. e. *mihi*, in meos usus, *aliquid seorsum pono*, mihi immerito reservo quidquam illorum quæ in communem aliorum usum cedere deberent, rem aliquam subduco, per fraudem retineo, etc. Ergo, miseri isti christiani ex inani gloria rem suam vendiderunt, speciem virtutis præ se ferentes, atque pessime mentientes.

3. TENTAVIT. Non ideo culpandus erat, quod *tentasset* eum satanas, cum id impedire haudquaquam possit homo. Itaque accuratius est verbum, quod in omnibus fere codicibus antiquis textus primigenii, et in versionibus vetustissimis, legitur : επληρωσεν, *implevit*, quæ quidem vox omnino innuit malæ satanæ suasioni consensum ab Anania datum fuisse : de cetero istud factum fuisse aperte dicitur v. 4. — MENTIRI SPIRITUI SANCTO. Duplici modo explicatur : vel de voto paupertatis quod fecisset Ananias, seu de expressa et solemni promissione qua Spiritui sancto se adstrinxisset : ita ss. Chrys., Aug., Hier., Greg. Vel dici potest ipsi mentem fuisse decipiendi apostolos, qui erant Spiritu sancto pleni, in quibus Spiritus sanctus habitabat (ut colligitur ex II, 4; XV, 28; IV, 8). Cyrillus Jerosolymitanus et Alexandrinus huic ultimæ sententiæ favent.

4. NONNE MANENS, sc. nondum venditum, TIBI MANEBAT, pleno jure id possidebas? Sensus est : nonne tuum erat antequam venderetur? nonne libere illud vendidisti? ET VENUMDATUM, etiam post venditionem, pretium IN TUA POTESTATE ERAT, quamdiu, quod mente supplendum est, illud Deo non consecraveras, sive per votum proprie dictum, sive per eleemosynam

manens tibi manebat, et venumdatum in tua erat potestate? Quare
posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed
5 Deo. * Audiens autem Ananias hæc verba cecidit, et expiravit. Et
6 factus est timor magnus super omnes, qui audierunt. * Surgentes
7 autem juvenes amoverunt eum, et efferentes sepelierunt. * Factum
est autem quasi horarum trium spatium, et uxor ipsius, nesciens
8 quod factum fuerat, introivit. * Dixit autem ei Petrus : Dic mihi
mulier, si tanti agrum vendidistis? At illa dixit : Etiam tanti.
9 * Petrus autem ad eam : Quid utique convenit vobis tentare
Spiritum Domini? Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum

---

mihi oblatam. — *Ponere in cor*, hebraismus : *in animum inducere, decernere* aliquid facere. — MENTITUS ES DEO : quum v. 3 dixerat eum *mentitum fuisse Spiritui sancto*, ss. Patres ex conjunctione utriusque versiculi divinitatem et personalitatem Spiritus sancti contra Macedonianos merito concluserunt.

5. CECIDIT ET EXSPIRAVIT : cave ne dicas, cum nonnullis, mortem naturaliter illatam per vehementem nervorum commotionem, ex subito et ingenti terrore ortam. Universa enim narrationis series huic repugnat opinioni. ET FACTUS EST TIMOR MAGNUS SUPER OMNES QUI AUDIERUNT (textus Receptus addit ταυτα *hæc*, sed glossema est e v. 11). Hoc in antecessum notatum fuisse multi putant, quum res necdum percrebuisset; sed verba επι παντας τους ακουοντας ad personas ibi præsentes referri possunt.

6. JUVENES, οἱ νεωτεροι, et v. 10 οἱ νεανισκοι; articulus ille demonstrat, non juvenes quoslibet, aut tales qui junioris essent ætatis designari; quemadmodum in novo Testamento vocantur οι πρεσβυτεροι, non homines provectæ ætatis, sed viri quidam peculiaris dignitatis et officii, qui ordine sacerdotali erant insigniti. Juvenes autem, de quibus Lucas loquitur, videntur fuisse ii, qui in publicis Ecclesiæ conventibus (ubi certe accidit res narrata) definitum aliquod officium exercebant, v. g. conclave parabant, libros sacros afferebant, sedes mensasque collocabant etc.; vel etiam munera sacra peragebant inferioris ordinis, v. gr. tamquam Diaconi (ministri, vide infra ad VI, 1-6). Hoc admisso, facile mente concipimus quomodo, nemine monente, surrexerint. AMOVERUNT, συνεστειλαν. Verbum συστελλω proprie sign. *simul mitto, simul pono, compono;* hic cadaver *compono* seu *præparo* ad funus, quod fiebat fasciis linteisque illud involvendo.

8. ETIAM TANTI. Potius : *sic est! tanti* vendidimus.

9. QUID CONVENIT VOBIS TENTARE SPIRITUM DOMINI? i. e. tentare utrum apostoli, in quibus est Spiritus sanctus, fraudem detegerent. *Tentare Deum* sæpe dicitur in V. T. de eo qui Dei potentiam, vel benignitatem, vel omniscientiam, quasi explorare velit, de ea impie dubitans. Hic de omniscientia explorata intelligitur.

ECCE PEDES... AD OSTIUM : eo ipso momento strepitus accedentium juvenum audiebatur ante portam conclavis : res plane dramatica!

ad ostium, et efferent te. * Confestim cecidit ante pedes ejus, et 10
expiravit. Intrantes autem juvenes invenerunt illam mortuam : et
extulerunt, et sepelierunt ad virum suum. * Et factus est timor 11
magnus in universa ecclesia, et in omnes, qui audierunt hæc.

§ 6. *Secunda adversus apostolos persecutio* : CAP. V, 12-42.

Summarium. Ecclesia crescit per miracula, quæ faciunt apostoli (12-16) : hi autem a Judæis in carcerem conjiciuntur (17-18), ex quo noctu per angelum liberati (19), diluculo in templo docent (20, 21a). Interim congregantur Synedrii judices (21b), et apostolos arcessunt (21c) : quum autem audiant eos in carcere inventos non esse (22-24), sed in templo docere populum (25), jubent ut sine vi adducantur (26, 27), eosque de spreto imperio interrogant (28). Respondet Petrus Deo potius quam hominibus obediendum esse (29), et rursum affirmat Jesum esse Messiam (30-32). Judices ideo ira incensi eos interficere cogitant (33). Illud autem consilium dissuadet Gamaliel, eo quod nihil profuturum sit (34-39). Apostoli tamen flagellis cæduntur, et denuo prohibentur Jesum

---

EFFERENT TE. S. Petrus mortem istorum non efficit ipse, neque eam imprecatur quidem, sed solummodo nuntiat, ut notant ss. Patres contra Porphyrium. Recens rationalista *De Wette* post *Baur*, Porphyrii accusationem renovans, Petri agendi modum crudelitatis insimulavit, atque contendit haud decuisse ut peccatores medio in peccato per Spiritum sanctum e vivis subito auferrentur. Resp. Ad Petrum quod attinet, vel rem prædicit tantum, vel ad summum Dei instrumentum est : igitur in Deum causa universa refundenda est. Nihil autem in hac Dei actione rectæ rationi vel divinis attributis repugnat, quia crimen erat ingens (auctoritas enim apostolorum directe, et qua talis, contemnebatur), quod natum erat communitatem christianam funditus evertere, ex quo præterea publicum scandalum oriebatur etc.; prompta igitur atque severa pœna, præsertim primis istis Ecclesiæ temporibus, requirebatur. Quod tandem peccatores, in malo statu dum versantur, improvisa morte abripiantur, id sæpe permittit Deus secundum sanctissima et rectissima justitiæ suæ decreta. Animadvertisse juvabit s. Petrum auctoritate divina, tamquam Dei supremi Vindicis vices gerens, jus puniendi, seu, ut aiunt, *potestatem coercitivam*, in Ecclesia primum exercuisse.

11. ECCLESIA : primum in Act. occurrit nomen *Ecclesia* sensu proprio et catholico sumptum; antea sermo fiebat de *fratribus* (I, 15), de *credentibus omnibus* (II, 44), de *multitudine credentium* (IV, 32). Paulatim crescit, formatur ac perficitur corpus illud Christi mysticum.

prædicare (40). Læti abeunt quoniam digni habiti sunt pro Jesu contumeliam pati (41), nec vetito obsequuntur (42).

12 * Per manus autem Apostolorum fiebant signa, et prodigia
multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis.
13 * Ceterorum autem nemo audebat se conjungere illis : sed magni-
14 ficabat eos populus. * Magis autem augebatur credentium in
15 Domino multitudo virorum ac mulierum, * ita ut in plateas ejice-
rent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut, veniente
Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et
16 liberarentur ab infirmitatibus suis. * Concurrebat autem et multi-
tudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros, et vexatos
a spiritibus immundis : qui curabantur omnes.

---

12. Hic rursum, quemadmodum II, 43 sq., IV, 32 sq., interjicitur generalis quædam animadversio de læto Ecclesiæ incremento. OMNES (ἁπαντες, nemo hactenus id facere prætermittebat), tam apostoli quam fideles, ERANT UNANIMITER etc., ὁμοθυμαδον, *uno animo* conveniebant ad templum, in locum maxime publicum, libere et nihil timentes, propterea quod populus apostolos multum venerabatur. IN PORTICU SALOMONIS : vide supra III, 11. Non obliviscamur oportet eos vespere solitos fuisse convenire inter se solos, cum cœtus sacros et liturgicos celebrarent : vide II, 16.

13. CETERORUM, illorum qui fidem nondum amplexi erant : iidem qui statim dicuntur *populus*. AUDEBAT SE CONJUNGERE ILLIS, familiariter uti christianis (*omnes* v. 12), eorum societati seu cœtui sese adjungere, propter existimationem magnam (*magnificabat*), et reverentiam, et sanctum timorem, quibus in eos affecta erat multitudo.

14. Hic versiculus a multis habetur pro parenthesi, propterea quod v. 15 *ita ut* etc. ad v. 13 referendum esse putent. Sed necesse non est ad parenthesim recurrere : quia enim populus christianos et imprimis Apostolos, eorum duces, magnificabat, facile intelligimus credentium numerum in dies crevisse; ex utroque autem factum fuisse ut fama augeretur Apostolorum, et præsertim Petri eorum principis seu antesignani, utque ideo infirmi per plateas exponerentur.

15. IN PLATEAS EJICERENT INFIRMOS, gr. *per plateas exponerent.* — PETRO : hic ceteros apostolos ubique antecellit, utpote Ecclesiæ caput. SALTEM UMBRA : igitur ut Petrus eos contactu aut benedictione sanaret, vel saltem ut umbra ejus super eos transiret.

16. De *dæmoniacis* vide *Comm.* nostr. *s. Matth.* 3ª ed. p. 261-264. Præcipua doctrinæ nostræ capita sunt : 1° dæmoniacos a spiritu nequam vere possessos fuisse; 2° eos ab infirmis, aut ægrotis cujuscumque generis, distinguendos esse; quamvis 3° ipsi varios morbos, aut saltem aliquod malum corporale, simul paterentur; 4° ideoque Christum de iis secundum

* Exurgens autem princeps sacerdotum, et omnes qui cum illo 17
erant, (quæ est hæresis Sadducæorum) repleti sunt zelo : * et 18
injecerunt manus in Apostolos, et posuerunt eos in custodia
publica. * Angelus autem Domini per noctem aperiens januas 19
carceris, et educens eos, dixit : * Ite, et stantes loquimini in tem- 20
plo plebi omnia verba vitæ hujus. * Qui cum audissent, intrave- 21
runt diluculo in templum, et docebant. Adveniens autem princeps
sacerdotum, et qui cum eo erant, convocaverunt concilium, et
omnes seniores filiorum Israel : et miserunt ad carcerem ut addu-
cerentur. * Cum autem venissent ministri, et aperto carcere non 22
invenissent illos, reversi nunciaverunt, * dicentes : Carcerem qui- 23
dem invenimus clausum cum omni diligentia, et custodes stantes
ante januas : aperientes autem neminem intus invenimus. * Ut 24
autem audierunt hos sermones magistratus templi, et principes

---

veritatem locutum esse, non autem superstitiosis Judæorum sententiis sese exterius accommodasse; 5° tandem, in facto *possessionum* nihil sanæ rationi aut divinis attributis repugnare.

17. Innuitur summum sacerdotem (Annam IV, 6) fuisse *Sadducæum;* saltem novimus, eum, in istis rerum adjunctis, cum Sadducæis contra apostolos conspirasse, ut etiam legimus cap. IV, 1.

18. In custodia publica. Tamquam rei criminis manifesti, conjiciuntur in carcerem *publicum;* non in carcerem *privatum*, quasi adhuc examinandi sint.

19. Apostoli omnes in vinculis erant; res Ecclesiæ videbatur plane desperata : sed eo ipso momento suis adest Deus. Inde discamus numquam spem amittere, neque in re propriæ salutis, neque in iis quæ ad Ecclesiam Christi spectant. — Rationalistæ biblici, qui liberationem hanc absque miraculo explicare volunt, conatu magno magnas nugas inveniunt; nec vacat istas singillatim commemorare.

20. Stantes loquimini, i. e. *constanter :* igitur verbum *stantes* non redundat. Omnia verba vitæ hujus : res omnes, omnia capita doctrinæ hujus, pro qua in carcerem conjecti fuistis, quæque ad *vitam* ducit æternam.

21. Quanta promptitudo! Quanta intrepiditas! — Et omnes seniores : non solum eos e populi senioribus qui judices Synedrii erant, sed omnes omnino istos principes, ideo ut congregatus fuerit cœtus quam frequentissimus. Tanta jam est Ecclesiæ potestas, ut adversarii omnem vim suam adhibendam esse sentiant. Miserunt : supple *ministros.*

24. Sermones : post hoc vocabulum in nonnullis codicibus inseritur ὁ τε ἱερευς, quæ lectio admittitur a *Tisch. et a Bisp.; significatur sacerdos κατ'ἐξοχην, summus sacerdos. — Magistratus templi, cf. cap. IV, 1. Et principes sacerdotum : qui summo sacerdotio functi fuerant, et capita viginti

25 sacerdotum ambigebant de illis quidnam fieret. * Adveniens autem
quidam nunciavit eis : Quia ecce viri, quos posuistis in carcerem,
26 sunt in templo stantes, et docentes populum. * Tunc abiit magi-
stratus cum ministris, et adduxit illos sine vi : timebant enim
27 populum ne lapidarentur. * Et cum adduxissent illos statuerunt
28 in concilio : et interrogavit eos princeps sacerdotum, * dicens :
Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto : et
ecce replestis Jerusalem doctrina vestra : et vultis inducere super
29 nos sanguinem hominis istius. * Respondens autem Petrus, et
Apostoli, dixerunt : Obedire oportet Deo magis quam hominibus.
30 * Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemi-

---

quatuor ordinum in quos divisi erant sacerdotes. Quare hi potius quam ceteri Synedristæ? Ideo forsitan quod præfecti essent excubiis quæ carcerem custodierant. — AMBIGEBANT, διηπορουν (cf. II, 12), *dubii inquirebant* DE ILLIS sermonibus, QUIDNAM FIERET, quidnam hoc esset, quomodo apostoli sic evadere potuissent.

28. PRÆCIPIENDO PRÆCEPIMUS, *severissime* præcepimus; cf. IV, 17. In textu Recepto, et in codd. DE, et verss. sahid., syr., æth. etc., *interrogatio* est : ου παρηγγειλαμεν ; *nonne præcepimus?* Attamen codd. AB Sin., vers. copt. et Tischendorf absque interrogatione legunt sicut Vulgata : et merito quidem, quum interrogandi particula ου interjecta fuerit propter verbum *interrogavit* v. præc. Possumus autem interrogationem a principe factam ponere in istis : *Vultis inducere* etc.? — NE DOCERETIS IN NOMINE ISTO, ne de (*in*) persona (*nomine*) Jesu loqueremini, ne Jesum prædicaretis. VULTIS INDUCERE SUPER NOS SANGUINEM HOMINIS ISTIUS, quasi nos illum injuste occiderimus. In Evangelio narratur eos coram Pilato exclamasse : *Sanguis ejus super nos!* nunc jam timent ne horrendum illud votum perficiatur; mox vero in clade Jerosolymitana misere experientur id quod impie exoptaverunt.

29. RESPONDENS PETRUS ET APOSTOLI : Petrus suo omniumque apostolorum nomine loquitur. OBEDIRE OPORTET DEO MAGIS QUAM HOMINIBUS : effatum vere aureum, quod præcipuum hominis cujusvis officium, et simul maximam humanæ naturæ dignitatem paucis complectitur. Verba hæc, quum ab hominibus infirmis, coram mundi principibus et potestatibus, tranquille proferuntur, sublimem quamdam præ se ferunt simplicitatem. Supra jam IV, 19 simile quid dixerat Petrus : *Si justum est... vos potius audire quam Deum, judicate.*

30. DEUS SUSCITAVIT JESUM, εγειρεν, e semine David nasci fecit, ut III, 22 et XIII, 23; seu potius εγειρεν εκ νεκρων, *suscitavit a mortuis*, ut explicat s. Chrys., et ut innuitur per antithesim *quem vos interemistis;* cuique interpretationi favet etiam quod s. Petrus, absque alia mentione de resurrectione Jesu, ejusdem *exaltationem* statim memoret.

stis, suspendentes in ligno. * Hunc principem, et salvatorem Deus 31
exaltavit dextera sua ad dandam pœnitentiam Israeli, et remissio-
nem peccatorum. * Et nos sumus testes horum verborum, et 32
Spiritus sanctus quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.
* Hæc cum audissent, dissecabantur, et cogitabant interficere 33
illos.

* Surgens autem quidam in concilio Pharisæus, nomine Gama- 34
liel, legis doctor honorabilis universæ plebi, jussit foras ad breve
homines fieri. * Dixitque ad illos : Viri Israelitæ, attendite vobis 35
super hominibus istis quid acturi sitis. * Ante hos enim dies 36
extitit Theodas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus
virorum circiter quadringentorum : qui occisus est : et omnes, qui

---

31. HUNC DEUS EXALTAVIT in cœlum, ut esset PRINCEPS seu dux noster et SALVATOR (Beelen ponit hic hendiaden : *princeps* seu *auctor salutis*), AD DANDAM PŒNITENTIAM ISRAELI, ut per eum (per ejus merita) pœnitentiam Israelitis daret. Infra cap. XI, 18 videbimus *gentilibus* etiam salutem offerri per Christum : sed Petrus de gentilibus tacuit, ex prudenti œconomia. — REMISSIONEM PECCATORUM nuntiat, quia peccatum gravissimum eis objecerat, Christicidium; non enim eos ad desperationem adigere, sed potius ad pœnitentiam inducere. O vere Christi discipulos, qui bona pro malis retribuunt!

32. SUMUS TESTES HORUM VERBORUM, *rerum* (per hebraismum), sc. resurrectionis Christi, et ascensionis ejus. ET SPIRITUS SANCTUS testis est, per varia charismata, v. gr. per donum miraculorum.

33. DISSECABANTUR, quasi serra in duas partes secabantur, ob animi furorem, et vehementem stomachum (idem verbum occurrit infra VII, 54). Metaphora deducta est a moribus orientalium, apud quos corpora scelestorum hominum aliquando serra secabantur. Latini eodem sensu dicerent : *cor et cerebrum illis findebantur;* Galli autem : *crever de dépit.*

34. PHARISÆUS, appositio ad *quidam :* surrexit quidam in cœtu, nempe aliquis Pharisæus, NOMINE GAMALIEL. S. Scriptura semel tantum illum deinceps memorat, infra XXII, 3, ubi Pauli magister fuisse dicitur. Idem certe fuit qui in Talmude tot laudibus celebratur, scil. filius Rabbi Simeonis, et nepos celeberrimi Rabbi Hillel. Sub Tiberio, Caligula et Claudio synedrio præfuit, et 15 annis ante eversam Hierosolymam mortuus est. Utrum secretam in christianos jam habuerit benevolentiam, cum benignum illud dedit consilium, quod hic refert Lucas, utrum vero postea fidem amplexus sit : res plane dubia est.

36. ANTE HOS ENIM DIES EXTITIT THEODAS. *Enim* sic nectit : attendite vobis, nihil temere decernatis. Sinite modo : mox sua sponte cessabit illa secta, si ex Deo non sit; solet enim fieri ut, auctore sectæ sublato, sectatores ipsi mox evanescant. Quod probo, ait, duplici exemplo.

THEODAS, vel, ut græce, Θευδᾶς. Intelligere oportet perturbatorem quem-

37 credebant ei, dissipati sunt, et redacti ad nihilum. * Post hunc
extitit Judas Galilæus in diebus professionis, et avertit populum
post se, et ipse periit : et omnes, quotquot consenserunt ei,
38 dispersi sunt. * Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus
istis, et sinite illos : quoniam si est ex hominibus consilium hoc
39 aut opus, dissolvetur : * si vero ex Deo est, non poteritis dis-

---

dam ab illo diversum Theuda, vel Theoda, de quo loquitur *Fl. Josephus*, Antiq. XX, 5, 1, quum nec tempora, neque alia rerum adjuncta concordent. Etenim Theudas, de quo Josephus, vixit sub Claudio, Gamalielis autem oratio multo ante, sub Tiberio, habita fuit. Non ideo tamen neganda est existentia nostri Theodæ : in ista enim ætate hujusmodi seditiones sat frequentes erant inter Judæos; deinde nomen illud apud ipsos sæpe occurrit; tandem Josephus multa silentio præteriit, quorum veritas neutiquam in dubium vocari potest; v. gr. cædem puerorum Bethlehemiticorum, de qua Matth. II, 16. Forte etiam factum illud in se non satis magni momenti erat, ut in historiam referretur (unus occisus, et 400 sectatores dispersi!). Reischl opinatur Theodam, de quo Gamaliel locutus est, fuisse illum *Matthiam* (nomen hebr. significat θεοδοτον, unde Θεοδας vel Θευδας) qui sub Herode M. tumultum excitavit et morti traditus fuit : lege Jos. *Ant.* 17, 6; *Bell. Jud.* 1, 33, 2. Quocumque modo res se habeat, veracitate et divina inspiratione Lucæ nixi, prorsus negamus errorem historicum, seu, ut aiunt, *anachronismum* hic haberi (contra **De Wette*).

37. Judas galilæus (Jos. *Ant.* 20, 5, 2; *B. J.* 2, 8, 1), ita vocatus quia in Galilæa seditionem movit, vel *Gaulonites* (Jos. *Ant.* 18, 1, 1) quia ex Gaulonitide oriundus erat : iste contendit Judæos, utpote gentem a Deo electam, Romanis, viris ethnicis, tributum dare non posse. Sectatores ejus fuerunt primi auctores factionis turbulentæ, quæ postea sub nomine Zelotarum seu Sicariorum tantas in Judæos adduxit calamitates. In diebus professionis : tempore census, nimirum illius qui decem vel duodecim annis post eum, de quo Lucas (II, 1 et 2) scribit, factus est : nempe sub eodem Quirino præside Syriæ (qui, ut videtur, Syriæ præfecturam bis gessit), postquam amoto Archelao Judæa facta fuerat Provincia Romana (a. 6 nostræ chron., atqui nostra chronologia ortum Jesu tardius ponit, circ. 4 annis). Avertit populum post se. *Breviloquentia*, seu constructio *prægnans* : avertit populum a legitimo suo principe, ita ut *post se* veniret, ut sibi adhæreret.

38. Si est ex hominibus : εαν ῃ, in subjunct., si ponatur fuisse humanum tantum, quod eventus ostendet. Nota hoc revera differre ab istis v. 39 *si ex Deo est*, ει εστιν, in indicativo, quod rem ut probabilem sistit. Gamaliel videtur in hanc propensus esse opinionem, facile fieri posse ut divini quid hac in re habeatur.

39. Ne forte et Deo repugnare videamini : supple *cavete, attendite vobis*, vel quid simile. Hoc ponit *dilemma* seu biceps argumentum : institutum illud novum (quod prædicant Apostoli) vel est a Deo, vel non. Si a Deo,

solvere illud, ne forte et Deo repugnare inveniamini. Consense-
runt autem illi. * Et convocantes Apostolos, cæsis denunciaverunt 40
ne omnino loquerentur in nomine Jesu, et dimiserunt eos.
* Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam 41
digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. * Omni 42
autem die non cessabant in templo, et circa domos docentes, et
evangelizantes Christum Jesum.

§ 7. *S. Stephanus diaconus, protomartyr* : CAP. VI-VII.

I. Septem Diaconi, quos inter eminet s. Stephanus : ejus accusatio judicialis. Cap. VI.

Summarium. Instituuntur septem Diaconi (1-6). Crescit Ecclesia (7), imprimis per miracula s. Stephani (8), cui quidam frustra sese opponunt (9, 10). Illum tamquam blasphemum ad tribunal agunt (11-15).

* In diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum 1
est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur

---

est, illud per internecionem prædicatorum everti non poterit; si vero originem a Deo non habet, necesse non est ut vos illud destruatis, mortis damnando Apostolos : nam sua sponte cadet, quum ejus auctor Jesus jam sit e vivis sublatus. Ergo abstinete vos. Talis ratiocinatio, generatim loquendo, falsa est, et Reipublicæ nociva ; illa abutuntur hæretici, ut impunitatem sibi vindicent. Attamen in istis rerum adjunctis, in quibus eam adhibuit Gamaliel, optimum habuit effectum.

41. A CONSPECTU CONCILII : vox *conspectu* ex hebraismo redundat. DIGNI HABITI SUNT CONTUMELIAM PATI : est *oxymorum*, i. e. elegans conjunctio verborum, quæ prima specie se invicem repellere videntur. — Hæc Apostolorum sensa heroicam sane produnt virtutem.

1. IN DIEBUS ILLIS, dum Apostoli sine timore Jesum et privatim et publice prædicare pergebant (V, 42), qua quidem prædicatione *crescebat numerus discipulorum.* — GRÆCORUM, Ελληνιστων. Quum gentiles in Ecclesiam nondum admissi essent, intelliguntur Judæo-christiani, sive origine Judæi, sive *proselyti,* qui, extra Palæstinam nati et educati, patrio sermone utebantur græco. HEBRÆOS, Judæo-christianos, in Palæstina natos et educatos, qui *hebraice* (secundum dialectum *Aramæam* illius temporis) loquebantur. EO QUOD VIDUÆ, istæ nempe personæ quæ præ ceteris subsidio eleemosynarum indigebant, DESPICERENTUR, minus liberaliter tractarentur, IN MINISTERIO QUOTIDIANO, in distributione illorum quæ ad victum et vestitum spectabant. Natum erat fieri ut Hebræi, qui Terram Sanctam incolebant,

2 in ministerio quotidiano viduæ eorum. * Convocantes autem duo-
decim multitudinem discipulorum, dixerunt : Non est æquum nos
3 derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. * Considerate
ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiri-
4 tu sancto, et sapientia, quos constituamus super hoc opus. * Nos
5 vero orationi, et ministerio verbi instantes erimus. * Et placuit
sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum virum
plenum fide et Spiritu sancto, et Philippum, et Prochorum, et
Nicanorem, et Timonem, et Parmenam, et Nicolaum advenam
6 Antiochenum. * Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum :
7 et orantes imposuerunt eis manus. * Et verbum Domini crescebat,
et multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem valde :
multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.

---

quique lingua sacra utebantur, præstantiores se ac digniores Judæis peregrinis, qui inter gentiles nati et educati erant, reputarent : inde orta est divisio quædam, forte ex optimo fine excitata, quum utriusque partis capita suas viduas amore ac sollicitudine amplecterentur : verumtamen, ut inter homines solet accidere, miseriæ inde magnæ in Ecclesiam irrumpere poterant. Eamque ob causam remedia quædam adhibere Apostoli statuerunt sapientissime.

3. Populus poterat eos eligere, sed Apostoli eosdem *constituere* debebant, coll. v. 6.

4. ORATIONI, sc. sanctis precibus generatim, atque specialiter sacræ Liturgiæ seu Missæ celebrationi, quæ omnium precationum præcipua est (sacrificium enim est orandi forma κατ'ἐξοχην). Notent Evangelii ministri ante omnem laborem precationi sanctæ indulgendum esse : frustra enim plantarent atque irrigarent, si Deus incrementum non daret.

5. PHILIPPUM, de quo vide cap. VIII, 5-40; XXI, 8. ET NICOLAUM ADVENAM, *proselytum*, qui, Antiochiæ natus inter gentiles, Mosaicam religionem amplexus erat. Certe solus erat proselytus, atque ideo ut talis designatur. Noli cum Grotio hunc Nicolaitarum (sectæ de qua Apoc. II, 15) auctorem habere. — Nomina istorum omnium, quum græca sint, innuunt viros Hellenistas, ex prudenti quadam caritate, electos fuisse.

6. ORANTES, sc. Apostoli, IMPOSUERUNT EIS MANUS, quo ritu sacro Diaconatus ordinem eis contulerunt. Vide ad calcem hujus libri excursum 1m : *de Diaconis et Diaconissis*.

7. VERBUM DOMINI CRESCEBAT, postquam nempe concordia inter christianos plene restituta esset, Apostolorumque prædicatio per Diaconos recens constitutos facilior et efficacior facta fuisset. — OBEDIEBAT FIDEI, dictio significantissima pro *fidem amplectebatur* (Rom. I, 5) : fides enim ante omnia voluntatis, potius quam intellectus, actus est.

* Stephanus autem plenus gratia, et fortitudine, faciebat 8
prodigia, et signa magna in populo. * Surrexerunt autem quidam 9
de synagoga, quæ appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et
Alexandrinorum, et eorum qui erant a Cilicia, et Asia, disputantes cum Stephano : * et non poterant resistere sapientiæ, et 10
Spiritui, qui loquebatur. * Tunc summiserunt viros, qui dicerent 11
audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen, et in
Deum. * Commoverunt itaque plebem, et seniores, et scribas : 12
et concurrentes rapuerunt eum, et adduxerunt in concilium,
* et statuerunt falsos testes, qui dicerent : Homo iste non cessat 13
loqui verba adversus locum sanctum, et legem. * Audivimus 14
enim eum dicentem : Quoniam Jesus Nazarenus hic destruet
locum istum, et mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.

---

8. PLENUS GRATIA ET FORTITUDINE. *Et* sign. *præsertim, imprimis,* ut supra cap. I, 14; hoc sensu : habens præcipue illam gratiam quæ dat fortitudinem. Fortassis intelligitur *intrepiditas in prædicando Evangelio.* Vide v. seq.

9. *Libertini* sunt illi qui, antea servi, facti sunt liberi. Qua de causa Jerosolymis exstiterit synagoga hujus nominis, certo dici nequit : nonnulli interpretes opinantur eam ædificatam fuisse a Judæis, qui olim, a. 63 ante Christum, sub Pompeio captivi Romam ducti, postea in libertatem restituti fuerant atque ad patriam redierant. ASIA, non *Minori*, sed *Proconsulari*, de qua vide supra cap. II, 9. Probabilius intelligendæ sunt 5 synagogæ, in duas series divisæ : multæ quippe erant ibi synagogæ (480 secundum Talmud, Megilla f. 73, 4). Animadverte Hellenistas fuisse qui certamen illud magnum inceperint, ideo fortassis quod Stephanus, et ipse Hellenista, multos e popularibus suis ad Christum converteret.

10. SAPIENTIÆ ET SPIRITUI *(hendiadis)*, sapientiæ Spiritus sancti, a Spiritu sancto infusæ. QUI LOQUEBATUR, gr. *quo* (Spiritu) *loquebatur.* Sensus Vulgatæ est : *Spiritui qui in eo, tamquam in organo quodam, loquebatur.*

12. CONCURRENTES : *επισταντες, ex improviso ei adstantes, ei supervenientes* (ut supra cap. IV, 1).

13. LOCUM SANCTUM, Templum, ET LEGEM, sc. Mosaicam.

14. HIC, seu *iste*, per contemptum dicitur. — Jesus haudquaquam asseruit se impio ausu destructurum esse templum Jerosolymitanum, sed prædixit illud propter Judæorum crimina evertendum fore (videlicet a Romanis sub Tito). Neque etiam ipse venit *solvere* legem (Moysis) aut Prophetas, sed *adimplere* et perficere; etenim, per auctoritatem divinam antiqua præcepta in nova et meliora commutavit : cf. Matth. V, 17. Sanctus igitur Stephanus certe non prædicavit diruendum fore Templum Legemque abolendam, eo sensu quo accusatores ejus id affirmabant; sed Christi doctrinam proposuit, hanc nimirum : legem novam veteri fuisse substitutam, adeoque legem Moysis, in ritualibus et judicialibus præceptis,

15 * Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tamquam faciem angeli.

II. S. Stephanus causam suam dicit; lapidibus obruitur : cap. VII.

Summarium. Stephanus, a præside Synedrii interrogatus (v. 1), crimen blasphemiæ in Moysen et Templum, de quo accusabatur, longa oratione diluit. Ut autem ad Moysen veniat, et ostendat se honorifice de illo sentire, ab ovo rem deducit, et historiam populi Hebræi, ab Abrahamo usque ad Moysen, generali modo memorat (2-19). Tunc ad argumentum et scopum suum propius accedens, vitam Moysis sat fuse narrat, tali quidem modo ut eum laudibus efferat (20-43). In ea parte Messiam obiter, v. 37, prædicat, eumque a Moyse nuntiatum esse docet. Dein, ut alteram accusationis partem confutet, sua pietatis sensa erga Templum pandit (44-47); simul tamen superstitiosum Templi cultum, qui Judæorum conversionem ad fidem Christi poterat impedire, indirecte oppugnans (48-50). Sed orationem absolvere nequit; cum enim auditores vehementius objurgare incipiat (51-53), eosque ob hanc causam furore correptos esse animadvertat (54) : *Cœlum,* exclamat, *video apertum!* (55). Isti autem, impetu facto (56), eum extra civitatem protrahunt lapidibusque obruunt (57). Mors ejus pia (58) et magnanima (59).

1 * Dixit autem princeps sacerdotum : Si hæc ita se habent?

---

per promulgationem legis novæ, novorum sacrificiorum etc., sponte cessasse; quod autem spectat ad Templum, forsitan in memoriam revocavit prædictionem de clade Jerosolymitana a Servatore factam (obiter nota Jesum ejusdem criminis contra Templum reum habitum fuisse, Matth. XXVI, 61). Patet inde viros illos falsos fuisse accusatores.

15. Tamquam faciem angeli : quam exhibet angelus, quando corpore indutus humano videndum se præbet. « In faciei pulchritudinem, ait s. Hilarius Arelat. *(Hom. de s. Steph.)*, candor splendorque animi ejus exundabat. » Spiritus s., qui intus erat, præsentiam suam exterius declarabat, vultum Stephani ejusque caput luce fulgida collustrando, quod in historiis sanctorum legimus sæpe factum esse. Hujus rei indicium præbet nimbus (gall. l'*auréole*), qui sanctorum imaginibus appingi solet.

1. Oratio Stephani, viri certe Hellenistæ (VI, 5), in qua vetus Test. secundum 70 citatur, verisimiliter græce habita fuit. Paulus (Saulus), qui absque dubio præsens erat, Lucam, quocum postea arctam contraxit necessitudinem, de argumento a Stephano exposito fortassis edocuit :

* Qui ait : Viri fratres, et patres, audite : Deus gloriæ apparuit 2
patri nostro Abrahæ, cum esset in Mesopotamia, priusquam
moraretur in Charan, * et dixit ad illum : Exi de terra tua, 3
et de cognatione tua, et veni in terram, quam monstravero tibi.
* Tunc exiit de terra Chaldæorum, et habitavit in Charan. Et 4
inde, postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum in terram

---

fieri etiam potuit ut Lucas hanc orationem in documentis suis scriptis invenerit.

2. Priusquam moraretur in Charan. Sed in Gen. XII, 1-5, narratur præceptum illud a Deo datum fuisse quando Abraham *jam morabatur in Charan*. Num ergo est repugnantia ? — Absit ! Etenim Deus id bis jussit : prius, quando Abraham in *Ur Chaldæorum*, quæ urbs erat in Mesopotamia septentrionali (ubi habitabant Chaldæi), jussum accepit exeundi de terra et familia sua ut migraret in *Charan* (alias *Haran*), quæ erat sita ad occidentem oppidi *Ur*, adeoque propius Palæstinam. In *Ur* autem Deus videtur Abrahæ apparuisse, namque Gen. XV, 7 : *Ego Dominus*, inquit, *qui eduxi te de Ur Chaldæorum*. Porro, cum Abraham jam in Charan moraretur, iterum apparuit ei Deus et dixit (ut expresse habetur Gen. XII, 1-5) : *Egredere de terra tua, et de cognatione tua* etc. Ergo, oportet admittere visionem Dei Abrahamo bis concessam fuisse, quamvis semel tantum id diserte narretur in Scriptura.

3. Exi etc. Hæc verba leguntur Gen. XII, 1 (hic recitantur secundum 70, cum parvula quadam differentia; ergo libere seu memoriter fuerunt adducta), et ibi referuntur ad exitum Abrahæ de *Charan :* sed facile possumus admittere eadem vel similia jam dicta fuisse, quando Deus primum apparuit, sc. quando jussit ut Abraham de *Ur* exiret in Charan. Vide statim notata ad v. 2.

4. Postquam mortuus est pater ejus. Contendunt rationalistæ Stephanum rursum (sicut v. 2) memoria lapsum esse, quum Abraham 60 annis *ante* mortem patris e Charan exierit. Quod quidem ita probare conantur :

Abraham, aiunt, natus est, quando pater ejus habebat 70 annos (Gen. XI, 26); ex Charan autem profectus est, quando 75 annorum ætatem habebat (Gen. XII, 4). Igitur, si pater ejus id temporis diem supremum jam obierat, ipse annum 145 non attigit : sed vixit 205 annos, Gen. XI, 32 : ergo non *post* ejus mortem, sed 60 annis *ante*, egressus est Abraham.

Resp. Certum non est Abrahamum natum esse quando pater ejus tantum 70 annos habebat : neque id evincitur ex verbis Gen. XI, 26 *Vixit Thare* 70 *annis, et genuit Abram, et Nachor, et Aran.* Quamvis enim Abraham primo loco nominetur, non constat eum fuisse primogenitum : sic 1 Paral. I, 27 *Filii autem Abraham, Isaac et Ismael*, præponitur Isaac, etsi Ismael natu major esset. Nunc autem, si Abraham natu maximus non fuerit, anno patris 130 nasci potuit : quo posito omnis difficultas evanescit. Saltem adversarii non certo demonstrant Abrahamum fuisse primoge-

5 istam, in qua nunc vos habitatis. * Et non dedit illi hereditatem
in ea, nec passum pedis : sed repromisit dare illi eam in
possessionem, et semini ejus post ipsum, cum non haberet
6 filium. * Locutus est autem ei Deus : Quia erit semen ejus
accola in terra aliena, et servituti eos subjicient, et male tractabunt
7 eos annis quadringentis : * et gentem cui servierint, judicabo

---

nitum : quo jure ergo erroris insimulant Stephanum, virum ceteroquin doctissimum? Quo jure invehuntur in Lucam, scriptorem, ut aliunde probatur, divinitus inspiratum?

Aliam conciliandi rationem proponit *Bisping* : verba Stephani *postquam mortuus est pater ejus* de morte ejus spirituali, de lapsu ejus in idololatriam, vel de exclusione ejus a novo fœdere quod Deus cum Abrahamo iniit, intelligenda esse, secundum traditionem antiquam Judœorum (quam refert Philo, *De migrat. Abrahœ*), qui dicunt Abrahamum e Charan in Terram Promissam profectum fuisse *post mortem patris sui.*

5. Hereditatem, *possessionem.* Optima et firmissima *possessio* Judæis erat *hereditaria* acquisitio; inde in s. Scriptura *hereditas* sæpe ponitur pro *possessione stabilissima et certissima :* v. gr. Hebr. I, 4 *Nomen hereditavit,* possedit, pleno jure obtinuit. Abrahæ nulla possessio in illa regione data fuit, nimirum initio, ante circumcisionem v. 8; postea vero Abraham agrum ab Hethitis emit, Gen. XXIII. — Illi .. et semini ejus : *et* vim habet exegeticam, non conjunctivam, sign. *nempe, scilicet, inquam.* Sic etiam 1 Cor. XV, 29 *Ut quid et baptizantur,* i. e. ut quid, *inquam,* etc. — Cum non haberet filium eo tempore; imo, quamvis ipse esset provectioris ætatis, ejusque uxor sterilis. S. Stephanus fidem Abrahæ tacite commendat, ut innuat se Judæum esse nulla dignum reprehensione, siquidem de patribus suæ gentis male non loquitur, v. gr. de Abrahamo, multoque minus de Moyse.

6. Paraphrasis : *nempe locutus est Deus sic : Posteri ejus* (Abrahæ) *erunt peregrini,* ad modum peregrinorum versabuntur *in terra aliena* (in Ægypto); *et alieni illi* (Ægypti), inter quos commorabuntur, *eos in servitutem redigent et male habebunt, per annos quadringentos.* (V. 7) *Sed gentem, cui servierint, quœcumque sit* (quantumvis potens aut illustris sit, ᾧ εαν δουλευσωσιν), *puniam ego, dixit Deus*; *deinde ex ista servitute exibunt, et colent me in loco hoc* (ubi nunc loquor, in terra Chanaan). Illud autem Dei oraculum, ad sensum quod attinet, legitur partim Gen. XV, 13 et 14, partim vero Gen. XVII, 7 et 8.

Annis quadringentis : numerus rotundus ut Gen. XV, 13; namque exilium Ægyptiacum proprie fuit 430 annorum, ut constat ex Exod. XII, 40, ubi Vulgata nostra (cujus genuina est lectio, et lectioni 70 Intrepretum præferenda) habet : *Habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit* 430 *annorum.* Hoc autem videtur pugnare cum Gal. III, 17 : quoddam conciliationis tentamentum in *Comm.* nostro *Epist. Paulin.* (3ª ed.) ad illum locum reperies. — Alteram difficultatem, ex *genealogia* Moysis deductam, explicatam videsis apud Beelen, ad h. l.

ego, dixit Dominus. Et post hæc exibunt, et servient mihi in
loco isto. * Et dedit illi testamentum circumcisionis : et sic 8
genuit Isaac, et circumcidit eum die octavo : et Isaac, Jacob :
et Jacob, duodecim Patriarchas.

* Et Patriarchæ æmulantes, Joseph vendiderunt in Ægyptum : 9
et erat Deus cum eo : * et eripuit eum ex omnibus tribulationibus 10
ejus : et dedit ei gratiam, et sapientiam in conspectu Pharaonis
regis Ægypti, et constituit eum præpositum super Ægyptum,
et super omnem domum suam. * Venit autem fames in universam 11
Ægyptum, et Chanaan, et tribulatio magna : et non inveniebant
cibos patres nostri. * Cum audisset autem Jacob esse frumentum 12
in Ægypto, misit patres nostros primum : * et in secundo 13
cognitus est Joseph a fratribus suis, et manifestum est Pharaoni
genus ejus. * Mittens autem Joseph accersivit Jacob patrem 14
suum, et omnem cognationem suam animabus septuaginta
quinque. * Et descendit Jacob in Ægyptum, et defunctus est 15
ipse, et patres nostri. * Et translati sunt in Sichem, et positi 16

---

8. Testamentum, fœdus pepigit cum illo (Gen. XVII, 9 et 10), nempe : tu falsis numinibus abjectis me coles, et, in signum illius cultus, circumcisionem observabis : ego vicissim tibi benedicam, multiplicabo posteritatem tuam, eique terram Chanaan in possessionem tradam. — Et sic, post initum fœdus, Deo reddente quod promiserat, Abraham ex uxore sterili genuit filium Isaac, et, ut ipse vicissim fidem exsolveret, circumcidit eum etc.

9. Æmulantes, invidia excitati, vendiderunt in Ægyptum sc. abducendum. Et erat Deus cum eo tamquam tutor.

10. Gratiam et sapientiam (hendiadis), *gratiam* (favorem) *sapientiæ*, sapientia ejus obtentam, seu quam sua Josepho præstitit sapientia. Cf. Gen. XLI, 37 sq.

13. In secundo, supple *tempore*, quando eos iterum misit, cognitus est, *se cognoscendum præbuit* (notione *media*), vel *agnitus fuit* (notione *passiva*), Joseph a fratribus suis, et manifestatum est genus ejus (familia ejus). Pharaoni, Gen. XLV, 1 sq.

14. In animabus (*personis*) septuaginta quinque. In Gen. XLVI, 27, secundum hebræum et Vulgatam, numerantur tantum 70 : sed versio *Septuaginta Interpretum*, quam sequitur Stephanus, computat 75 : nempe annumerantur quinque Josephi nepotes, duo ex ejus filio Manasse, et tres ex ejus filio Ephraim.

16. Translati sunt, nempe *patres nostri* (non Jacob, nam hic prope Hebron sepultus fuit, Gen. XLIX, 29 sq.; L, 13; collato Gen. XXIII). Corpora autem duodecim Patriarcharum, filiorum Jacobi, ex Ægypto

sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis
Hemor filii Sichem.
17 * Cum autem appropinquaret tempus promissionis, quam
confessus erat Deus Abrahæ, crevit populus, et multiplicatus
18 est in Ægypto, * quoadusque surrexit alius rex in Ægypto, qui
19 non sciebat Joseph. * Hic circumveniens genus nostrum, afflixit
patres nostros ut exponerent infantes suos ne vivificarentur.

---

translata sunt in SICHEM. Hoc autem de ossibus Josephi legimus in libro Josue XXIV, 32 : de aliis vero patriarchis silet quidem vetus Testamentum, sed s. Stephanus silentium supplet per traditionem. Nota Fl. Josephum *Ant.* 2, 8, 2 alii traditioni adhæsisse, quum referat omnes patriarchas *Hebrone* sepultos fuisse.

IN SEPULCRO QUOD EMIT ABRAHAM. Emptio hæc non ea est quæ Gen. XXXIII, 19, 20 legitur; namque hæc a Jacob, Abrahæ nepote, satis diu postea facta fuit. Pariter diversa est ab ea emptione, quæ narratur Gen. XXIII, 16-20 et XLIX, 29, 30, ubi Abraham emit *speluncam* ab Ephron filio Seor. Itaque dicendum est, emptionem, de qua mentio fit in hoc loco Actuum, in V. T. nusquam memorari, eamque rursum Stephano per traditionem innotuisse (Beel.).

Bisping opinatur Stephanum in oratione repentina memoria lapsum fuisse, atque Abrahæ adscripsisse quod fecerat Jacob, quia in errorem ductus fuerat ex eo quod simile quid reipsa fecisset Abraham. Neque, addit interpres ille, error hujusmodi divinæ inspirationi repugnat, quum Lucas fideliter retulerit quod Stephanus, qui non erat inspiratus, dixerat. Hæc autem solutio valde audax mihi videtur : ex ea enim sequeretur plurimas longasque pericopas esse in Actibus Apost. (sermones illorum qui non fuerunt inspirati), de quarum divina et infallibili veritate dubitari posset. Præterea, si admittamus intelligi debere emptionem a Jacobo factam, alia oritur difficultas maxima : Hemorem non fuisse *filium* Sichemi, sed *patrem* ejus ; ut constat ex Gen. XXXIII, 19 et XXXIV, 2. Ergo in verbis Stephani iterum ponendus esset error.

17. CUM APPROPINQUARET TEMPUS PROMISSIONIS sc. perficiendæ. Intellige promissionem (v. 6, 7) Abrahæ datam, posteros ejus post 400 annos ex Ægypto reducendos esse.

18. ALIUS REX, ex alia ortus familia, alius *Dynastiæ* (Jos. *Ant.* 2, 9, 1), QUI NON SCIEBAT JOSEPH, ejusque in Ægyptum beneficia ; vel potius, per hebraismum, qui Josephum ejusque præclara gesta respicere nolebat, qui nullo grati animi sensu erga ipsum affectus erat : vix enim mente concipitur regem in Ægypto fuisse, cui Josephi historia esset plane ignota.

19. *Paraphrasis.* Rex ille, dolose agens contra gentem nostram, majores nostros vexavit, *adeo ut* exponerent (græce infin. in genitivi casu cum art. sign. vel finem vel eventum), i. e. exponere adigerentur INFANTES, filios (non *filias*) suos, eo fine ut (vel *adeo ut*) hi in vita non conservarentur. Id narratur Ex. 1, 15 sq.

* Eodem tempore natus est Moyses et fuit gratus Deo, qui 20
nutritus est tribus mensibus in domo patris sui. * Exposito 21
autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, et nutrivit eum sibi in
filium. * Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum, 22
et erat potens in verbis, et in operibus suis.

* Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, 23
ascendit in cor ejus ut visitaret fratres suos filios Israel. * Et 24

---

20. Stephanus jam propius accedit ad binas accusationes contra se latas (cap. VI, 14) diluendas. Quæ præcedunt videntur proœmium sat fusum, quale adhibere solebant Judæi, quando in cœtu religioso verba faciebant; in hoc enim admodum delectabantur, ut initium suæ historiæ, v. gr. vocationem Abrahæ, liberationem ex Ægypto etc., breviter in memoriam reducerent. Ita quoque fecit Paulus, cap. XIII, 17 sq. Attamen, exordium illud ad finem Stephani non prorsus inutile fuisse jam indicavi supra, v. 5 huj. cap.

GRATUS DEO : *αστειος*, *urbanus*, *formosus Deo judice*, *vere formosus*, *formosissimus* (vide annot. ad IV, 19). Ex. II, 2 in hebr. : *vidit puerum bonum esse* : bonus autem de forma corporis hic dicitur, ut Gen. XLI, 22 (in hebr.); 1 Reg. IX, 2.

22. ERUDITUS EST etc. Hoc non expresse dicitur in V. T., sed certo colligi potest ex eo quod a filia Pharaonis educatus fuerit. De cetero id ex traditione noverat Stephanus. Sapientia ista Moysis naturalis sufficiens non est ut rationem reddat eorum quæ fecit ille, in regendo et condendo populo Israel : verum tamen est Deum ea usum fuisse, ex provida œconomia, ut in Moyse aptissimum consilii sui instrumentum haberet.

ERAT POTENS IN VERBIS : sermo fit de Moyse in aula Pharaonis adhuc versante, et dicitur eum gravitate copiaque dicendi plurimum valuisse. Hoc autem non pugnat cum Exod. IV, 10, ubi *impeditioris et tardioris linguæ* fuisse notatur : nam *Deus erat in ore ejus*, ibid. v. 12. Etiam Josephus, Ant. 3, 1, 4, testatur facundiam popularem Moysi fuisse. ET IN OPERIBUS SUIS, sc. muneribus, quæ jussu regis exercuit : noli id referre ad miracula quæ postea fecit.

23. Ex traditione didicit Moysen per 40 annos in aula Pharaonis, deindeque per totidem annos in terra Madian (v. 30) mansisse. Addit v. 36 eum per 40 etiam annos in deserto cum populo Israel fuisse, quod ex Ex. XVI, 35 colligitur. Ergo dux ille vixit 120 annis, ut refertur in Deut. XXXIV, 7.

ASCENDIT IN COR EJUS (hebraismus), *venit ei in mentem, sibi proposuit.* Cf. *ponere aliquid in cor suum*, cap. V. 4. UT, relicta aula, VISITARET FRATRES SUOS : *επισκεψασθαι*, *prospiceret*, *opem ferret* (cf. Luc. I, 78 *Visitavit nos oriens ex alto*) popularibus suis, Israelitis. Suos autem adivit, non per modum *visitationis*, eo consilio ut ad domum Pharaonis deinde rediret; etenim ex Hebr. XI, 24-26 colligi posse videtur ipsum aulam reliquisse in perpetuum.

24. Stephanus ponit tamquam certum rem narratam auditoribus suis

cum vidisset quemdam injuriam patientem, vindicavit illum :
et fecit ultionem ei, qui injuriam sustinebat, percusso Ægyptio.
25 * Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per
manum ipsius daret salutem illis : at illi non intellexerunt.
26 * Sequenti vero die apparuit illis litigantibus : et reconciliabat
eos in pace, dicens : Viri, fratres estis, ut quid nocetis alterutrum?
27 * Qui autem injuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens :
28 Quis te constituit principem, et judicem super nos ? * Numquid
interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Ægyptium ?
29 * Fugit autem Moyses in verbo isto : et factus est advena in
terra Madian, ubi generavit filios duos.
30 * Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis
31 Sina angelus in igne flammæ rubi. * Moyses autem videns, admiratus est visum : et accedente illo ut consideraret, facta est ad

---

esse cognitam, quapropter non dicit injuriam ab Ægyptio Israelitæ illatam fuisse. Percusso Ægyptio, i. e. *interfecto;* sic Matth. XXVI, 31 *Percutiam* (interficiam) *pastorem et dispergentur oves.*

25. Quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis. Videtur Moyses, divinitus admonitus, facinus illud legitime perpetrasse; quamvis Exod. II, 12 legatur huc atque illuc circumspexisse an nemo testis esset: ita enim egit ex prudentia, non ex conscientia mali operis. Salutem, *liberationem a servitute.*

29. Fugit in verbo isto, *propter* hoc verbum : *in,* dicitur de *fundamento quo quis nititur,* inde de *causa ob quam quid fit.* Sunt qui *verbum* per hebraismum sumant pro *res :* fugit, quia res illa nota facta fuerat (Ex. II, 14). Sed nihil impedit quominus sensu proprio intelligamus *verbum :* fugit, quia hoc audierat ex ore viri istius, unde concludebat facinus suum jam vulgatum fuisse.

30. Apparuit illi in deserto montis Sina : at vero, secundum Exod. III, 1, prope montem *Horeb* visus est. — Nihil obstat : *Sina* enim et *Horeb* duo sunt unius montis cacumina; nascuntur, ut ita dicam, radice una, et postea jugis dividuntur.

Angelus, qui videndum se præbuit, versu sequenti vocatur *Dominus,* et loquitur (v. 32) tamquam sit Deus. Pariter in Exod. III, 2-11, ubi idem factum narratur, mox *Angelus Jehovæ,* mox *Jehovah* appellatur (in hebr.). Inde nata est quæstio, multum disputata inter s. Scripturæ interpretes et theologos, de *Theophaniis,* seu de *apparitionibus Dei* sub V. T. Hanc peculiari dissertatione ad finem hujus libri, Diss. 2[a], nonnihil exponere conabimur.

31. Videns rubum ardere, nec tamen comburi.

eum vox Domini, dicens : * Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, 32
et Deus Jacob. Tremefactus autem Moyses, non audebat conside-
rare. * Dixit autem illi Dominus : Solve calceamentum pedum 33
tuorum : locus enim in quo stas, terra sancta est. * Videns vidi 34
afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, et gemitum eorum
audivi, et descendi liberare eos. Et nunc veni, et mittam te in
Ægyptum.
* Hunc Moysen, quem negaverunt, dicentes : Quis te constituit 35
principem et judicem? hunc Deus principem et redemptorem
misit, cum manu angeli, qui apparuit illi in rubo. * Hic eduxit 36
illos faciens prodigia, et signa in terra Ægypti, et in Rubro mari,
et in deserto annis quadraginta. * Hic est Moyses, qui dixit filiis 37
Israel : Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris,
tamquam me, ipsum audietis. * Hic est, qui fuit in Ecclesia in 38
solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, et cum
patribus nostris : qui accepit verba vitæ dare nobis.

---

32. Locus ille v. 32-34 ex Ex. III, 5 sq. citatur secundum 70, sed libere et memoriter.

33. SOLVE CALCEAMENTUM : ὑποδημα (ὑπο *sub*, et δεω *ligo*), soleas. Cf. XII, 8. In Oriente, solvere soleas vel calceos signum est *venerationis*, sicut, apud nos, caput detegere. Cf. Jos. V, 16. Videsis *Comm.* nostr. *s. Matth.*, 3[a] ed. p. 1490.

34. VIDENS VIDI : geminatio Hebræis solemnis, qua vim augeant verbi : *attente vidi*; sic in Ps. XXXIX, 1 *Exspectans exspectavi*, et sæpius. — ET NUNC VENI, ET MITTAM TE. *Et nunc veni* nihil aliud significat quam *itaque, age.*

35. HUNC. In v. 35-38 pronominis demonstrativi, initio positi, repetitio est, quæ quidem ενεργειαν magnam orationi confert. CUM MANU ANGELI. Textus *Receptus* habet εν, *in* (*manu*), i. e. per manum ; verum longe melior est lectio Vulgatæ συν, *cum* (*manu*), quam codd. ABCDE habent. Hujus autem sensus est : misit eum Angeli potestate præditum. *Angelum* intelligunt alii proprie dictum, alii Filium Dei, qui Is. IX, 6 (ap. 70 Int.) *magni consilii Angelus*, et Mal. III, 1 *Angelus Testamenti* vocatur. Vide ad finem libri dissertationem 2[m] : *De Theophaniis.*

37. PROPHETAM etc. : cf. supra cap. III, 22. Stephanus modo ostendit se divinam Moysis electionem atque auctoritatem probe agnoscere; ideoque se nequaquam esse ejus adversarium : nunc ulterius pergens, demonstrat Moysis dignitati se non detrahere per hoc quod novum nuntiet legislatorem, Christum ; siquidem ipse Moyses illum diserte prædixit.

38. ECCLESIA, εκκλησιᾳ (ab εκκαλεω, *evoco, advoco, convoco*), cœtu Israelitarum, quos IN SOLITUDINE, ad radices montis Sinai, convocavit, ut Legem eis

39 * Cui noluerunt obedire patres nostri : sed repulerunt, et aversi
40 sunt cordibus suis in Ægyptum, * dicentes ad Aaron : Fac nobis
deos, qui præcedant nos : Moyses enim hic, qui eduxit nos de
41 terra Ægypti, nescimus quid factum sit ei. * Et vitulum fecerunt
in diebus illis, et obtulerunt hostiam simulacro, et lætabantur in
operibus manuum suarum.
42 * Convertit autem et tradidit eos servire militiæ cœli, sicut
scriptum est in libro Prophetarum : Numquid victimas et hostias

---

promulgaret : cf. Exod. XIX. — ACCEPIT VERBA VITÆ NOBIS DARE, i. e. *legem dare ;* cf. Levit. XVIII, 5 *Custodite leges meas atque judicia; quæ faciens homo, vivet in eis.* Vide Rom. X, 5.

39. CUI NOLUERUNT OBEDIRE PATRES NOSTRI, quamvis tantus esset vir ille divinitus missus. Sed REPULERUNT eum, quando dicebant : *Constituamus nobis ducem* (alium), Num. XIV, 4. AVERSI SUNT etc. : *aversi sunt* a Deo, per cultum falsorum numinum, quum *in Ægyptum* redire vellent (Num. XI, 5 et XIV, 3, 4), vel etiam quum pravos impiosque Ægyptiorum mores imitarentur.

40. FAC NOBIS DEOS. *Deos* est pluralis *majestaticus,* quem adhibent Hebræi pro *singulari,* quando personæ alicujus aut rei magnitudinem et excellentiam indicare volunt. Exemplum sit Exod. XXXII, 4, ubi de uno vituli aurei simulacro dicitur : *Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt* etc. Et Ps. LXXIII, 15 *Siccasti* (*o Deus*) *fluvios Ethan* (*fortes*), i. e. Jordanem, fluvium magnum, exsiccasti, adeo ut Israelitæ sicco pede transierint.

41. VITULUS ille *Apim* Ægyptiorum in Memphis, vel *Mnevim* in Heliopoli, qui erant ambo tauri vivi, effigies *Osiridis,* retulisse videtur.

42. CONVERTIT DEUS : εστρεψε (sensu reflexo), *vertit se ab eis,* gratiæ specialis auxilium subtrahens ; et ita, in pœnam præcedentium peccatorum, TRADIDIT ILLOS SERVIRE MILITIÆ CŒLI, i. e. astra colere tamquam numina. Hæc autem *traditio in peccata* tantum *indirecta* est, quum in eo consistat quod Deus eis gratiam denegaverit ; non *absolute* quidem, nam quamdiu vivit homo gratiam sufficientem habet ; verum noluit amplius eis speciales concedere gratias, per quas ab illo peccato hactenus abstinuerant. Itaque, traditio illa non est *causa* peccati *positiva et directa,* quod Calvinus blasphemavit, sed *negativa* tantum *et indirecta.* Quamobrem Eph. IV, 19, gentiles dicuntur *semetipsos* tradidisse impudicitiæ, dum Rom. I, 24 asseratur *eos traditos fuisse a Deo :* ipsi nempe, per suam pravam voluntatem, erant causa peccatorum suorum proprie dicta ; Deus vero ea permiserat, imo ut committerentur effecerat, in quantum speciales gratias eis dare noluerat, aut ab eis abstulerat. Igitur Dei permissio non intelligitur *nuda* et *iners ;* sed talis quæ cum actu Deì, gratiam specialem et proxime sufficientem subtrahentis, conjungatur.

MILITIÆ COELI. Hebræi *exercitum cœli* vocant 1° Angelorum agmina, Luc.

obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel? * Et 43
suscepistis tabernaculum Moloch, et sidus Dei vestri Rempham, figuras, quas fecistis, adorare eas. Et transferam vos trans Babylonem.

II, 13; et 2° lucida cœli corpora, solem, lunam et stellas. Metaphora, tum a magna stellarum multitudine, quum ab ordine mirabili quo moventur, deducitur. Ultimo sensu hic sumitur de astrolatria seu Sabæismo. Ad priorem maxime significationem spectat dictio : *Deus Sabaoth*, Deus exercituum.

SICUT SCRIPTUM EST IN LIBRO PROPHETARUM. Dicitur *libro* in numero singulari, propterea quod duodecim Prophetæ minores olim apud Hebræos uno continerentur volumine. — Stephanus Amosii verba V, 25-27 (secundum 70 memoriter) refert, ut Israelitas in solitudine impio astrorum cultu deditos fuisse ostendat. NUMQUID : *μη*, quod ad interrogandum adhibetur, quando responsio debet esse *negans*. Sensus igitur est : *non obtulistis mihi sacrificia præscripta;* nam falsis numinibus victimas pluries immolastis.

43. ET pro *sed :* ad morem Hebræorum. qui, propter verborum penuriam simplicitatemque linguæ, conjunctione *waf*, *et*, loco aliarum sæpe utuntur. SUSCEPISTIS TABERNACULUM MOLOCH. *Suscipere : αναλαμβανειν*, proprie *tollere, gestare in humeros, sublatum ferre cum pompa*, quasi in publica supplicatione. Signum autem cultus exterius ponitur pro ipso cultu; ita ut sensus sit : *Moloch coluistis.* TABERNACULUM, in quo erat simulacrum idoli *Moloch*. Fortassis erant tuguriola quædam, quæ Molochi imagunculam continebant; qualia erant sacella illa Dianæ argentea, de quibus Act. XIX, 24; et parvæ figuræ seu statuæ quas Rachel (Gen. XXXI, 34) abscondebat. Israelitæ hanc impietatem clam et inscio Moyse, qui secus eam passus haud fuisset, perfecisse videntur. Attamen dux ille aliquid hujusmodi suspicatus fuit, ut colligitur ex Levit. XVII, 9, ubi prohibet ne alibi quam ad tabernaculum sanctum hostiæ offerantur; præterea, Levit. XVIII, 21, cultum *Moloch* manifesto damnat.

MOLOCH. Loco *του* Μολοχ, quod habent 70 Interpretes, in hebræo legimus *regis vestri :* sed sensus eodem recidit, nam propheta certe intelligit eorum regem cœlestem, numen quod præcipuo cultu venerabantur. *Moloch* seu *melech* in linguis orientalibus seu semiticis significat *Rex*, quo nomine falsi dii solebant vocari, in primis deorum summus. Eadem fere significatio est nominis *Baal* seu *Bel*, i. e. Dominus. *Moloch* autem erat Ammonitarum Moabitarumque numen, in cujus honorem vivi comburebantur pueri (Lev. XVIII, 21; XX, 2). Extra Jerusalem, in valle *Hinnom*, abominanda illa sacrificia quandoque facta sunt (cf. 4 Reg. XVII, 17; coll. XXIII, 10); inde supplicium ignis (cum vivus ardebat homo) in Evangelio vocatur *gehenna ignis*, i. e. ignis devorans, qualis olim fuit in *valle* (hebr. *ge*, i. e. *vallis*) *Hinnom*, seu *Ennom*. Vide *Comm.* nostr. *s. Matth.* V, 22, 3ª ed., a. 1880–1882.

REMPHAM, ut in cod. D, vel *Rompha* ut in cod. B, sed potius *Rephan*, quod

44 * Tabernaculum testimonii fuit cum patribus nostris in deserto,
sicut disposuit illis Deus, loquens ad Moysen, ut faceret illud
45 secundum formam, quam viderat. * Quod et induxerunt, susci-
pientes patres nostri cum Jesu in possessionem Gentium, quas
expulit Deus a facie patrum nostrorum, usque in diebus David,
46 * qui invenit gratiam ante Deum, et petiit ut inveniret tabernacu-

---

plerique codices habent. In hebræo nomen non legitur; ideo auctores nonnulli contendunt Septuaginta Interpretes nomen illud ex traditione didicisse et suo marte addidisse; sed verisimilius est vocem hebræam *Kijoun* (quam nunc legimus) esse nomen proprium alicujus falsi numinis (puta Saturni), quod in Ægypto, ubi Septuaginta Interpretes scribebant, magis notum erat sub nomine coptico *Rephan*. Minus arridet nobis conjectura eorum qui putant 70 Interpretes in suo codice legisse *Kewan*, *Kefan* pro *Refan*, *Rephan*. Quoquo tandem modo res se habeat, omnino videtur intelligendum esse Saturnum (ideo *sidus*).

Trans Babylonem. Amos ait *trans Damascum* (ita etiam apud 70) : attamen dici non potest Stephanum memoria lapsum esse, nam sensum magis quam verba attendit. Res enim eodem recidit : per Syriam, ideoque *trans Damascum*, deportati fueruut *in Babyloniam*.

44. Tentorio illi Molochi, falsi numinis, Dei veri tabernaculum opponit, et alteram accusationem contra se latam, videlicet adversus locum sanctum seu templum se locutum fuisse (cap. VI, 13, 14), absque alia transitione aggreditur. Itaque, dicturus de sua veneratione erga *templum*, rem ab origine repetit, ut supra fecit circa Moysen; nimirum a *tabernaculo*, quod *templi* exemplar fuit, imo quasi *templum portatile*.

Tabernaculum testimonii : ita vocatur, quia testimonia Domini, i. e. legem Dei seu Decalogum, in Arca Fœderis (quæ etiam dicebatur Arca *Testimonii*) inclusum, continebat. — Formam quam viderat : Ex. XXV, 9-40. Docent Rabbini formam illam symbolum fuisse seu imaginem mundi : κοσμος enim templum est seu domus Dei.

45. Patres nostri, *cum tabernaculum sanctum ab avis suis accepissent, id intulerunt, duce Josue*, in possessionem gentium, in terram quam gentiles adhuc possidebant, in terram Chanaan, seu Terram Promissam. — Usque in diebus David : usque ad Davidis tempora stetit mobile illud ædificium. Nota tempora Davidis includi, ut colligitur ex particula græca ἑως, quæ in hoc differt ab αχρι, quod hæc ultima ipsum terminum non comprehendat : cf. Rom. V, 13.

46. Invenit gratiam ante Deum (hebraismus), *carus fuit Deo*. Petiit, optavit, ut inveniret tabernaculum, ut templum Deo ædificare posset; imo vovit requiei non indulgere donec id perfecisset (Ps. CXXXI, 2 sq.; vide Comm. nostr. in Ps.).

lum Deo Jacob. * Salomon autem ædificavit illi domum. * Sed 47-48
non excelsus in manufactis habitat, sicut Propheta dicit : * Cœlum 49
mihi sedes est : terra autem scabellum pedum meorum. Quam
domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietio-
nis meæ est? * Nonne manus mea fecit hæc omnia? 50
* Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus, vos semper 51

---

47. AUTEM hunc inducit nexum : voti compos non factus est; etenim non ipse, *sed* Salomon electus fuit ut domum Deo exstrueret, quemadmodum narratur 2 Reg. VII, 2.

48. Jam indicat quo sensu locutus fuerit contra templum, atque auctoritate Isaiæ se præmunit. Innuit fieri posse, ut Deus templi eversionem aliquando permittat; simul mens ipsi est superstitiosum Judæorum cultum quod templum attinet corrigere, quemadmodum supra fecit cum de Moyse loqueretur.

49. Citat Is. LXVI, 1, non totidem verbis, sed ad sensum. Hæc est ejus ratiocinatio : *Immensus sum,* ait Deus, *et omnia impleo; imo, omnia ipsemet creavi : non ergo indigeo vestro templo : mundus universus templum est meum, quod meis manibus ædificavi.* — CŒLUM MIHI SEDES EST regia, dignior sane quam alæ Cherubim, in Arca Fœderis. TERRA SCABELLUM PEDUM MEORUM, quod Propitiatorio Arcæ longe antecellit. — QUAM DOMUM, *satis amplam,* ÆDIFICABITIS MIHI *immenso?* Hæretici verbis istis abutuntur ad cultum Dei exteriorem reprobandum : verum, mens prophetæ alia non est, quam ut declaret cultum exteriorem absque interiore cordis pietate Deo acceptum nequaquam esse.

50. Sensus est : præterea, quid mihi ædificabitis, quod non possideam antea?

51. Defensionem suam jam abrumpit; vocem quoque suam et formam orationis mutat, vel eo fine ut auditores magis commoveat, vel (secundum quorumdam conjecturam) ideo quod ex murmure gestibusque eorum videat, eos, ira accensos, minime attendere ad ea quæ dicat. Quamobrem eos severius corripiens : DURA CERVICE, exclamat, etc. : σκληροτραχηλοι (fl. *hard-nekkigen*), *qui durum collum habent, qui caput facile flectere nequeunt;* per metaphoram, *qui caput flectere nolunt, qui jugum subire recusant, contumaces* etc. INCIRCUMCISIS CORDIBUS ET AURIBUS. Per translationem rursum dicitur : qui vitia resecare a corporibus vestris non vultis ; qui aures quasi dura pellicula, quam abscindere recusatis, obturatas habetis ; aliis verbis : qui, nec cor Deo obsequiosum, nec aures ei apertas, exhibere vultis ; homines animo depravati, Deo non obtemperantes. — VOS... ITA ET VOS. Vis magna est in pronomine *vos,* quod bis, sc. initio et in fine, ponitur.

SPIRITUI SANCTO RESISTITIS. Contra *Calvinum* et *Jansenium* concludimus inde : hominem in statu naturæ lapsæ gratiæ interiori nonnumquam resistere : ideoque admittendam esse existentiam gratiæ *mere* at *vere sufficientis,* qua homo *hic et nunc* (non, ut volunt Janseniani, omnia rerum adjuncta

52 Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita et vos. * Quem
Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos,
qui prænunciabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores,
53 et homicidæ fuistis : * qui accepistis legem in dispositione ange-
lorum, et non custodistis.
54 * Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis, et stride-

---

abstrahendo) posset, si vellet, bene agere ; quam tamen destituit effectu, mutuam operam ei non dando. Cf. theol. dogm., *Tract. de Gratia* ; ad quæst. de gratia sufficienti.

SPIRITUI SANCTO vere restiterunt Judæi : nam Christi sermones et miracula, quæ sine auxilio Spiritus sancti non fiebant exterius, cum ejusdem Spiritus sancti gratia etiam intus conjuncta erant. Idem dicendum de Apostolorum aliorumque prædicatorum ministerio, quod qui spernebant Spiritui sancto resistebant.

52. Factis jam confirmat quod modo dixit de eorum majoribus. Cf. Matth. XXI, 33 sqq. ; XXIII, 31 sqq. ; 1 Thess. II, 15. — QUI PRÆNUNTIABANT DE ADVENTU JUSTI, i. e. Messiæ *(Justi κατ᾽ἐξοχην)*. Animadverte prophetas veteris Testamenti non ideo fuisse male habitos quod Messiæ adventum prædicerent, sed quod crimina Judæorum corriperent : eorum enim officium erat, non solum res futuras nuntiare, sed etiam populum *docere*, *monere*, *adhortari* et *reprehendere*.

53. Sensus est : *homicidæ* Christi *fuistis*, ideoque *legem* decalogi, quæ hominem occidere vetat, *non custodistis* ; quum tamen lex illa summa veneratione digna sit, utpote *per angelos*, vel saltem *coram angelis*, accepta.

IN DISPOSITIONE ANGELORUM, εις διαταγας αγγελων : verba obscura sunt. Multi explicant : *per ministerium angelorum* ; adeo ut sensus sit, legem Moysis *per angelos fuisse promulgatam* : quod concordat cum sententia eorum, qui dicunt, non ipsum Deum, sed *angelos* tantum, sub vetere Testamento aspiciendos se dedisse. Sed præp. εις cum acc. numquam sign. *per*. Ideo quidam auctores hunc sensum ponunt : *coram agminibus angelorum*. Verum, aliud est quod huic obstet interpretationi, nempe vocem διαταγας in sensu *agminis* nusquam inveniri. Eamque ob causam magis mihi arridet sententia eorum qui sumunt εις cum acc. de *eo quod, ut quid fieret, occasionem dedit* (cf. Matth. XII, 41 in gr.), hoc sensu : *ad dispositiones angelorum* (germanice *auf Anordnungen von Engeln*), i. e. angelis disponentibus omnia quæ ad dandam legem pertinebant. Quæ quidem explicatio cum utraque sententia de *Theophaniis* conciliari potest ; nam angeli forte ordinaverunt omnem apparatum externum, qui in legis promulgatione adhibitus fuit, sed ipsemet Deus videndum se præbuit ut legem traderet. De cetero, Angelos reipsa præsentes fuisse dum lex in Sinai data fuit, ex Deut. XXXIII, 2 concludendum videtur, præsertim si verba hebræa cum vers. Alex., Vulg., samar., chald. etc. conferamus.

54. Auditornm furor, hactenus cohibitus, et paulatim acervatus, nunc tandem erumpit, atque oratori per strepitum clamoresque os occludit.

bant dentibus in eum. * Cum autem esset plenus Spiritu sancto, 55
intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris
Dei. Et ait : Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem
a dextris Dei. * Exclamantes autem voce magna continuerunt 56
aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum. * Et ejicientes 57
eum extra civitatem lapidabant: et testes deposuerunt vestimenta

---

55. Plenus Spiritu s., cum esset in statu quodam in quo vis Spiritus sancti singulariter sese exereret, i. e. in exstasim raptus. Vidit gloriam Dei. *Vidit,* visione *corporea,* non *mentali;* sed, cum in exstasi esset, ipse solus vidit : simile quid *s. Paulo* (Act. IX, 7) et *Danieli* (Dan. X, 7) contigisse legimus. Per *gloriam Dei* seu *majestatem Jehovæ* Hebræi passim designant ipsum *Jehovam,* ubi, igneo splendore circumfusus, hominibus conspiciendum se exhibet : cf. Exod. XVI, 7. Et Jesum (corpus ejus gloriosum) stantem, quod, teste s. Greg. (*Hom.* 19 *in Ascens.*), pugnantis et adjuvantis est; non *sedentem,* quod judicantem vel regnantem significaret. Video coelos apertos : intellige non cœlum *aereum,* sed *empyreum,* beatorum sedem ; quod videtur Ecclesia sentire, quum canat in die festo hujus Sancti : *Stephanus vidit cœlos apertos ; vidit et introivit.* Et Filium hominis, Jesum, qui ita se vocat in Evangelio, ut significet se esse Messiam de quo apud Dan. VII, 13 (vide *Comm.* nostr. *s. Matth.*, ad M. VIII, 20, pag. 407 3æ edit.). Mirare quomodo s. Stephanus Jesum, cujus mortem modo auditoribus exprobravit, fidenti et impavido animo jam prædicet ad vitam revocatum, gloriosaque fruentem immortalitate.

56. Exclamantes : quasi Stephanus, cum ita de Jesu loqueretur, blasphemasset; vociferantur eum lapidibus obruendum (secundum Lev. XXIV, 14; cf. Matth. XXVI, 65, 66), simulque aures obturant, ut verba hujusmodi impia amplius non audiant.

57. Extra civitatem. Moyses (Levit. XXIV, 14, 23) præscripsit ut pœna capitis extra castra inferretur, certe propterea quod facinorosus ut immundus habendus esset; ideo postmodum extra urbes fiebant supplicia. Cf. *Comm.* nostr. *s. Matth.*, 3ª ed. p. 1173. Lapidabant, cæco moti furore, in tumultu populari, absque sententia judicis, sine imperio Romani præsidis, qui tamen solus poterat extremum jubere supplicium. De jure gladii Judæis erepto cf. *Comm.* nostr. *s. Matth.*, 3ª ed. p. 119, 1096.

Testes, quibus præscriptum erat ut primi lapidem in damnatum projicerent (cf. Deut. XVII, 7), deposuerunt vestimenta sua, superiora, nempe pallia, sc. ut manus haberent liberas. Secus pedes adolescentis, qui vocatur Saulus : hoc autem factum non fuit ut ipse ea custodiret, sed actus erat symbolicus quo significabatur Saulum supplicio consensisse, imo præcipuum ejus auctorem atque impulsorem fuisse : cf. v. 59 et Act. XXII, 20. *Adolescens* νεανιος dicebatur juvenis usque ad tricesimum, imo vero, secundum aliorum sententiam, usque ad quadragesimum ætatis annum.

58 sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. * Et lapida-
bant Stephanum invocantem, et dicentem : Domine Jesu, suscipe
59 spiritum meum. * Positis autem genibus, clamavit voce magna,
dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixis-
set, obdormivit in Domino. Saulus autem erat consentiens neci ejus.

§. 8. *Samaritani ad Christum convertuntur. Simon Magus.* CAP. VIII, 1-25.

Summarium. Persecutio excitatur, agente in primis Saulo : fideles disperguntur, sed propagatur Evangelium (1-4). Philippus diaconus Samaritanos, inter quos Simonem magum, prædicatione et miraculis ad Christum convertit (5-13). His baptizatis, Petrus et Joannes Hierosolymis veniunt ut Sacramentum Confirmationis illis conferant (14-17). Simon magus, impio ductus consilio, potestatem dandi Spiritum sanctum emere vult (18,19); ideoque a Petro vehementer corripitur (20-24). Apostoli post evangelizatos Samaritanos Hierosolymam revertuntur (25).

1 * Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ

---

58. SUSCIPE SPIRITUM MEUM, quemadmodum Christus ait : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.*

59. NE STATUAS ILLIS HOC PECCATUM. Christi exemplum qui dixit : *Pater, dimitte illis !* rursum imitatur. Sensus verborum Stephani est : Domine, fac ut isti, peccatum suum detestantes, ejusdem mereantur accipere remissionem! Sanctus martyr ultimis verbis, quæ dum viveret protulit, *divinitatem Christi* præclare confessus est, utpote qui suum ei commendaverit animum, eique potestatem tribuerit dimittendi peccata. Heroica sane in Stephano resplenduit charitas erga Deum, summa cum dilectione erga proximum conjuncta! Et qualis fuit *protomartyr* ille, tales fuerunt innumeri alii martyres. Quis non agnosceret divinam esse religionem, quæ hujusmodi sensa inspirat? — De cetero, efficacissima fuit Stephani precatio; nam si, ut ait s. Aug., ipse non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.

OBDORMIVIT IN DOMINO. Quam pulcherrimum verbum ! quam plenum suavitate et veritate ! *Qui moritur in Domino* i. e. *in gratia Dei*, non *morte* opprimitur, sed dulci quodam *somno* occupatur, ex quo corpus ad immortalitatem *expergiscetur* (Act. XIII, 39; 1 Cor. VII, 39; XI, 30; XV, 18). Atque hinc est quod vox *cœmeterium* (i. e. *dormitorium*) apud christianos usurpetur pro loco sepulturæ, quem ethnici νεκροπολιν vocant.

1. IN ILLA DIE, valet *statim, eodem die*, dum furor populi ac tumultus esset adeo excitatus; ideoque locutio ista non eamdem habet vim ac *in*

erat Jerosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Judææ, et
Samariæ præter Apostolos. * Curaverunt autem Stephanum viri 2
timorati, et fecerunt planctum magnum super eum. * Saulus 3
autem devastabat Ecclesiam, per domos intrans, et trahens viros,
ac mulieres, tradebat in custodiam. * Igitur qui dispersi erant 4
pertransibant, evangelizantes verbum Dei.
* Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, prædica- 5

---

diebus illis, quippe quod tempus minus definitum indicet, nempe *circa illud tempus* (ut Luc. II, 1), imo vero nonnumquam refertur ad eventum qui pluribus mensibus et annis postea contigerit, v. gr. Matth. III, 1. — IN ECCLESIA : *επι την εκκλησιαν*, *in ecclesiam, contra ecclesiam.*

OMNES (*plerique : παντες*, non *ἀπαντες*) DISPERSI SUNT, fugam inierunt, qua in re obsecuti sunt Christo Domino in Evangelio dicenti : *Cum... persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam* (Matth. X, 23). Etenim persecutionem fugere, *per se* licet, imo quandoque oportet. *Per accidens* id facere nefas est, nempe cum Dei gloria et charitas proximi suadent ut quis *confiteatur Christum coram hominibus*, cf. Matth. X, 32 ; atque hæc est ratio quare in iis rerum adjunctis, de quibus sermo habetur hic in Act., apostoli non fugerint, ut narrat s. Lucas dicens : *omnes... præter apostolos*. Vide *Comm.* nostr. *s. Matth.*, 3a ed., p. 471.

2. Versiculi 2 et 3 habendi sunt pro parenthesi, quam inducit particula *δε*. Quamvis statim a lapidato Stephano expulsi fuerint christiani, non tamen sepultura caruit sanctus martyr : nam Judæi quidam pii, qui christiani non erant (*ευλαβεις*, cf. II, 5 : si christiani fuissent, Lucas sane dixisset *αδελφοι* ; præterea christiani dispersi fuerant), illum CURAVERUNT i. e. funus ejus curaverunt : *συνεκομισαν*, proprie cadaver *extulerunt*, sc. ad sepeliendum, ad sepulturæ locum (qui erat extra civitatem). Sunt qui hanc vim verbo græco tribuant : componere et præparare mortuum ad sepulturam.

4. IGITUR : hæc particula orationem, per parenthesim interruptam, resumit. — EVANGELIZANTES. En quomodo Deus bonum ex malo eliciat! Docet nos historia ecclesiastica persecutiones omnibus retro seculis in incrementum Ecclesiæ cessisse : Crescit enim, ut ait vetus effatum, rebus adversis agitata virtus ; et *Sanguis martyrum semen fit christianorum* (Tert.).

5. Antequam Lucas gentilium narret conversionem (c. X), apte ostendit fidem Samaritanis (VIII, 5-25) et proselytis (VIII, 26 sq.), qui ambo medium quemdam locum Judæos inter et ethnicos occupabant, prædicatam fuisse. Pontem quasi ad transitum efformabant, tum Samaritani, quorum religio ex elementis judaicis et ethnicis erat conflata, quum proselyti, qui ad religionem judaicam propius accedebant, sed ad ipsum Dei populum nondum pertinebant.

PHILIPPUS diaconus, non Philippus apostolus, nam apostoli Hierosolymis

6 bat illis Christum. * Intendebant autem turbæ his, quæ a Philippo
dicebantur, unanimiter audientes, et videntes signa quæ faciebat.
7 * Multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes
8 voce magna exibant. * Multi autem paralytici, et claudi curati
9 sunt. * Factum est ergo gaudium magnum in illa civitate.
Vir autem quidam nomine Simon, qui ante fuerat in civitate
magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem ma-

---

remanserant; præterea, si apostolus fuisset, ipse Sacramentum Confirmationis (de quo v. 14 sq.) dedisset. Infra XXI, 8 *Evangelista, unus e septem*, dicitur. DESCENDENS AUTEM (*autem*, flandr. *nu*, particula transeuntis) IN CIVITATEM etc.; erat ipse unus e profugis illis qui Christi doctrinam spargebant. CIVITATEM SAMARIÆ : cod. CDEH εις πολιν absque art., *in unam e civitatibus Samariæ*, forte in Sichem, ubi Christus bene exceptus fuerat (Joann. IV, 39 sq.); secundum cod. AB Sin. εις την πολιν, *in urbem Samariæ principem*, sc. in Samariam (Sebasten).

6. UNANIMITER : refertur ad *intendebant*, ut patet ex græco.

7. MULTI etc. : πολλοι (ABCE, it., syr., sah. etc.) instar *nominativi absoluti*, nam subjectum verbi *exibant* est *clamantes spiritus immundi*. In cod. H., vers. copt., ap. s. Chrys. etc., legitur πολλων in genitivo, qui pendet a verbo εξηρχετο : *dæmonia exibant ex multis eorum qui spiritus immundos habebant.*

8. PARALYTICI (παρα et λυω *solvo*, ergo *plene solvo, dissolvo*), quorum nervi, vel in toto corpore, vel in parte quadam sunt *male soluti, resoluti, laxati, debilitati*, adeo ut membra officio suo amplius fungi nequeant, quum motu sensuque sint destituta.

9. In Vulgata rursum est *nominativus absolutus*, nam voces *vir quidam* non habent verbum a quo pendeant. Grace sic : *Vir autem quidam, nomine Simon, in ea civitate, ante* adventum Philippi, *erat magus,* i. e. *artem magicam exercebat* etc. — MAGUS : vox Persicæ originis, quæ proprie significat *sapientem*, ut patet ex Act. XIII, 8, ubi *magus* idem dicitur ac *Elymas*, quod in lingua Arabica valet *sapientem*. Vocabulum *magus* primum usurpatur de *sapientibus* et *sacerdotibus Persarum*, qui naturæ leges, et præsertim astrorum situs attente considerabant. Isti autem magna sæpe dignitate, et honore quasi regio, inter populares suos pollebant : cf. *Comm.* nostr. *in Matth.* II, 1 (3ª edit. a. 1880-1862). Postea in malam partem sumptum est nomen, pro *præstigiatores, incantatores*, qui se ut *sapientes* falso venditant : quo sensu legitur hic et Act. XIII, 6.

DICENS SE ESSE ALIQUEM MAGNUM : nempe se *Messiam* esse seu *magnam Dei virtutem* (v. 10) profitebatur. S. Hier. (in Matth. c. 24) testatur illum gloriatum fuisse his verbis : *Ego sum sermo Dei; ego sum Speciosus* (certe respiciebat illa Psalmi Messianici XLIV : *Speciosus forma præ filiis hominum* etc.); *ego Paracletus; ego Omnipotens; ego Omnia Dei* etc. Iste ergo ad placita Philonis et Alexandrinorum, qui multum de Λογῳ disputabant, accessisse videtur , quum de se ipsemet diceret ὁ Λογος του Θεου *Sermo Dei sum.*

gnum : * cui auscultabant omnes a minimo usque ad maximum, 10
dicentes : Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. * Attendebant 11
autem eum : propter quod multo tempore magiis suis dementasset
eos. * Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, 12
in nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres. * Tunc 13
Simon et ipse credidit : et cum baptizatus esset, adhærebat Phi-
lippo. Videns etiam signa, et virtutes maximas fieri, stupens
admirabatur.

* Cum autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod 14
recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, et
Joannem. * Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent 15
Spiritum sanctum : * nondum enim in quemquam illorum 16
venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu.

---

11. Propter quod magiis suis dementasset eos, i. e. sanæ mentis lumine veluti privasset. Occasione hujusce Simonis magi paucis tractanda venit quæstio generalis de magia diabolica, in quantum hæc ad Scripturæ s. intelligentiam spectat. Vide ad finem hujusce commentarii dissertationem quartam.

13. Simon et ipse credidit. Ex Lucæ narratione non omnino liquet utrum *vere* an *ficte* crediderit; satis tamen innuitur, v. 18, ipsum non sincero corde ad Deum fuisse conversum, quod et plurimi e s. Patribus censent : *Desideravit* (ait s. Aug., in Ps. 30) *non gratiam, sed potentiam; non unde liberaretur, sed unde extolleretur.* Ideoque fides ejus, ad summum, erat tantum *intellectualis*, non ad usum et actum deducta (gall. *foi pratique*), neque charitate erga Deum informata; fides similis illi de qua loquitur s. Jac. II, 19 : *Dæmones credunt et contremiscunt.*

14. Miserunt... Petrum, non *imperando*, quasi Petrus inferior fuisset; sed *suadendo, impellendo*, sicut communitas aliqua superiorem suum mittit, ad rem majoris momenti peragendam, quam ille solus rite perficere poterit. Conveniens fuit ut Petrus, tamquam apostolorum princeps, Samaritanos, quemadmodum postea ethnicos, ad Ecclesiam primus cooptaret.

16. Nondum in quemdam illorum (Spiritus sanctus) venerat : *ην επιπεπτωκος, erat illapsus*, puta per signum quod sub oculis cadebat. Hoc nonnisi in Sacramento Confirmationis contingere solebat : igitur plane extraordinarium fuit quod legitur cap. X, 44 de Spiritu sancto in Cornelium ejusque familiam descendente ante Baptismum; atque in hunc finem specialem id tunc factum est, ut omnes noscerent, gentiles æque ac Judæos ad fidem esse vocatos. Sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu : *εις το ὀνομα* (nota accusativum), *in nomen Domini Jesu, ad nomen ejus profitendum;* aliis verbis, *ut tamquam christianos se gererent.* Eodem sensu *εις* adhibetur 1 Cor. I, 13, ubi Apostolus negat Corinthios baptizatos fuisse *in nomine Pauli, εις το ὀνομα Παυλου, ut Pauliani essent, ut tamquam Paulianos se gererent.* Ex

17 * Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.
18 * Cum vidisset autem Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam,
19 * dicens : Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum :
20 * Pecunia tua tecum sit in perditionem : quoniam donum Dei

---

dictis colligitur hic non prorsus idem significari ac supra II, 38, ubi legitur επι cum dativo ; cf. annot. ad ill. l.

17. Accipiebant Spiritum sanctum, sc. gratiæ sanctificantis incrementum *ad robur*, ad pugnam, ut, qui antea erant Christi discipuli, jam fierent milites; quæ gratia specialis est *Sacramenti Confirmationis*. Pulcherrime de hoc Sacramento Tertullianus (lib. de Resurr. carnis, cap. VIII) : *Caro*, inquit, *ungitur, ut anima consecretur : caro signatur, ut anima muniatur : caro manus impositione adumbratur ut anima Spiritu illuminetur*. Receperunt etiam Samaritani, quemadmodum apostoli II, 4, aliquam *gratiam gratis datam*, aliquod Spiritus s. donnm *aspectabile*, siquidem in v. sequenti dicitur Simon *vidisse quia daretur Spiritus sanctus*.

Locus est *dogmaticus*, quo, contra Protestantes, doctrina catholica de Sacramento Confirmationis probatur. Quæstionem amandamus ad *theologiam dogmaticam*, hac sola facta observatione, e silentio s. Lucæ concludendum non esse, unctionem *s. Chrismatis* ab apostolis adhibitam non fuisse. Etenim familiare est scriptoribus sacris, præsertim Lucæ, qui ubique brevitati studet (ut diximus in *Introductione* ad h. librum, § 14), res plurimas, conjungi solitas, per compendium perstringere, una tantum expressa. Sic Act. VIII, 37 narratur Eunuchum baptizatum fuisse postquam dixisset : *Credo Filium Dei esse Jesum;* nullum tamen dubium est, quin alia præter illud fidei capita profiteri debuerit.

19. A *Simone* mago, qui potestatem conferendi Spiritum s., ejusque charismata miraculosa, per manuum impositionem, et quod inde consequitur Ordinem dignitatemque episcopalem, pecunia emere voluit, nomen *Simoniæ* accepit peccatum illud, quo quis studiose cupit emere aut vendere, pretio temporali, aliquid spirituali annexum Qualis et quanta in hac voluntate malitia sit, explicant theologi *morales*, ubi de peccatis virtuti religionis oppositis, atque imprimis de *irreligiositate*, disputant.

20. Pecunia tua tecum sit in perditionem, *ob hanc tuam pecuniam gravissima afficiaris pœna*. Præponitur voc. *pecunia*, quia hoc indignationem Apostoli proxime excitat. Petrus autem Simoni male precatur, non ex ira et odio, quod cum v. 22 pugnaret, sed ex amore justitiæ et religionis : ut digne puniatur tantum flagitium, atque adeo ceteri a tali peccato deterreantur; igitur charitatem fraternam non lædit, quin potius eam vere exercet. Sensus est : *Male pereas, nisi resipiscas*. Alii *imperativum* pro *futuro* positum esse opinantur, et dicunt s. Petrum prædicere quid futurum sit, si

existimasti pecunia possideri. * Non est tibi pars, neque sors 21
in sermone isto : cor enim tuum non est rectum coram Deo.
* Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua : et roga Deum, 22
si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. * In felle enim 23
amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse. * Respon- 24
dens autem Simon, dixit : Precamini vos pro me ad Dominum,
ut nihil veniat super me horum, quæ dixistis.

---

pœnitentiam non agat Simon. Eodem modo explicandæ sunt imprecationes et exsecrationes, quæ in Psalmis toties occurrunt, v. gr. *Deleantur de libro viventium*. Ps. LXVIII, 29; cf. etiam Act. Ap. I, 20, et nostram Introd. in libr. Ps § 9, I (2ª ed.).

21. NON EST TIBI PARS IN SERMONE ISTO, *hac in re*. Per hebraismum *sermo* in s. Scriptura sæpe ponitur pro *re*. In hoc autem idiotismo habetur species quædam translationis, qua effectus pro causa exprimitur : etenim ex re facta nascuntur inter homines sermones et verba, quibus res narratur. Ad finem hujus opusculi, per modum dissertationis fuse explicatur hujusmodi hebraismus, in Bibliis frequenter obvius, quo voces *mentales* pro *realibus* adhibentur.

22. POENITENTIAM... AGE. Ut versu sequenti videbimus, Simon peccator erat gravissimus : hunc tamen ad conversionem adhortatur s. Petrus. Ergo nemini umquam, ne perditissimo quidem homini, spes veniæ præcisa est; et, quamdiu versatur quis in hac mortali vita, semper gaudet gratia Dei sufficienti, pro loco et tempore; si non *proxime* sufficienti, saltem *remote*, qua, si velit ei mutuam operam conferre, salvari possit. Quapropter nullo umquam in casu desperandum est. — SI FORTE REMITTATUR TIBI HÆC COGITATIO CORDIS TUI. Dubium illud (*si forte*) cadit, non in Deum, utrum condonaturus sit Simoni vere pœnitenti; sed in ipsum Simonem, utrum, pessimus cum sit ejus animus, acturus sit veram pœnitentiam. Ejus itaque innuit libertatem.

23. IN FELLE AMARITUDINIS, *in felle amaro;* ad morem Hebræorum, qui, ob penuriam adjectivorum, horum loco substantiva adhibere solent. *Fel* per metaphoram sign. *peccatum. improbitatem*, ut Os. XII, 14 *Ad iracundiam* (inquit Dominus) *me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis*; et Deut. XXIX, 18 *Ne forte... sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem.* Recte autem ita vocatur peccatum, quia amaram (malam) reddit conscientiam et Deum exacerbat. Igitur *in felle amaritudinis* sign. *in summa nequitia.* Sed græce est εις χολην (nota accusativum), *in fel, ad fel amarum video te esse :* εις cum acc. jungitur verbo quietis (*esse*), quia mente supplendum est verbum motus : *video te esse in maxima animi pravitate, et ruere in pravitatem.* Eodem modo explica ET OBLIGATIONE INIQUITATIS, εις συνδεσμον, *in obligationem, in vinculum :* video te iniquitati alligatum, quasi peccatorum vinculis undique constrictum.

24. Puchra quidem sensa, si sincera fuissent, et ex vera contritione elicita : sed, teste historia ecclesiastica, Simon animi malitiam non mutavit.

25 * Et illi quidem testificati, et locuti verbum Domini, redibant Jerosolymam, et multis regionibus Samaritanorum evangelizabant.

§ 9. *Conversio Eunuchi*, CAP. VIII, 26-40.

Summarium. Philippus, ab angelo monitus, in occursum venit eunuchi cujusdam Æthiopis (26-30), eique Isaiæ oraculum de Christo explicat (30-35) ; deinde eum in fide plene eruditum baptizat (35-38). Quo facto, per miraculum abripitur (39, 40).

26 * Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, dicens : Surge et vade contra meridianum ad viam, quæ descendit ab

---

Igitur verba fuerunt terroris superstitiosi ; putabat sane exsecrationem a Petro prolatam fuisse formulam magicam, a cujus periculo liberari non poterat, nisi interveniente illo qui mala imprecatus fuerat.

25. MULTIS REGIONIBUS SAMARITANORUM : quid, an in Samariæ provincia erant multæ *regiones*? Absit, versio hic est minus accurata : πολλας κωμας sign. multos *vicos* vel *pagos*.

26. SURGE ! Ex hoc verbo concludere haud oportet Philippum tunc *dormientem accubuisse* ; nam *surge*, aut 1° plane redundat, ex more Hebræorum, qui verbis agendi formulam præmittunt, quæ aliam actionem necessario præcedentem significat; v. gr. *aperire os et loqui, levare vocem et loqui, levare oculos et videre, extendere manum et tangere.* Hoc autem fit ex quadam antiquitatis simplicitate, quæ totum rei ambitum emetiri, nihilque cogitationum, quod eodem spectet, omittere solet. Ex. sit Marc. VII, 24 *Et inde surgens abiit* etc. ; cf. id. X, 1. Ita quoque Luc. 1, 39 *Exurgens autem Maria, in diebus illis abiit* etc.; ibid. XV, 18 *Surgam* (ait filius prodigus) *et ibo ad patrem meum* etc. Confer germ. *sich aufmachen.* Adeo verum est, verbum *surgere* quandoque per pleonasmum poni, ut in antiquis versionibus ecclesiasticis interdum fuerit omissum : v. gr. Act. V, 17 a Syro et Arabe (ed. Erpen.) non exprimitur. 2° Si non prorsus redundet, sæpe solam habet notionem aliquid *aggrediendi*, et per *statim, illico, confestim* reddendum est. Itaque *surge et vade !* sign. *statim vade*, ut gallice *allons ! partez !* flandr. *spoed u, ga!* vulgo *komaan, kmam* (*kom aan*), *ga !*

CONTRA MERIDIANUM (κατα μεσεμβριαν, *meridiem versus*), AD VIAM etc. flandr. *zuidwaarts, langs den weg.* — HÆC EST DESERTA. Plurimi interpretes hoc intelligunt de ipso oppido Gaza, et putant a Luca id in parenthesi additum fuisse, ut notaret, tempore quo scribebat civitatem illam jam fuisse vastatam : quod quidem paulo ante Hierosolymorum obsidionem evenit (Jos. *B. J.* 2, 18, 1). Verum alii *hæc est deserta* referunt ad *viam*, et censent verba esse angeli, quibus Philippum doceat quamnam e duabus viis sequi debeat, eam sc. quæ per Hebron et regionem desertam ducebat, non autem eam quæ Eleuthero-

Jerusalem in Gazam : hæc est deserta. * Et surgens abiit. Et 27
ecce vir Æthiops eunuchus, potens Candacis reginæ Æthiopum,
qui erat super omnes gazas ejus, venerat adorare in Jerusalem :
* et revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam 28
prophetam. * Dixit autem Spiritus Philippo : Accede, et adjunge 29
te ad currum istum. * Accurrens autem Philippus, audivit eum 30
legentem Isaiam prophetam, et dixit : Putasne intelligis quæ

---

polim pertransibat. Hæc autem sententia ideo mihi magis arridet, quod notatio illa de Gaza vastata ad scopum narrationis nihil facere videatur.

27. Eunuchus, ab ευνη *cubile*, et εχω *curo*, ergo *custos lecti*, *cubicularius* qui cubiculum reginæ vel uxoris custodiebat, aliis verbis, qui gynecæo *(le Harem)* erat præpositus ; inde *cubicularius* generatim dictus : germ. *kämmerer*. Cum, in Oriente præsertim, Eunuchi cubicularii gravissimis muneribus præficerentur, regumque consiliarii et ministri esse solerent, hinc factum est, ut hæc vox generatim significaret *ministrum aulicum*. Non oportet necessario eum *eviratum* cogitare (quales erant in Oriente, et sunt hodiedum, viri isti qui *Harem* custodiunt), nam Gen. XXXIX, 1 Putiphar dicitur Ευνουχος, quamvis uxorem haberet.

Potens Candacis, reginæ Æthiopiæ. *Potens* : δυναστης, magistratus seu minister primarius (flandrice *: een rijksbestuurder*), nempe thesauro regio præfectus : gall. *Le ministre des finances. Candace* autem nomen erat ea ætate omnibus Æthiopiæ superioris seu Meroe reginis commune.

Venerat adorare supple *Deum*, in templo Jerosolymitano. Iter certe susceperat ut ibi sacrificium Deo vero offerret, quum sub vetere Testamento id alibi facere non liceret (Deut. XIV, 23 sq.). Etenim, si Deum precibus adorare tantum voluisset, ubivis locorum id peragere potuisset, nec necesse fuisset ut tantam institueret peregrinationem. Huic autem sententiæ non repugnat verbum *adorare*, quippe quod de actu sacrificandi haud raro adhibeatur : v. gr. Gen. XXII, 5 Abraham filium Deo oblaturus dicit servis suis : *Expectate hic...: postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Cf. Joann. IV, 20 et XII, 20. Non tamen inde sequitur, Eunuchum illum Judæum fuisse ; nam gentiles proselyti etiam holocausta offerre poterant. Nec Judæum fuisse probatur ex eo quod nondum exhibita fuisset visio illa divina (cap. X), qua constaret etiam gentiles ad fidem christianam vocari ; nam præceptum Domini (Matth. XXVIII, 19) *Euntes docete omnes gentes,* et (Marc. XVI, 15) *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ,* jam a descensu Spiritus sancti gentilium admissionem licitam reddebat ; præterea, si quoddam adhuc superfuisset dubium, angeli apparitio illud e mente Philippi sustulisset.

30. Putasne intelligis quæ legis ? αραγε γινωσκεις ; particula αρα in prosa interrogat ubi responsio negans exspectatur ; γε valet nostratium *wel.* In dialecto Frandrorum diceremus : *Hewel ? verstaat ge wat ge leest ?*

31 legis? * Qui ait : Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit
mihi? Rogavitque Philippum ut ascenderet, et sederet secum.
32 * Locus autem Scripturæ, quam legebat, erat hic : Tamquam
ovis ad occisionem ductus est: et sicut agnus coram tondente

---

31. ET QUOMODO POSSUM etc., πως γαρ αν. Conjunctio γαρ reddit rationem negationis mente supplendæ : *Intelligisne...? Non intelligo; nam quomodo....* Αν, fland. *toch*, hoc sensu; *Neen, want hoe toch zou ik het konnen verstaan, zoo mij niet iemand* enz. SI NON ALIQUIS OSTENDERIT MIHI: loco *ostenderit* græce est ὁδηγησει, quod proprie sign. *dux viæ fuerit.*

Eunuchi verba animadvertant hæretici, qui s. Scripturam intellectu facilem, et uniuscujusque legentis *sensui privato* permissam, pronuntiant. Discant inde necessitatem intelligendi et interpretandi Verbum Dei secundum auctoritatem et sensum Ecclesiæ catholicæ, quæ, in hac materia, sola *dux est viæ*, et dux quidem securus, utpote *columna et firmamentum veritatis* (cf. 1 Tim III, 15). Sciant igitur interpretes, nemini licere, *in rebus fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentibus, s. Scripturam ad suos sensus contorqueri, contra eum sensum quem tenuit et tenet s. mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et de interpretatione Scripturarum s.; aut etiam coutra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam s. interpretari* (ex Trid., sess. IV).

32. Citatur Isaias LII, 7 et 8. Jam vero Propheta de *servo Jehovæ* ibi loquitur, et si totam pericopam LII, 13-LIII, 12 attente legamus, collatis aliis locis ejusdem Isaiæ, inde a cap. XL usque ad finem libri, ubi de *servo Jehovæ* frequenter sermo habetur: fatendum est prima specie ista intelligenda videri de populo Israel, vel de prophetis istius populi. Verum, probe animadvertendum est, hanc opinionem (si admittatur, cum Bisp.) ita proponendam esse, ut, quæ dicta sint sensu literali de populo Dei aut de corpore prophetarum, hæc ad Messiam sensu typico et altiori referantur, quatenus Messias personam gerit populi Dei, et (ut explicavi supra III, 22) omnium prophetarum summus est. Porro certum et certissimum est, sub nomine *Servi Jehovæ* apud Isaiam LII, 13-LIII, 12 designatum fuisse Messiam (saltem sensu typico, sensu eminentiore et principaliore), ut ex hoc loco Act.; ex Matth. VIII, 17; Marc. XV, 28; Joan. XII, 38 sq.; 1 Petr. II, 22 sq., apertissime demonstratur.

His autem prænotatis, Is. LIII, 7, 8 sensus est : *Sicut ovis ad occisionem* (proprie, ad jugulationem) *ducitur* (supple ex membro seq. *sine voce); et sicut agnus coram tonsore* (adde pariter *stat sine voce) : ita ille* (servus Dei, Messias, de quo loquitur Propheta) *non aperit os suum* (supple ex membro anteced. *dum ducitur ad mortem, et indigne spoliatur vestibus suis*, quemadmodum agnus lana sua. Vates adeo certus est de oraculi sui a Deo inspirati effectu, ut rem futuram quasi præsentem, coram oculis suis evenientem, conspiciat (ideo sæpe vocatur *Videns)*. Nos vero, secundum nostrum loquendi morem, diceremus: *Sicut ovis ad occisionem*

se, sine voce, sic non aperuit os suum. * In humilitate judicium 33
ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit, quoniam
tolletur de terra vita ejus?

---

ducitur muta, non balans, neque reluctans: ita etiam Christus, futurus Messias, ad mortem ducetur, absque eo quod os suum aperturus sit ad querelam, aut reluctaturus sit. Hac autem comparatione Isaias vult significare, cruciatus et mortem Christi plene voluntaria fore atque sponte accepta.

33. IN HUMILITATE. Sensus verborum hebræorum videtur esse: *Per oppressionem et judicium* (hendiadis: per judicium oppressorium) *raptus est* sc. ad supplicium. Græca eodem modo exponi possunt: *In ejus oppressione, sententia ejus condemnatoria per vim lata est et quasi extorta:* vel: *In oppressione ejus lata est sententia ejus,* i. e. *in eum lata est sententia oppressoria, injusta.* HUMILITAS, eodem sensu intelligitur ac Ps. IX, 14: *Miserere mei, Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis,* i. e. *vexationem* quam ab inimicis meis patior, vide quantum isti me opprimant. Vox græca hic adhibita *ταπεινωσις* proprie sign. *actum deprimendi, opprimendi, vexandi aliquem,* a verbo *ταπεινοω* (quasi *ταπεινον ποιεω*), *ad terram deprimo, humilio* (secundum vim etymologicam, ad humum, i. e. terram deprimo). JUDICIUM EJUS SUBLATUM EST, *ἤρθη*, ab *αἱρεω*, *vi extollo, abripio.* Gallice: *On l'a opprimé, en arrachant, pour ainsi dire, sa condamnation à Pilate, qui voulait l'absoudre.* Vel, quia præteritum propheticum est pro futuro: *en l'opprimant, on arrachera, on emportera, pour ainsi dire, de vive force, sa condamnation.*

GENERATIONEM EJUS QUIS ENARRABIT? Verba sunt inter obscura obscurissima: præcipuas auctorum interpretationes indicabimus.

Quidam sumunt *generationem* tamquam regimen verbi *enarrabit,* et in duas abeunt sententias, pro duplici sensu, qui voci *generatio* tribui hic potest. Diximus ad cap. II, 40 *generationem* designare homines æquales, i. e. una eademque ætate viventes; vel totam vitæ seriem, historiam. Igitur 1ª sententia est: quis enarrare poterit quam perversi futuri sint homines istius generationis, æquales Messiæ? 2ª Sententia: quis enarrare poterit quam mirabilis futura sit Christi historia, tota vitæ divino-humanæ series? — Alii *generationem* habent pro accusativo absoluto: *ad generationem ejus quod attinet, quis enarrabit quod tolletur de terra vita ejus?* Interpretes illi rursum scinduntur in duas partes, secundum duplicem sensum vocis *generatio.* Proinde 3ª sententia est: ad vitam ejus quod attinet, quis digne poterit enarrare eum morte sublatum fuisse, propter (ut sequitur apud Isaiam) peccatum populi? Demum 4ª sententia: ad æquales ejus quod attinet, quis eorum est, qui secum reputet eum occisum fuisse propter peccata populi?

Conclusio nostra. P. Patrizi (in Comm. ad h. l.), copiosissima testimoniorum serie adducta, ostendit, ss. Patres omnes admittere, Isaiam ibi locutum esse de *Christi* generatione, sive divina sive humana, sive de utraque simul. Quamobrem, e quatuor sententiis statim indicatis secundam vel tertiam amplecti non dubitem.

34 * Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit : Obsecro te, de
35 quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo? * Aperiens
autem Philippus os suum, et incipiens a Scriptura ista, evan-
36 gelizavit illi Jesum. * Et dum irent per viam, venerunt ad
quamdam aquam : et ait Eunuchus : Ecce aqua, quid prohibet
37 me baptizari? * Dixit autem Philippus : Si credis ex toto corde,
licet. Et respondens ait : Credo Filium Dei esse Jesum Christum.
38 * Et jussit stare currum : et descenderunt uterque in aquam,
39 Philippus, et Eunuchus, et baptizavit eum. * Cum autem ascen-
dissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, et amplius
non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens.
40 * Philippus autem inventus est in Azoto, et pertransiens evan-
gelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream.

---

34. *Respondere* per hebraismum sign. : *loqui exordiri propter aliquam occasionem :* hæc autem occasio fuit quod Philippus, ab eunucho invitatus, in currum ascendisset; flandrice; *Hy nam het woord en zei*, germ. *er hub an und sprach* (Bisp.). Cf. annot. nostr. in Act. III, 12; Matth. XI, 25.

35. Aperiens... os (hebraismus) fere redundat; dico *fere*, nam cum gravitate quadam sermonem inducit : cf. Matth. V, 2. Evangelizavit illi Jesum, primum ostendens Isaiam de eo vaticinatum fuisse, eumque igitur verum esse Messiam; deinde docens in eum credendum esse, atque novam animæ vitam obtinendam esse per Baptismi Sacramentum, per quod homo Christo arcte conjungitur. Hæc omnia ex contexta oratione supplere debemus apud Lucam, qui, ut supra v. 17 notavimus, brevitatis semper studiosus est.

37. Rursum hic videmus Lucam brevitate in narrando usum fuisse. Dubium non est, quin eunuchus ante Baptismum multos alios fidei articulos professus sit, et debitam etiam contritionem de peccatis a se commissis elicuerit.

Hunc versiculum 37^{m} omittunt Lachmann et Tischend. post codd. ABCGH, et vers. copt., sahid., syr., æthiop. utraq. etc.; codices autem et versiones, ubi versus ille reperitur, in singulis vocibus plures habent lectiones variantes : non tamen certo affirmare ausim eum esse glossema, propter decretum Concilii Tridentini de authentia Vulgatæ. Nodus quæstionis est, obiter dicere liceat, in verbis Concilii *cum omnibus suis partibus*, sc. Vulgatæ.

38. Igitur per *immersionem*, ut aiunt, baptizatus est.

39. Spiritus Domini rapuit Philippum, nimirum per miraculum : quemadmodum olim propheta Habacuc ex Judæa Babylonem subito translatus fuit, ut prandium Danieli afferret, Dan. XIV, 35. Confer 3 Reg. XVIII, 12; 4 Reg. II, 16.

40. Inventus est, *εὑρεθη* : sunt qui aoristo passivo notionem verbi medii

§ 10. *Sauli conversio et apostolica vocatio.* CAP. IX, 1-30.

Summarium. Saulus Damascum tendit, christianos ibi persecuturus (1, 2). In itinere, per miraculosam Jesu apparitionem, ad fidem convertitur (3-7); dein Damascum manuductus (8, 9), per Ananiam, quem Jesus in visu monuerat (10-17), a cæcitate sanatur et baptizatur (18). Statim Christum, stupentibus omnibus, prædicat (19-22). Ad necem quæsitus, aufugit (23-25) Jerusalem; ubi primum suspectus habetur a christianis (26), mox vero familiariter cum eis agit (27, 28), et contra Hellenistas disputat: sed vitæ suæ timens (29), proficiscitur Tarsum (30).

* Saulus autem adhuc spirans minarum et cædis in discipulos 1
Domini, accessit ad principem sacerdotum, * et petiit ab eo 2

---

adscribant, hoc sensu gall. *il se trouva :* cf. BEELEN *Gramm. græcit n. T.* § 39, 5. Sed quid impedit sumere sensum passivum, qui obvius et proprius est, germ. *er ward gefunden*, Gall. *on le trouva?* IN AZOTO : εις Αζωτον cum acc., constructio prægnans : raptus in Azotum, ibi rursum oculis hominum apparuit. *Azotus* erat civitas Philistinorum, nunc *Esdoud* vel *Asdod.* CÆSAREA sc. Palæstinæ, ad mare Mediterraneum (*au Nord-Ouest de Jérusalem*), ubi Philippus habitabat, Act. XXI, 8.

1. Hactenus per Judæam et Samariam propagata fuit fides : tempus, quo gentiles (nationes exteræ omnes usque ad extremum terræ limitem) vocandi sunt, jam appropinquat. Quod quidem ut perficiatur, *instrumentum quoddam egregium (vas electionis* IX, 15), seu præconem dignum et aptum, sibi eliget Deus, Saulum nempe Ecclesiæ persecutorem acerrimum. Mirabilem autem hujusce viri singularis conversionem Lucas nunc narrabit, et fusiore quidem sermone, quum agatur de facto quod dilatando Evangelio summi momenti futurum sit. Porro, Saulus ille ad fidem adducitur, non sensim et lenta animi mutatione, sed subita ac potentissima Dei actione, ut gentiles, ad quos mittendus erat ille, melius intelligerent id quod ipsorum animis præsertim inculcandum foret, hominem quemvis non suis viribus, sed per Dei gratiam, ad salutem pervenire.

AUTEM, δε : hostiles Sauli conatus pacificæ et salutari Philippi actioni opponit. ADHUC, respicit cap. VIII, 3. — MINARUM, genit. per græcismum. Quanta verborum vis! Non respirabat iste nisi ut occideret. PRINCIPEM SACERDOTUM, sc. Caipham, si admittatur Saulum a. 34 conversum fuisse (quod ut probabilius tenemus).

2. EPISTOLAS, vi quarum, tamquam Synedrii legatus, ibidem auctoritatem haberet; et sicubi res id postularet, opem a præfectis Synagogarum exigere posset. Inde patet jurisdictionem Synedrii etiam extra Judæam se extendisse.

8

epistolas in Damascum ad synagogas : ut si quos invenisset hujus viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem.
3 * Et cum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco :

Damascum, in Syria, ad latus orientale Anti-Libani. Quamvis hæc civitas Judæis subdita non esset, Saulus eo perrexit, quia noverat persecutionem, quam adversus christianos moliebatur, a Romanis qui ibi dominabantur (si erat tunc a. 34), vel (si tardius esset, v. gr. a. 37; vide infra ann. IX, 24) ab Areta, istius regionis rege (2 Cor. IX, 32), Romanorum imperio subdito (Jos. *Ant.* 16, 11, 9), impediendam non fore. Probabilis est conjectura *Cornelii a Lapide*, christianos, nece Stephani dispersos (VIII, 1), plerosque eo confugisse, utpote qui sperarent in urbe gentili et regia, Judæis non obediente, nulla sibi imminere pericula. Aliunde novimus multos Judæos ibi habitasse, adeo quidem ut, teste Jos. *B. J.* 1, 2, 25; 2, 20, 2, Nero decem millia occidere fecerit. Mirum itaque non est, plures ibi fuisse synogagas (nota num. plur. apud Lucam).

Hujus viæ. *Via* apud Hebræos sign. *agendi* seu *vivendi rationem*; hic, pro subjecta materia, *vivendi rationem in re religiosa*. Sensus igitur est: *hujus instituti, sectæ, religionis*: intellige christianæ fidei discipulos. Cf. cap. XIX, 9; XXII, 4; XXIV, 14 (in græco) et 22.

3. Conversio Sauli ter narratur in s. Scriptura: hic a s. Luca, cap. XXII, 4-16 ab ipso Paulo, et XXVI, 9-20 ab eodem apostolo; quæ loca conferenda sunt, ut, quod in uno omittitur, ex aliis suppleatur, et si quæ videantur repugnantia, quod male contendit *De Wette* rationalista, ea ad concordiam revocentur.

Cum iter faceret: inter Jerusalem et Damascum iter erat octo vel decem dierum, ad distantiam ferme 230 *kilometrorum*. Subito, circa tempus meridianum (XXII, 6), circumfulsit eum, ejusque comites (XXVI, 13), lux de cœlo, ex aere superiore delapsa; et lux quidem copiosa (XXII, 6), quæ ipsum solis splendorem superabat (XXVI, 13).

Lux illa, opinor, alia non fuit, quam quæ a glorioso corpore Christi spargebatur (Videsis quæ de splendore illius corporis gloriosi dicuntur in *Transfiguratione* Domini, Matth. XVII, 1, 2 coll. Comm. nostr. 3ª ed.). Persuasum enim habemus Christum *corpore* suo indutum ad terram descendisse, seseque vere Saulo conspiciendum præbuisse. Quod quidem probatur 1° ex tota serie narrationis. Ille qui loquitur est Christus Jesus (v. 5), atqui omnino idem est qui apparet; imo v. 17 et 27 disertis verbis dicitur, Jesum a Paulo *fuisse visum*. Deinde cap. XXII, 14 legitur: *Deus prœordinavit te, ut... videres Justum, et audires vocem ex ore ejus*. Et XXVI, 16: *Ad hoc... apparui* (ὤφθην, visus sum) *tibi ut* etc. Probatur 2° ex 1 Cor. IX, 1: *Non sum Apostolus? Nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi?* Præterea 1 Cor. XV, 8 affirmat Paulus se Christum a mortuis reversum *vidisse*, quemadmodum ceteri apostoli eum post resurrectionem viderunt, igitur oculis *corporeis*. Neque objici potest hæc verba ad aliam visionem, quam

et subito circumfulsit eum lux de cœlo. * Et cadens in terram 4
audivit vocem dicentem sibi : Saule, Saule, quid me persequeris ?
* Qui dixit : Quis es Domine ? Et ille : Ego sum Jesus, quem tu 5

---

nostram, referri. Nulla enim alia iis quæ 1 Cor. XV, 8 dicuntur plane congruit; neque ea quæ Paulo in Templo oranti oblata fuit (Act. XXII, 17), neque altera ista, de qua 2 Cor. XII, 2 sermo est, cum raptus fuit in tertium cœlum : nam utraque *exstatica* fuit, i. e. Pauli mens a sensibus corporeis prorsus abstracta tunc erat, neque eorum, quæ visa fuerant, memoria remanebat distincta.

4. CADENS IN TERRAM : ingente illa luce, quam viderunt et socii ejus (XXII, 9), perterritus, indeque viribus destitutus, collapsus est in terram, et simul cum ipso prostrati sunt socii ejus (XXVI, 14); statimque ipse solus (XXII, 9) AUDIVIT VOCEM DICENTEM SIBI, *lingua hebraica* (XXVI, 14), puta in dialecto Aramæo-Palæstinensi, quæ id temporis inter Judæos vulgaris erat.

QUID ME PERSEQUERIS ? In quo læsi te ? quid feci tibi, ut me ita impugnes et divexes ? *Me*, dicit Christus, non *discipulos meos*, quia, ait s. Aug. (Serm. 14, de Sanctis), *membris adhuc positis in terra, caput clamabat de cœlo.* Ecclesia nempe corpus est Christi mysticum, et membra Ecclesiæ Christi membra sunt mystica. Illud aperte docetur Coloss. I, 18 : *Ipse* (Christus) *est caput corporis Ecclesiæ.* Col. I, 24 *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea,* etc. Ephes. IV, 15 : *Crescamus in illo..., qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui.* 1 Cor. XII, 27: *Vos* (fideles)... *estis corpus Christi et membra de membro.* S. Matth. XXV, 40 : *Quamdiu fecistis,* ait Christus, *uni ex his fratribus meis minimis* (christianis pauperibus), *mihi fecistis.* Agnoscamus igitur dignitatem nostram, qui *divinæ consortes naturæ* facti sumus (2 Petr. I, 4); discamus inde malitiam peccati, quod contra *fraternam charitatem* committitur, præsertim ab iis qui pessimis exemplis alios *scandalizant,* atque adeo animas fratrum suorum ad perniciem impellunt gravissimaque ratione *persequuntur !*

Notemus etiam maximam esse vim amoris et dulcedinis in his Christi verbis : *Saule ! Saule ! quid me persequeris ?* Quasi dicat : Ad necem me quæris, quum ego te quæram ad vitam ? Me Servatorem tuum, amantissimum tui, qui tot tantisque te cumulavi beneficiis, neque ulla umquam in re vel minima te offendi, persequeris ! Nonne hæc apta sunt commovere peccatores, quibus conversio Sauli tamquam exemplar merito proponitur ? Quis desperabit umquam, dum videt Saulum sanatum, et per talem medicum sanatum, et a tanto morbo sanatum ? Id intellexit pia mater Ecclesia, quæ festum diem hujus conversionis singulis annis, mense Januario, celebrat.

5. QUI (Saulus), audita hac voce, alloquentem aspiciens, eumque præ nimio fulgore non agnoscens, timide ac reverenter sciscitatur : QUIS ES, DOMINE ?

6 persequeris : durum est tibi contra stimulum calcitrare. * Et
7 tremens, ac stupens dixit : Domine, quid me vis facere ? * Et
Dominus ad eum : Surge, et ingredere civitatem, et ibi dicetur
tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur
cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem

Verba DURUM EST usque ad DOMINUS AD EUM omittuntur in omnibus codicibus græcis, et apud plerosque Patres Græcos ; in multis vero versionibus antiquis tamquam dubia notantur. Glossema est e locis parallelis XXVI, 14 et XXII, 10 hic adjectum. Ea tamen verba nunc explicabimus, ut plenam historiæ notitiam habeamus.

DURUM EST TIBI CONTRA STIMULUM CALCITRARE. Proverbialis locutio: quemadmodum bovi segnius aranti, qui ab aratore excitatur acuto baculo, durum et noxium est contra stimulum calcitrare, siquidem resistendo et reluctando aliud non lucratur nisi ut magis pungatur : ita etiam tibimet ipse noces, cum gratiæ motiones, quibus hactenus ad fidem te stimulavi, repellis, quippe qui impune id facere non possis. — Sed, si Paulus divinæ gratiæ restitit, quo jure de se 1 Tim. 1, 13 : *Prius*, inquit,... *fui... persecutor...*, *sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate?* Resp. Quia ignorantia ista, utpote quæ vinci potuisset, eum non excusabat a toto peccato, sed a tanto, quatenus consensum minuebat voluntatis. Cf. supra ad III, 17.

6. DIXIT : DOMINE etc. Hoc *libere* dixit, ejusque voluntas divinæ gratiæ motioni libere obtemperavit. Ipse s. Paulus testatur *se* tunc *non fuisse incredulum cœlesti visioni* (XXVI, 19), ostendens se potuisse ei non obedire. Quam falso igitur Calvinus contendit : *Saulum, qui sponte ruebat contra Christum, nunc invitum ad obsequium cogi.*

7. Sunt qui putent et alia præter illa a Jesu dicta fuisse, nempe quæ XXVI, 16, in ore ipsius Domini ponuntur : *Ad hoc enim apparui* etc. Sed veri admodum simile est hæc verba ab Anania, non autem a Jesu, prolata fuisse ; vide annot. ad ill. 1 — STABANT. Prolapsi quidem fuerant in terram (XXVI, 14), sed profecto fieri potuit ut mox surrexerint : nisi dicamus *stare attonitum* tantum significare *stupore percelli*, quin attendamus utrum attoniti stantes sint nec-ne. Sic nostrates dicunt : *verbaasd staan*. STUPEFACTI : ενεοι, absque voce, obmutescentes : flandrice, *sprakeloos, stom.*

AUDIENTES QUIDEM VOCEM, ακουοντες μεν της φωνης, videtur pugnare cum Act. Ap. XXII, 9 (*Qui mecum erant*) *vocem non audierunt ejus qui loquebatur mecum*, την φωνην ουκ ηκουσαν του λαλουντος etc. Hanc difficultatem, quam maxime urget **Baur*, solvunt alii dicentes, a sociis illis auditam fuisse vocem ipsiusmet Pauli cum aliquo loquentis, non autem vocem Jesu qui apparebat. Alii vero aliam proponunt explicationem : sc. audierunt sonitum vocis, sed verba distincte non audierunt ; isti enim vident differentiam sensus inter ακουειν της φωνης et ακουειν την φωνην του λαλουντος.

autem videntes. * Surrexit autem Saulus de terra, apertisque 8
oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, intro-
duxerunt Damascum. * Et erat ibi tribus diebus non videns, 9
et non manducavit, neque bibit.

* Erat autem quidam discipulus Damasci nomine Ananias : et 10
dixit ad illum in visu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego,
Domine. * Et Dominus ad eum : Surge, et vade in vicum, qui 11
vocatur rectus : et quære in domo Judæ Saulum nomine, Tarsen-
sem : ecce enim orat. (* Et vidit virum Ananiam nomine, intro- 12
euntem, et imponentem sibi manus ut visum recipiat.) * Respondit 13
autem Ananias: Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala

---

8. Apertisque oculis. Cave ne existimas Pauli oculos hactenus clausos fuisse, ideoque corpus Jesu gloriosum ab ipso videri non potuisse, quum, postquam aperuisset oculos, dicatur fuisse cæcus. Ista sententia falsa plane esset : græce enim legitur : *ανεωγμενων δε των οφθαλμων*, non vero *ανοιξας δε τους οφθαλμους*. Sensus igitur est : quamquam aperti et non clausi essent oculi ejus, factum est ut, qui Jesum conspexerat hactenus, nempe quamdiu colloquium cum ipso habebat, eum amplius non videret, caligantibus jam ejus oculis, ob continuam clarissimamque lucem e fulgente corpore Jesu glorioso sparsam.

10. Ananias, cui egregia laus tribuitur in loco parallelo XXII, 12. Secundum antiquam traditionem unus erat e 72 discipulis Domini, et Martyrol. Rom. die 25 Jan. eum ut martyrem colit.

11. In vicum : *την ῥυμην*, *viam*, germ. *Strasse, Gasse.* Hodiedum Damasci habetur via quæ *Recta* vocatur (ab aliquibus ita vocatur, sed incolæ eam nominant *rue des Bazars*, teste *Stanley, *S. and Pal.*), ibique domus Judæ ostenditur (sed in ista via Recta sita non est, ait *Pococke, *Trav.*). — *Tarsus*, Ciliciæ caput, ad flumen Cydnum, urbs *libera* (suis legibus propriis obediens), non tamen jure civitatis Romanæ donata (vide infra annot. XXII, 28). Illa ætate celeberrimas habebat scholas, in quibus literæ et philosophia Græcorum magno studio colebantur, adeo quidem ut Strabo I, 14 eam Athenis et Alexandriæ comparet.

Ecce enim orat. Ne timeas eum audire; nam totus mutatus est : precibus nunc vacat, non jam christianos vexare molitur. Ananias tamen verborum sensum non statim advertit, ut colligitur ex v. 13 et 14.

12. Multi, cum Vulgata, opinantur hunc versum esse parenthesim historicam, in qua s. Lucas narrat Saulum eodem tempore visionem habuisse : sed, si ita esset, ante *vidit* additum fuisset pron. *hic*, *οὗτος*. Ergo verba sunt Domini, quibus Ananiæ explicat Saulum ad eum bene recipiendum divinitus præparatum fuisse.

13. Ananias non tam se timentem (ss. Aug. et Chrys.) quam attonitum ostendit, sc. ad talem virum se a Deo mitti. Audivi, certe ab iis qui Hierosolymis Damascum aufugerant.

14 fecerit sanctis tuis in Jerusalem : * et hic habet potestatem a
principibus sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen
15 tuum. * Dixit autem ad eum Dominus : Vade, quoniam vas
electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et
16 regibus, et filiis Israel. * Ego enim ostendam illi quanta oporteat
17 eum pro nomine meo pati. * Et abiit Ananias, et introivit in
domum : et imponens ei manus, dixit : Saule frater, Dominus
misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas,
18 et implearis Spiritu sancto. * Et confestim ceciderunt ab oculis

---

14. Res illa, opinor, a Sauli comitibus Damasci divulgata fuerat.

15. VAS ELECTIONIS. *Electionis* genitivus est *qualitatis*, qui, per hebraismum, adjectivi locum tenet : *vas electum*. VAS, secundum vim vocis hebraicæ *keli*, latissimo patet sensu, et sign. : omne quod confectum seu paratum est ad hoc vel illud agendum ; instrumentum quodvis ; sicut gallice, in sermone familiari, vox *machine*. Sic *vasa iræ* dicuntur instrumenta quibus utitur quis ad iram vel ultionem exercendam ; *vasa mortis* (Ps. VII, 14) sunt letiferæ Dei sagittæ ; *vasa furoris Domini*, Is. XIII, 5, reges per quos Judæi punientur. Igitur hic, VAS ELECTUM idem est ac *instrumentum selectum*, idoneum ad propagandam christianam fidem. — GENTIBUS ET REGIBUS ET FILIIS ISRAEL, h. e. cujusvis generis hominibus : gentilibus quidem præcipue (ideo primi nominantur), unde *Doctor gentium* dictus, non tamen ipsis solis. Idem vice versa dicendum est de s. Petro : cf. annot. ad Gal. II, 7.

16. EGO ENIM... *Ideo* eximium erit fidei prædicandæ instrumentum, *quia* OSTENDAM ILLI QUANTA etc. : hebraismus, eum *experiri faciam* permultas vexationes. Quanto majores acerbioresque sunt res adversæ, quas quis pro Evangelio patitur, eo digniorem se fidei ministrum et prædicatorem exhibet, firmioremque in aliis excitat certitudinem de doctrina sua.

17. IMPONENS MANUS, non ad dandum Spiritum s., quasi in Sacramento Confirmationis (namque Ananiam episcopum fuisse non constat, et, si fuisset, confirmationem ante Baptismum neutiquam dedisset), sed ad sanandam cæcitatem corporalem ; secundum Domini verba (Marc. XVI, 18) : *Super ægros manus imponent, et bene habebunt*. Itaque, verba UT VIDEAS ET IMPLEARIS SPIRITU SANCTO sign.: ut per manus impositas visum recuperes, deindeque baptizatus Spiritum s. accipias. — Ex istis *misit me Jesus ut videas* etc. rursum colligimus Lucam, brevitatis causa, v. 15 Domini verba summatim retulisse.

18. CECIDERUNT... TAMQUAM SQUAMÆ : duplici modo intelligi potest : aliquid ab oculis cecidit quod simile erat squamulis, sc. tegumenta quædam squamulis similia delapsa sunt (Beel.). Vel : cum Saulus visum recuperavit, id sensit in oculis quod sensisset, si squamulæ quæ eos tegerent cecidissent (Bisp.) ; sed hæc ultima interpretatio obvia non est, et, si hoc voluisset

ejus tamquam squamæ, et visum recepit : et surgens baptizatus
est. * Et cum accepisset cibum, confortatus est. 19
Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot.
* Et continuo in synagogis prædicabat Jesum, quoniam hic est 20
Filius Dei. * Stupebant autem omnes, qui audiebant, et dicebant : 21
Nonne hic est, qui expugnabat in Jerusalem eos, qui invocabant
nomen istud : et huc ad hoc venit ut vinctos illos duceret ad prin-
cipes sacerdotum? * Saulus autem multo magis convalescebat, et 22
confundebat Judæos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam
hic est Christus. * Cum autem implerentur dies multi, consilium 23
fecerunt in unum Judæi ut eum interficerent. * Notæ autem factæ 24

---

auctor, sane scripsisset : Et factum est velut si squamæ ab oculis ejus cecidissent. Utut res est, miraculum fuit, non quod attinet *substantiam facti*, aut *subjectum in quo fit*, sed *modum* tantum *faciendi :* sanatio subito peracta, et absque ullo adhibito remedio : ideoque miraculum *tertii generis* seu *gradus*, ut aiunt theologi. Videsis *Comm.* nostr. *s. Matth.* 3ª ed., p. 249.

SURGENS e loco ubi cæcus sederat, vel *surgens* vim habet adverbii *statim* (per hebraismum, cf. VIII, 26), BAPTIZATUS EST, absque prævia institutione : namque directe et interius a Jesu edoctus fuerat : Gal. I, 12.

22. AFFIRMANS : *συμβιβάζων*, *coagmentatione* argumentorum (certe collatis oraculis de venturo Messia), *probans* Jesum Nazarenum esse Christum. Græce ante *Christus* habetur articulus ὁ Χριστος (gall. *le Christ*), i. e. ille qui κατ'εξοχην nominatur *Christus*, Messias olim jam promissus.

23. Inter v. 22 et 23 ponendum videtur iter Pauli in Arabiam, quod ipse memorat Gal. I, 17 ; de quo silet s. Lucas, idcirco, ait Ven. Beda, quod ibi Paulus minime prædicaverit, cf. XXVI, 20. Ibi, ut videtur, in solitudine ad apostolatum se præparavit. Quamdiu autem in ista regione deserta manserit, non omnino definire possumus : certe fere per tres annos ; namque ex Gal. I, 18 novimus eum *post tres annos* (puta, a conversione ejus numerandos) Hierosolymam petiisse. Sed non directe ex Arabia eo ivit ; prius enim reversus est Damascum, ubi insidias Judæorum passus est, quemadmodum Lucas nunc narrat. CUM... IMPLERENTUR, cum transacti essent (ideoque sensus non idem est ac *cum complerentur*, supra II, 1) DIES MULTI ab ejus conversione ; nimirum, circiter tres anni, ut statim dicebam.

24. CUSTODIEBANT. In 2 Cor. XI, 32, ubi ipsemet Apostolus facti illius meminit, portarum custodia ethnarchæ *regis* Aretæ tribuitur, quia Judæi id fecerunt auctoritate ejus, sc. cum ejus militibus ; vel saltem ethnarcha id fecit Judæis rogantibus et instigantibus. Aretas quidem non videtur *rex* fuisse *Damasci* ante mortem Tiberii (a. 37), quia ad provinciam Syriæ tunc pertinebat civitas illa (numismata enim habemus quibus nomina Damasci et Tiberii inscripta sunt) ; sed facile fieri potuit ut sub Caligula, Tiberii successore, Aretas Damascum a Romanis obtinuerit.

sunt Saulo insidiæ eorum. Custodiebant autem et portas die ac
25 nocte, ut eum interficerent. * Accipientes autem eum discipuli
nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta.
26 * Cum autem venisset in Jerusalem, tentabat se jungere disci-
pulis, et omnes timebant eum, non credentes quod esset discipu-
27 lus. * Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos : et
narravit illis quomodo in via vidisset Dominum, et quia locutus
est ei, et quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Jesu.
28 * Et erat cum illis intrans et exiens in Jerusalem, et fiducialiter

---

25. Accipientes eum discipuli nocte, per murum dimiserunt eum. *Accipientes* pleonastice ponitur : cf. notata ad VIII, 26. Per murum (flandrice *door den muur*, non, *langs den muur)*, per aperturam muri, videlicet *per fenestram* (2 Cor. XI, 33) domus alicujus muro innixæ. Fugit autem " quia " et semetipsum, quem profuturum multis noverat, vidit posse deficere, et " aut nullis se ibi aut paucis prodesse. Secessum autem a certamine petiit, " pugnaturus felicius ad alia se bella servavit (s. Greg. *Moral.* 31, 14). "

26. Jerusalem ivit (prima vice post conversionem), ut Petrum coram cognosceret, Gal. I, 18. — Timebant eum. Quomodo, per tantum temporis spatium, sc. per totum triennium, satis certa de Sauli conversione notitia ad christianos Jerosolymitanos non pervenerit, difficile est explicare, in tanta narrationis brevitate. Forsitan causa erat bellum inter Aretam et Romanos circa finem Tiberii regnantis ; vel res adscribenda est civilibus perturbationibus, quæ Syriam ea tempestate agitabant, solitamque commercii familiaritatem Jerusalem inter et Damascum impediebant.

27. Barnabas, Levita ille Cyprius, de quo IV, 36 : facile suspicamur olim jam Barnabam inter et Saulum quamdam exstitisse vitæ necessitudinem aut amicitiam. Apprehensum illum duxit ad apostolos. *Apprehensum* per pleonasmum adjectum non est ; sed sign. : cum benevole eum excepisset. Ad apostolos, ad eos apostolos qui tunc forte Jerosolymis erant ; nimirum, ad Petrum et Jacobum, qui, ut eruitur ex Gal. I, 17-19, soli ibi aderant. Nulla igitur repugnantia est inter Act. Apost. et epist. ad Gal. (contra **De Wette*). — Et quomodo fiducialiter egerit in nomine Jesu. Græce : *quomodo magna loquendi libertate usus fuerit in* (profitendo et prædicando) *nomine Domini.*

28. Erat... intrans. Nota est syntaxis, qua verbum finitum cum participio construitur, ad designandum actum frequenter repetitum et quasi continuum : cf. annot. I, 13. Cum illis intrans et exiens, in omnibus suis actionibus familiariter conversabatur cum iis, cf. I, 21 : quod quidem per quindecim dies fecit, Gal. I, 18. — Sed Gal. I, 22 Paulus dicit : *Eram ignotus facie ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo.* Hoc intellige ita : ignotus eram, non ecclesiæ Jerosolymitanæ, sed ceteris per Judæam ecclesiis.

agens in nomine Domini. * Loquebatur quoque Gentibus, et 29
disputabat cum Græcis : illi autem quærebant occidere eum.
* Quod cum cognovissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, et 30
dimiserunt Tarsum.

§ 11. *Labor apostolicus s. Petri in Judæa*, CAP. IX, 31-43.

Summarium. Pace fruitur Ecclesia per totam Palæstinam (31). Petrus autem universum fidelium gregem invisens, Lyddæ Æneam paralyticum sanat (32-35), et Joppæ Tabitham, feminam christianam bonis operibus deditam, ad vitam revocat (36-41) : quod fit cum magno animarum fructu (42). Diu ibidem commoratur (43).

* Ecclesia quidem per totam Judæam, et Galilæam, et Samariam 31
habebat pacem, et ædificabatur ambulans in timore Domini, et

---

29. LOQUEBATUR GENTIBUS ET DISPUTABAT CUM GRÆCIS. Vox *gentibus* in nullo codice græco, nullaque versione antiqua, si æthiopicam excipias, imo ne in omnibus quidem exemplaribus latinis comparet : ideo habenda est tamquam glossema verbi Ἑλληνιστας, *Græcis*. Qui autem dicuntur *Græci*, intelligi debent *Hellenistæ* (nonnisi codex A legit Ἑλληνας, ceteri vero Ἑλληνιστας), i. e., ut explicat Syrus, Judæi illi qui græce loquebantur : cf. VI, 1. — ILLI AUTEM QUÆREBANT OCCIDERE EUM. Animadvertit *De Wette*, cap. XXII, 17 aliam discessus rationem et causam tradi : nempe Paulo visionem factam fuisse, qua ipse comperit prædicationem suam a Jerosolymitanis bene accipiendam non fore, atque ideo ad gentiles eundum esse. Verum, nulla habetur inter utramque narrationem oppositio : quum enim Jesus in visione Paulo diceret : *Festina et exi velociter ex Jerusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de me*, tacite jam innuebat pericula a Judæis ei imminere.

30. FRATRES DEDUXERUNT EUM : Deus etiam, ut modo dixi, illud ipsum (ut Paulus Jerosolymam relinqueret) in visione jussit (XXII, 17). Paucis diebus, ut supra notavimus, ibi manserat. CÆSAREAM, sc. Palæstinæ, ad mare Mediterraneum sitam ; unde Saulus per Syriam transiens in Ciliciam venit (Gal. I, 21), nempe Tarsum (Act. XI, 25) in urbem natalem, Ciliciæ caput.

31. ECCLESIA QUIDEM etc. *Ecclesia* in singulari numero melior est lectio quam pluralis qui habetur in edit. Compl. *Quidem*, μεν ουν : particula ουν non concludentis est, sed pergentis in narrando ; flandrice *de kerk nu.* — PER TOTAM JUDÆAM, ET GALILÆAM, ET SAMARIAM : tres partes, in quas Palæstina, cis Jordanem sita, illa ætate dividebatur. Itaque vult dicere : *per totam Palæstinam.* — ÆDIFICABATUR : οικοδομουμενη, *ædificans seipsam*, nimirum quod civium suorum numerum attinebat ; igitur sensus est : crescente in dies numero fidelium, vivis hisce lapidibus Ecclesia, tamquam *ædificium* quoddam, in molem quotidie majorem *exstruebatur* AMBULANS (hebraismus,

32 consolatione sancti Spiritus replebatur. * Factum est autem,
ut Petrus dum pertransiret universos, deveniret ad sanctos, qui
33 habitabant Lyddæ. * Invenit autem ibi hominem quemdam, nomine Æneam, ab annis octo jacentem in grabato, qui erat paraly-
34 ticus. * Et ait illi Petrus : Ænea, sanat te Dominus Jesus-Chri-
35 stus : surge, et sterne tibi. Et continuo surrexit. * Et viderunt
eum omnes, qui habitabant Lyddæ, et Saronæ : qui conversi sunt
ad Dominum.
36 * In Joppe autem fuit quædam discipula, nomine Tabitha, quæ

---

vivens) IN TIMORE DOMINI, i. e. in cultu et pietate erga Deum ; aliis verbis, christiani vitam agebant piam ac religiosam.

Timor Dei vel *Domini* (hebr. *jirath Jehovah)*, quemadmodum *timere Deum*, sæpe in sacris Literis improprie sumitur pro *cultu Dei, colere Deum, ipsi servire, pie ac sancte vivere.* Sic Ps. CXI, 1 : *Beatus vir qui timet Dominum*, quod explicatur per parallelismum hemistichii sequentis : *in mandatis ejus cupit nimis*, i. e. qui Dei mandata valde *(nimis)* diligit *(cupit)*, i. e. qui ea pleno corde observat. Idem quoque sensus est Eccli. I, 16 : *Initium sapientiæ timor Domini*, i. e. cognitio et cultus veri Dei principium est omnis veræ sapientiæ. Pariter in *Magnificat*, verba *Misericordia ejus (Dei) a progenie in progenies timentibus eum*, sign. omnibus iis qui religiose ipsum colunt.

32. PETRUS hactenus in ecclesia Jerosolymitana, quæ tunc aliarum mater et princeps erat, permanserat, ut eam adversus persecutionis procellam tutaretur : verum, cum Salvator totam Ecclesiam regendam ei commisisset, pace illa usus est ut suo regiminis universalis munere fungeretur ; atque ideo *pertransiit universos* fidelium cœtus, per varias Palæstinæ partes dispersos, tamquam supremus pastor singulos greges invisens ; aut tamquam dux quidam exercitus singulas cohortes, huc illucve disseminatas, perlustrans. — LYDDA, postea Diospolis dicta, haud procul a mari Mediterraneo, unius diei itinere (gall. *une bonne journée*) ab Hierosolymis distabat.

35. OMNES, aliquando dicitur de maximo numero, et sensu lato sumitur, ut Ps. XIII, 3, et in hoc Actuum loco. *Sarona* vel *Saron*, nomen oppidi non erat ut Lydda, sed planitiei magnæ, quæ juxta mare Mediterraneum a Joppe usque ad Cæsaream sese extendit, et in qua Lydda sita erat.

36. AUTEM, transit ad aliud miraculum, adhuc magis stupendum. *Joppe*, nunc *Jaffa*, portus Mediterranei maris, ubi Jonas Propheta olim navem conscendit, cum a facie Jehovæ fugere vellet (Jon. I, 3). QUÆ INTERPRETATA etc., cujus nomen Aramaicum, si græce reddere velis, significat δορκας (*dorcas*), gall. *gazelle*. — ET ELEEMOSYNIS : *et* valet *imprimis*. Veri admodum similis est Reischlii conjectura, Tabitham fuisse virginem Deo consecratam, cui familia alia non erat quam pauperes Christi (v. 39), cujusque vita bonis erat operibus dedita tota : quales deinceps per omnia Ecclesiæ secula repertæ sunt innumeræ.

interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, et
eleemosynis, quas faciebat. * Factum est autem in diebus illis, 37
ut infirmata moreretur. Quam cum lavissent, posuerunt eam in
cœnaculo. * Cum autem prope esset Lydda ad Joppen, discipuli 38
audientes quia Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum,
rogantes : Ne pigriteris venire usque ad nos. * Exurgens autem 39
Petrus venit cum illis. Et cum advenisset, duxerunt illum in
cœnaculum : et circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, et
ostendentes ei tunicas, et vestes, quas faciebat illis Dorcas.
* Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit : et 40
conversus ad corpus, dixit : Tabitha, surge. At illa aperuit
oculos suos : et viso Petro, resedit. * Dans autem illi manum, 41
erexit eam. Et cum vocasset sanctos, et viduas, assignavit eam
vivam. * Notum autem factum est per universam Joppen : et 42
crediderunt multi in Domino. * Factum est autem ut dies multos 43
moraretur in Joppe, apud Simonem quemdam coriarium.

§ 12. *Jam et ethnici in Ecclesiam recipiuntur :* CAP. X ET XI.

I. CONVERSIO CORNELII, VIRI ETHNICI, QUI A PETRO DOCETUR ET BAPTIZATUR : CAP. X.

Summarium. Tempus advenit, quo gentiles æque ac Judæi ad christianam fidem vocentur. Cornelius, vir ethnicus, ab angelo jubetur Petrum arcessere (1-6) : quod et facit (7, 8). Interea

---

39. CIRCUMSTETERUNT... FLENTES ET OSTENDENTES etc. Eloquentissima sane erat supplicatio illa muta. — TUNICAS ET VESTES QUAS FACIEBAT : mos erat in Oriente ut mulieres, etiam divites, telam texerent vestesque conficerent. Videsis quæ hac de re notavimus in *Comm. s. Matth.*, 3ª ed. p. 1482.

40. EJECTIS OMNIBUS FORAS, ne inter pias preces turbaretur : cf. Matth. IX, 24 et 25; Marc. V, 40.

41. Quæ fecit s. Petrus ut Tabitham ad vitam revocaret, figuram quamdam referunt eorum quæ nos sacerdotes perficere debemus ut peccatores ad vitam gratiæ reducamus : etenim apostolus 1° Deum precatur, et enixe quidem, omnibus causis quæ mentis attentionem impedirent, diligenter remotis ; 2° mulierem mortuam alloquitur, dicens *Surge!* 3° jam resurgenti manum dat, ut eam adhuc debilem adjuvet ; tandem 4° eam non dimittit antequam in pristinum statum eamdem penitus restituerit, rursumque adjunxerit societati fidelium. Quæ quidem omnia peccatorum conversioni facile accommodari, nemo non videt.

Petrus, in exstasim raptus (9, 10), videt animalia munda et immunda de cœlo demitti, quasi in linteo magno (11, 12), et ut de iis manducet jussum accipit (13-16). Hac de re dum dubius cogitat, ecce viri, qui a Cornelio missi fuerant, rogant ipsum (17, 18) : monente Spiritu s. (19, 20), cum eis proficiscitur (21-23). Verecunde exceptus a Cornelio (24-27), causam dat ob quam hominem adire gentilem non dubitaverit, dein rogat cur accersitus fuerit (28-29). Respondet Cornelius id sibi ab angelo præscriptum fuisse (20-33). Petrus tunc ei, ceterisque qui ibi aderant, Jesum Christum prædicat : docet imprimis neminem a salute Evangelica excludi (34, 35), quamvis hæc Israelitis primum oblata fuerit (36), cum Jesus in Judæa prædicavit (37-38[a]). Ita adducitur Apostolus ad Christum viris istis nuntiandum, sc. admirabilem ejus vitam et miracula (38[b], 39[a]) mortem et resurrectionem (39[b]-41). Affirmat ipsum esse supremum hominum judicem (42) et Salvatorem omnium qui in ipsum credunt, adeoque (quod vult inde concludi) non solius populi Judæi (43). Adhuc eo loquente, Spiritus s. illabitur in eos sub forma aspectabili (44), cum dono linguarum (45, 46), atque ideo statim baptizantur omnes (47, 48).

1 * Vir autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, cen-
2 turio cohortis, quæ dicitur Italica, * religiosus, ac timens Deum

---

1. Factum illud, quod hoc capite narratur, summi momenti est in historia Ecclesiæ sensim sese evolventis et perficientis : ejus enim *catholicitas* jam præparatur et inchoatur. Ideo etiam duo viri, qui in facto hoc interveniunt, singulari providentia a Deo electi fuerunt : Cornelius enim Romanus et miles mundi ethnici personam apte refert, et Petrus (vide infra not. ad v. 5) Ecclesiam, cujus caput erat, legitime repræsentat.

CÆSAREA, sc. Palæstinensi : nam altera *Cæsarea Philippi* longius aberat, quam ut itinere unius diei cum dimidio ad eam ab oppido Joppe perveniri posset, cf. v. 9. — CENTURIO, ἑκατονταρχης, qui *centum* militibus præerat (saltem olim, quando nomen datum fuit). Græce absque articulo : *centurio quidam* (gall. *un centenier*). Decem hujusmodi centuriones primitus erant in una *cohorte*, adeo quidem ut hæc *mille* militibus tunc constaret, ejusque dux proprie vocaretur χιλιαρχος. Postea vero cohors Ramana minorem militum numerum habebat (425, quandoque 500, ad summum 600) : nomina tamen χιλιαρχος et ἑκατονταρχης manserunt (Joann. XVIII, 12; Act. Ap. XXI, 31 sqq.). — *Cohors Italica*, i. e. cujus milites *Itali* erant, non vero, ut aliarum cohortum quæ tunc in Palæstina erant, indigenæ.

2. RELIGIOSUS AC TIMENS DEUM, non in lege Judaica, sed in lege naturæ,

cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et depre-
cans Deum semper : * is vidit in visu manifeste, quasi hora diei 3
nona, angelum Dei introeuntem ad se, et dicentem sibi : Corneli.
* At ille intuens eum, timore correptus, dixit : Quid est, Domine? 4
Dixit autem illi : Orationes tuæ, et eleemosynæ tuæ, ascenderunt
in memoriam in conspectu Dei. * Et nunc mitte viros in Joppen, 5
et accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus : * hic 6
hospitatur apud Simonem quemdam coriarium, cujus est domus
juxta mare : hic dicet tibi quid te oporteat facere. * Et cum 7
discessisset angelus, qui loquebatur illi, vocavit duos domesticos
suos, et militem metuentem Dominum ex his, qui illi parebant.
* Quibus cum narrasset omnia, misit illos in Joppen. 8

---

cujus præcepta fideliter observabat. Nam ex v. 28, 34, 35, XI, 1, 3, 18, XV, 7 patet ipsum fuisse ethnicum, nondum Judaicæ religioni tamquam *proselytum portæ* adscriptum. Verba enim *φοϐουμενος τον Θεον* non semper sensum habent strictum de *proselyto*, sed tunc tantum quando contexta oratio id demonstrat, ut XIII, 16, 26.

Plerorumque ss. Patrum sententia est, Cornelium jam ante Baptismum in statu gratiæ fuissse; quod innuunt verba s. Petri v. 35 : unde sequitur ipsum justificatum esse absque fide *explicita* in Christum. Hoc tamen non probat talem fidem non esse de necessitate *medii* ad salutem ; etenim necessitas illa neminem adstringere potuit, antequam Evangelium fuisset sufficienti ratione promulgatum; atque adeo Cornelii justificatio extra quæstionem versatur.

3. VIDIT. Visio divina triplex distinguitur : a/ mentalis vel realis, b/ in somno vel inter vigilandum, c/ in exstasi vel cum usu sensuum exteriorum. Jam vero, si hæc ad historiam nostram referamus, Cornelius visionem habuit a/ *realem*, per *rem* aliquam (sc. angelum in corpore assumpto) oculis ejus divinitus oblatam ; non *mentalem* tantum, seu per rerum *imagines* a Deo humanæ menti informatas, ut erat visio Petri v. 10-17; b/ *vigilans* erat, non (ut Matth. II, 13) *dormiens ;* et c/ *sensibus corporis exterioribus utebatur*, non autem, ut Paulus cap. XXII, 17, in *exstasim* raptus erat.

4. ORATIONES TUÆ... ASCENDERUNT IN MEMORIAM, *ad tui memoriam* IN CONSPECTU DEI, i. e. *fecerunt ut Deus tui benigne recordaretur*, ut tibi se propitium exhiberet, ut gratiam suam tibi largiretur.

5. ET NUNC, dictio *concludentis*, quæ valet *itaque* (flandrice : *nu dan*). — ACCERSI SIMONEM. Conveniens plane erat ut s. Petrus, apostolorum princeps, totiusque Ecclesiæ caput, qui primus omnium post Christum prædicaverat Judæis, gentilibus etiam Evangelium primus nuntiaret, ac legis Mosaicæ abrogationem ejusque inutilitatem ad salutem authentice et publice decerneret. Ideo certe noluit Deus ut Cornelius Philippum evangelistam, qui Cæsareæ habitabat (VIII, 40; XXI, 8), vocaret, sed Petrum.

9 * Postera autem die iter illis facientibus, et appropinquantibus
civitati, ascendit Petrus in superiora ut oraret circa horam
10 sextam. * Et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem
11 illis, cecidit super eum mentis excessus : * et vidit cœlum
apertum, et descendens vas quoddam, velut linteum magnum,
12 quatuor initiis submitti de cœlo in terram, * in quo erant omnia
13 quadrupedia, et serpentia terræ, et volatilia cœli. * Et facta
14 est vox ad eum : Surge Petre, occide, et manduca. * Ait autem
Petrus : Absit Domine, quia numquam manducavi omne commune,

---

9. Postera die ad meridiem advenerunt isti : nam Joppen inter et Cæsaream distantia erat 30 mill. Roman., circiter 10 leucis nostris. — Ascendit Petrus in superiora : επι το δωμα (non idem ac επι το ὑπερωον, *in cœnaculum sub tecto*), *in tectum*, quod apud Orientales solet esse planum. Flandrice : *hij klom van boven op het huis*. Quod diximus ad I, 13, de cœnaculo in superiore domus parte, tamquam loco piis precibus aptiore, ad ipsum etiam tectum referamus oportet.

10. Gustare, γευσασθαι, ponitur absolute, sine regimine, ut gallice *goûter*. — Cecidit super eum mentis excessus : εκστασις, proprie *dimotio e loco vel statu in quo quis vel quid est* (ab εξιστημι, *de statu dejicio*) ; inde : *mentis alienatio*, cum hominis vigilantis sensus exteriores plane cessant, et animus a corpore ad tempus secessisse videtur, corporis omniumque rerum corporalium prorsus oblitus, et totus convertitur ad imagines intus objectas. *Exstasis*, ita descripta, potest esse vel naturalis vel supernaturalis. Ideo, ut ea quæ Petro contigit, accuratius definiatur, dici debet : status, in quo animus per motionem supernam a corpore quasi alienatur, et rapitur ad contemplationem rerum intelligibilium, aut imaginum quæ divinitus ei informantur. Cf. 2 Cor. XII, 2-4, ubi narratur s. Paulum ad tertium cœlum raptum fuisse.

11. Vidit... descendens vas quoddam, *receptaculum :* confer quæ cap. IX, 15 de latitudine vocis *vas* notavimus. Quatuor initiis seu extremitatibus superne colligatum, certe per funes quatuor, per quos de cœlo in terram submittebatur.

12. In quo erant omnia quadrupedia etc., animalia tam immunda quam munda. Græca παντα τα κ. τ. λ. male redderentur *omnis generis quadrupedia*, quia adjectivum πας pro παντοδαπος *omnis generis*, adhibetur tantum in numero singulari et sine articulo. Cf. *Beelen*, *Gramm. græc. n. T.* § 17, 10. Tamen, ad rem ipsam quod attinet, cogitanda sunt quadrupedia *omnis generis*.

13. Surge : forte precabatur genibus flexis ; vel, per hebraismum, *age*, Petre, occide et manduca.

14. Numquam... omne : hebraismum pro *numquam... aliquid, nihil umquam*. Sic Ps. XLVIII, 18 : *Cum interierit* (*homo*), *non sumet omnia*, i. e. *non* sumet *aliquid, nihil* (bonorum corporalium) secum asportabit. — Commune, idem

et immundum. * Et vox iterum secundo ad eum : Quod Deus 15
purificavit, tu commune ne dixeris. * Hoc autem factum est per 16
ter : et statim receptum est vas in cœlum.
* Et dum intra se hæsitaret Petrus quidnam esset visio, quam 17
vidisset : ecce viri, qui missi erant a Cornelio, inquirentes
domum Simonis, astiterunt ad januam. * Et cum vocassent, 18
interrogabant, si Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet
hospitium. * Petro autem cogitante de visione, dixit Spiritus 19
ei : Ecce viri tres quærunt te. * Surge itaque, descende, et 20
vade cum eis nihil dubitans : quia ego misi illos. * Descendens 21
autem Petrus ad viros, dixit : Ecce ego sum, quem quæritis :
quæ causa est, propter quam venistis ? * Qui dixerunt : Cornelius 22
centurio, vir justus, et timens Deum, et testimonium habens ab
universa gente Judæorum, responsum accepit ab angelo sancto
accersire te in domum suam, et audire verba abs te. * Introducens 23
ergo eos, recepit hospitio.
Sequenti autem die surgens profectus est cum illis : et quidam
ex fratribus ab Joppe comitati sunt eum. * Altera autem die 24
introivit Cæsaream. Cornelius vero exspectabat illos, convocatis
cognatis suis, et necessariis amicis. * Et factum est cum introisset 25

---

ac *immundum:* ita vocabatur a Judæis, quia ejus usus *communis* erat ceteris gentibus. Cf. Marc. VII, 5 *communibus manibus manducare.* Quod autem spectat ad prohibitionem, Judæis factam, manducandi quædam animalium genera, hujus loci non est causas inquirere ob quas Deus sub vetere Testamento illud præceptum dederit; sufficiat animadvertisse id sapientissime statutum fuisse, ut populus Israeliticus, adeo carnalis atque ad falsorum numinum cultum proclivis, a nimia familiaritate cum gentilibus arceretur. De cetero pertinet hæc quæstio ad Levit. XI, 4 sq.; cf. etiam Deut. XIV, 7 sq. — Petrus putabat hanc visionem sibi immissam fuisse, ut fidelitas sua in legem exploraretur.

15. QUOD DEUS PURIFICAVIT, *purum, mundum, declaravit:* actio exprimitur pro rei declaratione (ut Ps. LXXXI, 3 *pauperem justificate,* i. e. eum innocentem esse decernite); quod patet ex verbis sequentibus : *συ μη κοινου,* quæ a Vulgata recte vertuntur : *tu commune ne dixeris.*

16. PER (abundat) TER, ut res illa Petri animo altius informaretur.

18. VOCASSENT : tintinnabula aut malleoli ad portas non erant.

23. QUIDAM EX FRATRIBUS, sc. sex (XI, 12), tamquam rerum testes, COMITATI SUNT EUM.

24. ALTERA... DIE : postridie ejus diei quo iter inceperat, adeoque quarto die post visionem Cornelio oblatam. Cf. v. 30.

25. CUM INTROISSET PETRUS : græce *cum introiret* sc. partem domus anti-

Petrus, obvius venit ei Cornelius, et procidens ad pedes ejus
26 adoravit. * Petrus vero elevavit eum, dicens : Surge, et ego ipse
27 homo sum. * Et loquens cum illo intravit, et invenit multos,
28 qui convenerant : * dixitque ad illos : Vos scitis quomodo
abominatum sit viro Judæo conjungi aut accedere ad alienigenam :
sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum
29 dicere hominem. * Propter quod sine dubitatione veni accersitus.
30 Interrogo ergo, quam ob causam accersistis me ? * Et Cornelius
ait : A nudiusquarta die usque ad hanc horam, orans eram hora
nona in domo mea, et ecce vir stetit ante me in veste candida,
31 et ait : * Corneli, exaudita est oratio tua, et eleemosynæ tuæ
32 commemoratæ sunt in conspectu Dei. * Mitte ergo in Joppen, et
accersi Simonem, qui cognominatur Petrus : hic hospitatur in

---

cam seu vestibulum (nam postea v. 27 ipsum conclave intravit). CORNELIUS... PROCIDENS AD PEDES EJUS ADORAVIT, profundissimam ei, tamquam Dei legato, reverentiam exhibuit.

28. Vos, qui inter Judæos habitatis, SCITIS nefas esse JUDÆO CONJUNGI AUT ACCEDERE AD ALIENIGENAM, familiariter agere cum quopiam viro ethnico (sed Petrus non utitur vocabulo ειδωλολατρης aut simili quodam, propter urbanitatem); SED MIHI OSTENDIT DEUS (puta per illam visionem, de qua v. 11) non oportere deinceps quempiam HOMINEM IMMUNDUM DICERE, aut talem habere. Hoc exordio prudenter usus est s. Petrus, tum ut Judæos, qui cum ipso venerant, non offenderet, tum ut gentiles ad Evangelium recipiendum animaret.

Objicit **De Wette*, mente concipi non posse quomodo prohibitio familiariter agendi cum alienigenis, falsorum deorum cultoribus, si apud Judæos umquam exstiterit, etiam ad homines pios et religiosos extensa fuerit ; eo vel magis quod, hoc posito, nullis Judæis, ne severioribus quidem, ut Pharisæis, licitum fuisset in istis ad verum Deum convertendis elaborare : cf. Matth. XXIII, 15, et Jos. *Ant.* XXI, 2. Præterea, ex eo quod dicit s. Petrus, nefas fuisse Judæo se conjugere cum gentilibus, exortæ sunt multæ impiorum incriminationes adversus s. Scripturam veteris legis. Quamobrem paucis explicanda est quæstio generalis, de vitæ commercio quod Judæi cum gentilibus, sub vetere Testamento, habuerunt. Præcipua autem rerum capita in dissertatione 6ª, ad finem hujus libri, indicabimus.

30. A NUDIUSQUARTA DIE etc., quarta abhinc die (flandr. *het is nu juist vier dagen geleden*), hac ipsa hora 9ª orans eram. Ergo Petrus unum diem cum dimidio pro itinere faciendo adhibuerat, fere sicut viri a Cornelio misso (vide supra v. 9). Alius est verborum sensus, si lectionem sequamur cod. A**DEH, qui ante *orans* addunt *jejunans et*. Sed lectio Vulgatæ satis firma est, quum habeatur in cod. A*BC Sin.

domo Simonis coriarii juxta mare. * Confestim ergo misi ad te : et 33
tu bene fecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo
adsumus audire omnia quæcumque tibi præcepta sunt a Domino.
* Aperiens autem Petrus os suum, dixit : In veritate comperi, 34
quia non est personarum acceptor Deus, * sed in omni gente qui 35
timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi. * Verbum misit 36
Deus filiis Israel, annuncians pacem per Jesum Christum (hic est
omnium Dominus). * Vos scitis quod factum est verbum per 37
universam Judæam : incipiens enim a Galilæa post baptismum,

33. In conspectu tuo, ut habet cod. D ; sed melior lectio est *in conspectu Dei*, i. e. Deo teste.

34. Analysim orationis hujus supra in summario, initio capitis, tradidi. Comperi quia non est personarum acceptor Deus : certo nunc scio Deum nemini injuste favere, nempe cum alterius detrimento, eumque, sine ullo discrimine gentiles æque ac Judæos vocare ad fidem. Ex quibus verbis nequaquam erui potest, Petro antea persuasum fuisse Deum esse injustum *personarum acceptorem*, seu partium studio duci, in re vocationis ad fidem, temere favendo uni præ alio (quod significat dictio *personam accipere*, quando in malam partem sumitur, ut hic et Jacob. II, 9) : impia enim fuisset hæc cogitatio. Sed hactenus putavit Deum gratuitam suam electionem, et vocationem ad fidem, quam nemini debet, solis Judæis reservare: nunc vero, per visionem et monitionem Spiritus sancti, comperit gratiam fidei indiscriminatim omnibus, etiam gentilibus, ex gratuita Dei benignitate deinceps offerri. Huic autem explicationi objici nequit, illud jam diu antea Petro notum fuisse ex præcepto quod dederat Christus docendi *omnes gentes*, Matth. XXVIII, 19 : etenim, vel apostoli præceptum illud non perfecte intellexerant ; vel ignorabant quandonam prædicationem ad gentiles inchoare deberent.

35. Qui timet eum, et operatur justitiam acceptus est illi, et vocatur ad fidem; non tamen vocatur *propterea quod* timet eum, quasi ex suis meritis; nec Deum timere justitiamque operari valet sine gratiæ auxilio. Nota etiam, verba hoc sensu intelligenda non esse, quod homines mali, qui Deum hactenus non timuerunt neque justitiam perfecerunt, ad fidem et salutem numquam vocentur. — Acceptus est illi, adeo ut ad christianam fidem admittatur : qui sensus ex tota narrationis serie manifesto elucet. Si quis velit hunc locum ita explicare, ut omnes religiones dicantur æquales et indifferentes, summam in re exegetica inconsiderantiam, teste ipso *De Wette*, rationalista, ostendet.

36-38. Tres versiculi, quorum syntaxis est aliquatenus perturbata, habendi sunt tamquam una periodus, hoc modo, secundum græcum : *Vos scitis quod Deus, annuntians pacem per Jesum Christum (hic est Dominus omnium), miserit* (nuntiare fecerit) *Israelitis verbum* Evangelii, *quod factum est*

38 quod prædicavit Joannes, * Jesum a Nazareth quomodo unxit
eum Deus Spiritu sancto, et virtute, qui pertransiit benefaciendo,
et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum
39 illo. * Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Judæo-
40 rum, et Jerusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. * Hunc
41 Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri, * non
omni populo, sed testibus præordinatis a Deo : nobis, qui mandu-
42 cavimus, et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis. * Et
præcipit nobis prædicare populo, et testificari quia ipse est, qui
43 constitutus est a Deo judex vivorum, et mortuorum. * Huic omnes

---

(nuntiatum est) *per universam Judæam, initio ducto a Galilæa, post baptismum quem prædicabat Joannes : scitis*, inquam, a Deo missum fuisse verbum, videlicet *Jesum Nazarenum (quem unxerat Spiritu sancto et virtute), qui* (Jesus) *Judæam peragrabat benefaciendo, et omnes a diabolo oppressos sanando; quia Deus erat cum illo.*

PACEM, reconciliationem totius humani generis cum Deo; quæ obtinenda est PER JESUM CHRISTUM, quippe qui OMNIUM, non Judæorum tantum, sed etiam gentilium, DOMINUS sit et Salvator. Illud ultimum mox (v. 43) distinctius declarat s. Petrus.

38. DEUS, seu tota ss. Trinitas, UNXIT JESUM, secundum humanam naturam : nam operatio illa, qua Filius incarnatus est, tribus Personis communis est, in quantum est opus Dei *ad extra.* Deus autem Jesum unxit SPIRITU SANCTO, quia plenitudo omnium gratiarum (*Spiritus sancti*) in naturam ejus humanam effusa est, eo momento quo Verbum eam assumpsit, seu, ut sacra Scriptura dicit, eo momento quo Jesus *de Spiritu sancto conceptus et natus est.* Quod vero attinet ad singularem illam Spiritus sancti actionem in opere Incarnationis, id coram oculis habendum est : etsi omnis operatio Dei *ad extra* tribus Personis reipsa communis sit, nihilominus Incarnationem Filii Spiritui sancto tamquam causæ adscribi, quia est effectus divinæ benignitatis, et quia Spiritus sanctus, propter specialem Processionis suæ rationem, in divinis est ipsa Bonitas, ipse Amor.

UNXIT EUM SPIRITU SANCTO ET VIRTUTE : Deus omnes Spiritus sancti gratias in eum effudit, inter quas una ex præcipuis erat *virtus patrandi miracula.* Hæc gratia specialiter hic memoratur, quia per edita miracula Jesus divinam suam auctoritatem et dignitatem potissimum comprobavit. — QUONIAM DEUS ERAT CUM ILLO. Hoc jam tacite dixerat per verba *Deus unxit eum Spiritu sancto et virtute*, sed utile duxit veritatem illam primariam, de divino Christi munere, qua tamquam fundamento nititur religio, repetere et expresse affirmare.

43. CREDUNT IN EUM : *credere in aliquem*, vi hebraismi, idem prorsus in s. Scriptura significat ac *credere alicui.* Sic 1 Joann. V, 10 : *Qui credit in Filium Dei...; qui non credit Filio.* Nota tamen s. Thomam (*Summ. theol.* p.

Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum acci-
pere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.
* Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus 44
super omnes, qui audiebant verbum. * Et obstupuerunt ex cir- 45
cumcisione fideles, qui venerant cum Petro: quia et in nationes
gratia Spiritus sancti effusa est. * Audiebant enim illos loquentes 46
linguis, et magnificantes Deum. * Tunc respondit Petrus: Num- 47
quid aquam quis prohibere potest ut baptizentur hi, qui Spiritum
sanctum acceperunt sicut et nos? * Et jussit eos baptizari in 48
nomine Domini Jesu Christi. Tunc rogaverunt eum ut maneret
apud eos aliquot diebus.

II. Petrus rationem exponit ob quam ethnicos in Ecclesiam admiserit: cap. XI, 1-18.

Summarium. Petrus, a Judæo-christianis Jerosolymitanis inter-

---

1, q. 2). recte distinguere hæc tria: *credere Deum, credere Deo, credere in Deum.*

44. Petri oratio, quæ multo longior esse debuisset (ut conjicere possumus ex analysi supra in summario hujus cap. tradita, et ut aperte testatur ipsemet orator, XI, 15 *cum cœpissem loqui*), ex improviso abrupta fuit per miraculosum atque aspectabilem Spiritus sancti descensum in auditores: inutile erat de Christo, deque fide in ipsum plura dicere, quum omnes jam tam perfecte essent instituti ac præparati ut Spiritum s. recipere mererentur. — Hoc unicum est exemplum Spiritus sancti ante Baptismum collati: Deus autem singulare istud prodigium concessit, ut eo firmius pleniusque demonstratum esset gentiles in Ecclesiam admittendos esse, etiam absque circumcisione.

46. Alterum miraculum jam fit, quum donum *glossolaliæ*, sicut Apostoli die Pentecostes (II, 4), accipiant. Si autem verum sit, quod quidam conjiciunt (vide dissert. nostr. *De dono ling.* in append. 1æ ad Cor., in *Comm.* nostro *Epist. Paul.*), per linguas illas intelligendam esse linguam universalem et primigeniam, quæ ante confusionem Babelicam in usu erat, et in qua omnium linguarum elementa erant comprehensa: dicendum erit miraculum hoc satis apte a Deo electum fuisse, in istis rerum adjunctis, ut unitas et communio populorum in Ecclesia significaretur.

47. Iis qui baptismum Spiritus sancti acceperant, negandus non erat Baptismus aquæ, i. e. Sacramentum illud sine quo nemo ad corpus Ecclesiæ externum pertinere potest.

48. Jussit eos baptizari: ad Apostolorum munus proprie non spectabat ut ipsimet Baptismum conferrent: 1 Cor. I, 17 *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare.*

rogatus, cur gentiles adierit (1-3), illis plenissime satisfacit, rem universam ab origine exponens (4-18).

1 * Audierunt autem Apostoli, et fratres, qui erant in Judæa,
2 quoniam et Gentes receperunt verbum Dei. * Cum autem ascendisset Petrus Jerosolymam, disceptabant adversus illum qui erant
3 ex circumcisione, * dicentes : Quare introisti ad viros præputium
4 habentes, et manducasti cum illis ? * Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem, dicens :
5 * Ego eram in civitate Joppe orans, et vidi in excessu mentis visionem, descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor
6 initiis summitti de cœlo, et venit usque ad me. * In quod intuens considerabam, et vidi quadrupedia terræ, et bestias, et reptilia, et
7 volatilia cœli. * Audivi autem et vocem dicentem mihi : Surge
8 Petre, occide, et manduca. * Dixi autem : Nequaquam Domine : quia commune aut immundum numquam introivit in os meum.
9 * Respondit autem vox secundo de cœlo : Quæ Deus mundavit,
10 tu ne commune dixeris. * Hoc autem factum est per ter : et recepta
11 sunt omnia rursum in cœlum. * Et ecce viri confestim astiterunt
12 in domo, in qua eram, missi a Cæsarea ad me. * Dixit autem Spiritus mihi, ut irem cum illis, nihil hæsitans. Venerunt autem mecum et sex fratres isti, et ingressi sumus in domum viri.
13 * Narravit autem nobis, quomodo vidisset angelum in domo sua, stantem et dicentem sibi : Mitte in Joppen, et accersi Simonem,
14 qui cognominatur Petrus, * qui loquetur tibi verba, in quibus
15 salvus eris tu, et universa domus tua. * Cum autem cœpissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut et in nos in initio.
16 * Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat : Joannes

---

2. Qui erant ex circumcisione : non certe designantur omnes circumcisi (Judæo-christiani omnes), nam vix alii in ecclesia Jerosolymitana erant; sed ii tantum qui de circumcisione sua gloriabantur, qui eam observandam putabant.

3. Quare etc. : græce est ὅτι recitativum absque interrogatione : quod paulo mitius videtur. Introisti..... et manducasti. Notat s. Chrysostomus illos non ausos fuisse directe objicere Petro, gentiles in Ecclesiam ab eo admissos fuisse. Apostolus tamen rem defendit de qua illi tacuerant.

4. Miremur Petri modestiam et humilitatem, qui, quamvis sit princeps apostolorum Ecclesiæque caput, benigne tamen obsequitur votis subditorum, et facti sui rationem reddit.

16. Joannes quidem etc. : cf. supra I, 5.

quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto.
* Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, sicut et nobis, qui 17
credidimus in Dominum Jesum Christum: ego quis eram, qui
possem prohibere Deum? * His auditis, tacuerunt : et glorifica- 18
caverunt Deum, dicentes : Ergo et Gentibus pœnitentiam dedit
Deus ad vitam.

III. Prima Ecclesia, ex ethnico-christianis cooptata, Antiochiæ in Syria constituitur : cap. XI, 19-30.

Summarium. Quidam christiani, ob persecutionem, quæ post Stephani mortem excitata fuerat, dispersi, Christum variis in regionibus etiam extra Judæam prædicaverant ; imo vero, Antiochiæ gentilibus magno cum successu verbum Dei nuntiaverant (19-21). Nunc autem, ut fructus perficiatur, Barnabas illuc mittitur (22) ; qui post inchoatum Evangelii laborem (23, 24), Saulum sibi adjutorem Tarso arcessit (25), et simul cum ipso florentissimam ibi fundat ecclesiam (26). Propheta Agabus famem late grassaturam prædicit (27, 28) : ob eamque rem Antiocheni eleemosynam christianis Judææ per Paulum et Barnabam mittunt (29, 30).

* Et illi quidem, qui dispersi fuerant a tribulatione, quæ facta 19
fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phœnicen, et
Cyprum, et Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis

---

18. His auditis, agnoverunt omnia per Dei voluntatem gesta fuisse, et tacuerunt, Petro acquieverunt.

19. Quidem, ουν, *resumentis* particula Narrationem de rebus gestis ab iis qui post mortem Stephani fugere coacti fuerant, quam inceperat VIII, 4, et abruperat ib. v. 40, nunc pergit. Ergo quæ v. 19-21 referuntur, facta sunt per intervallum plurimorum annorum, quod inter mortem Stephani et missionem Barnabæ Antiochiam ponendum est. — Sub Stephano : interpres noster legit επι cum genitivo, quemadmodum codd. AE; sed melior lectio habet επι cum dativo, quod sign. *ob Stephanum, occasione Stephani.*

Antiochiam : urbs erat Syriæ princeps, sedes proconsulis Romani, qui provinciæ Syriæ id temporis præerat. Maxima (3ª universi imperii Romani, teste Josepho *B. J.* 3, 2, 4 : cui concinit 1 Mach. XI, 45, ubi sermo fit de 120,000 virorum armis ferendis idoneorum), et tum artibus quum divitiis florentissima, inter incolas suos multos habebat Judæos. Non tam ex iis quam ex gentilibus coaluit ecclesia celeberrima, cujus fundatio hic a Luca narratur, et quæ prima nomen *Christiani* cognovit. Sicut Jerusalem cen-

20 Judæis. * Erant autem quidam ex eis viri Cyprii, et Cyrenæi,
qui cum introissent Antiochiam, loquebantur et ad Græcos,
21 annunciantes Dominum Jesum. * Et erat manus Domini cum
eis : multusque numerus credentium conversus est ad Dominum.
22 * Pervenit autem sermo ad aures ecclesiæ, quæ erat Jerosolymis
23 super istis : et miserunt Barnabam usque ad Antiochiam. * Qui
cum pervenisset, et vidisset gratiam Dei, gavisus est : et horta-
24 batur omnes in proposito cordis permanere in Domino : * quia
erat vir bonus, et plenus Spiritu sancto, et fide. Et apposita
25 est multa turba Domino. * Profectus est autem Barnabas Tarsum,
ut quæreret Saulum : quem cum invenisset, perduxit Antiochiam.
26 * Et annum totum conversati sunt ibi in ecclesia : et docuerunt
turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ
discipuli, Christiani.

---

trum fuit Judæo-christianorum, sic Antiochia ethnico-christianorum, donec Roma utrosque complexa, mundi christiani seu Ecclesiæ Catholicæ caput factum est.

20. Græcos, *gentiles*. Nam per δε opponuntur illis qui v. 19 *solis Judæis* prædicabant. Rumor forte de admisso Cornelio illuc jam vulgatus fuerat. Pro lectione Ἕλληνας, quæ hic tenenda videtur, plerique codices (BD*EGH, Sin.) habent Ἑλληνιστάς, sed hæc vox minus congruit; namque Evangelium *Hellenistis*, i. e. Judæis græcisantibus, prædicari, non signat oppositionem cum verbis v. 19 *solis Judæis*.

21. Erat manus (potentia) Domini cum eis, ad patranda miracula quibus doctrinam suam confirmarent.

22. Miserunt, videlicet apostoli, Petrus et Jacobus, qui videntur tunc ibi fuisse, ut e serie narrationis (XII, 1-17) colligitur : apostolica sua auctoritate quod factum fuerat comprobare voluerunt. Barnabam autem miserunt, virum Cyprium et Hellenistam, qui cum prædicatoribus istis Cypriis sine Judæorum offensione consilia communicare facile poterat.

23. Cum vidisset gratiam Dei in conversione et sancta vita istorum gentilium couspicuam. Nota, id ipsum quod gratiæ tribuitur, etiam *libero* voluntatis *proposito* adscribi, quum dicatur *hortabatur omnes in proposito cordis permanere.* — Gavisus est de bono ab aliis facto : quæ quidem lætitia argumentum præbet indubium mentis purissimæ et sanctissimæ, qua vir ille præditus erat.

26. Conversati sunt ibi in Ecclesia. Græce loco *conversari* habetur συναχθῆναι, adeo ut sensus sit : *sacros conventus egerunt.* Christiani : nomen illud gloriosissimum primum hic occurrit; certe inventum et impositum fuit a gentilibus, cum notione quadam malevola (quod confirmatur ex duobus aliis locis novi Testamenti in quibus legitur, et ubi ab ethnicis tantum

* In his autem diebus supervenerunt ab Jerosolymis prophetæ 27
Antiochiam : * et surgens unus ex eis, nomine Agabus, signifi- 28

---

adhibetur, sc. Act. XXVI, 28 Agrippa ait: *Suades me Christianum fieri;* 1 Petr. IV, 16 *si quis patiatur ut Christianus, non erubescat*), quasi sectatores cujusdam viri nomine *Christi*, sicut dicebatur *Pompeiani*, *Herodiani* etc. Judæi autem hujusmodi appellationem (Χριστος, i. e. Messias, erat nomen ipsis sanctum) non dedissent viris invisis (potius dicebant *Nazareni*, Act. XXIV, 5). Christi porro discipuli inter se utebantur nominibus *sancti*, *credentes*, *fratres*. Hactenus gentiles christianismum ut sectam quamdam Judaicam habuerant: nunc primum in historia mundi Ecclesia Christi ut societas distincta agnoscitur.

27. Prophetæ: viri, qui dono seu charismate *propheticæ* sensu lato intellectæ pollebant: quid vero hoc dono comprehenderetur explicavimus 1 Cor. XIV, 1, cf. *Comm.* nostr. *in Epist. Paul.* 3ª ed. 1876.

28. Surgens unus ex eis, nomine Agabus. *Surgens*, forsitan in publico conventu, inter sedentes surrexit; verbum per πλεονασμον adjicitur cum notione rei subitæ: in cœtu ex improviso prædictionem fecit. De *Agabo* iterum fit mentio XXI, 10. Significabat per spiritum (malim scribere *Spiritum* cum lit. majore), per interiorem Spiritus sancti inspirationem. *Significabat*, εσημανε: quod quidem verbum actionem symbolicam, sicut XXI, 10 sq., innuere videtur.

Famem futuram in universo orbe terrarum: οικουμενη, 1° proprie *terra habitata*, seu omnes terrarum incolæ: Act. XVII, 31 Christus *judicaturus est orbem in æquitate;* Luc. XXI, 26 *quæ supervenient universo orbi*, sc. in fine seculorum; Rom. X, 18 *in fines orbis terræ (exierunt) verba eorum;* Hebr. I, 6 et II, 5 *orbis futurus*, i. e. universa terra qualis futura sit sub regno Messiæ. 2° Aliquando sensu strictiore sumitur de ingentissima terræ parte vel incolis hujus, ubi e contexta oratione definiendum quænam sit intelligenda: Act. XXIV, 5 Paulus accusatur de concitata seditione inter *omnes Judæos universo orbe*, i. e. ubicumque terrarum inveniantur Judæi. Luc. II, 1 describitur *universus orbis*, utique terræ omnes Romanis subjectæ, seu imperium Romanum, siquidem de censu Romanorum jussu perficiendo sermo fit. Eadem fere significatio vocis est hic in Act. XI, 28, de fame futura sub Claudio, imperatore Romano, ergo in regionibus omnibus imperii Romani. Qui dicunt hic cogitandam tantum esse *Palæstinam* seu *Judæam universam* (Beel.) gratuito et pro arbitrio rem affirmant. Neque enim hæc interpretatio ex Jos. *Ant.* 8, 13, 4, ubi Achab dicitur misisse *per totum orbem* κατα πασαν την οικουμενην viros qui Eliam perquirerent, confirmatur; namque sensus est, Prophetam quærendum esse *quovis locorum, quocumque* terrarum se receperit (*fût-ce au bout du monde*).

Quæ facta est sub Claudio: et re quidem vera, sub ejus regno (a. 41-54) fere omnes Romani imperii provinciæ fame afflictæ fuerunt: atque in specie Syria et Palæstina quarto regni anno, ut refert Jos. *Ant.* 20, 2, 6; 3, 15, 3; pariter Eus. *H. E.* 2, 11.

cabat per spiritum famen magnam futuram in universo orbe
29 terrarum, quæ facta est sub Claudio. * Discipuli autem, prout
quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere
30 habitantibus in Judæa fratribus : * quod et fecerunt, mittentes
ad seniores per manus Barnabæ, et Sauli.

§ 13. *Jacobus occiditur ; Petrus in carcerem conjectus per miraculum liberatur ; mors Herodis persecutoris* : CAP. XII.

Summarium. Herodes, occiso Jacobo (1, 2), Petrum in carcerem detrudit, necem ei quoque intentans (3, 4). Sed hic noctu per angelum, insciis custodibus, liberatur (5-11), et domum petit in qua fideles ad preces sanctas pro Petro Deo offerendas congregati erant, iisque suam narrat liberationem (12-17). Herodes autem jubet custodes, quasi negligentiæ reos, morte affici (18-19^{a}) ; deinde Cæsaream abiens, divinum honorem sibi a populo exhibitum impie accipit (19^{b}-22) ; ideo ab angelo percussus, consumptus vermibus expirat (23). Ecclesiæ incrementum (24). Barnabas et Saulus Antiochiam redeunt (25).

1 * Eodem autem tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret

---

29. PROUT QUIS HABEBAT : καθως ηυπορειτο τις, horum vim verborum recte exprimit *Beelen* (in Comm. suo), flandrice: *naar mate dat iemand wel bemiddeld was.*

30. SENIORES, τους πρεσβυτερους, sc. Jerosolymitanos, namque ex XII, 25 liquet Barnabam et Saulum Hierosolymam ivisse. De senioribus istis iterum mentio fit XV, 2. Igitur primis ecclesiis jam sui erant *presbyteri*, i. e. ministri quidam sacri istis communitatibus ab Apostolis præfecti, tamquam rectores, doctores, mysteriorumque dispensatores. De πρεσβυτεροις eorumque cum επισκοποις connexione, videsis in *Append.* huj. op. Dissert. 7^{m}.

1. Nova jam oritur persecutio, non, ut antea, a synedrio vel a populo Judæo excitata, sed ab ipso rege, atque adeo a potestate illa suprema, cui per Romanos concessum erat jus gladii (illud enim Judæis olim jam fuerat ereptum, Joan. XVIII, 31). Iste autem rex adversus christianos furit, non e studio legis vel religionis, sed ob causam politicam, ut populo placeat. Verum Deus, post occisum unum ex Apostolis, mox ostendit, per Petri liberationem regisque pœnam, hinc quidem potestati suæ omnia subjici, illinc vero se tutorem esse ac vindicem Ecclesiæ. Ita præclare Bisping.


EODEM TEMPORE : græce *circa illud tempus.* Eodem tempore, ut videtur, quo Barnabas et Saulus Antiochiæ ministrabant : adeo ut XII, 25 series factorum, per XII, 1-24 interrupta, connectatur cum XI, 30. Igitur, cum

quosdam de Ecclesia. * Occidit autem Jacobum fratrem Joannis 2
gladio. * Videns autem quia placeret Judæis, apposuit ut 3
apprehenderet et Petrum. Erant autem dies Azymorum. * Quem 4
cum apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quater-

---

viri illi Hierosolymam pervenerunt, jam liberatus et profectus erat Petrus, Herodesque obierat : unde explicatur quare XI, 30 *seniores* tantum, non *Apostoli* nominentur.

HERODES Agrippa I REX Palæstinæ constitutus fuerat a Claudio, quocum amicitiam contraxerat, dum Romæ educatus fuerat. — Tres autem Herodes in novo Testamento memorantur, quos ut recte discernamus, utile erit schema familiæ per tabulam genealogicam describere.



MISIT (*επεβαλε, injecit*) MANUS violentas, vi comprehendere fecit. Cf. Act. XVIII, 10.

2. JACOBUM *Majorem*, filium Zebedæi, qui, secundum Bollandistas (ad 25 Julii), fidem in Hispania antea prædicaverat. Istam autem opinionem solide confutat Nat. Alex. (sec. I, diss. 15), teste Hefele *(Dict. encycl. de Wetz. et Welte)*.

3. VIDENS QUIA PLACERET JUDÆIS. Gratiam Judæorum, quos a Claudio, Imperatore Romano, in subditos recens acceperat, quibusque invisus erat ob mores ethnicos Romæ contractos, sibi conciliare volebat. APPOSUIT UT APPREHENDERET (hebraismus), *rursum, iterum* apprehendit alium, nempe PETRUM. Eodem modo sæpe dicit s. Scriptura *addere aliquid facere*, pro *iterum facere* ; v. gr. Ezech. XXXVI, 12 : *Non addes ultra ut absque eis sis*, in posterum eos non rursum derelinques. Similiter Luc. XIX, 11 : *Adjiciens dixit parabolam*, iterum dixit; Luc. XX, 11 : *Addidit alterum servum mittere*, iterum alium misit, etc. — DIES AZYMORUM : ergo in Paschate a. 42, secundum chronologiam, quam in § 17 Introd. adoptavimus.

4. Quatuor milites, apud Romanos, quorum mores Herodes Agrippa, utpote Romæ educatus, æmulabatur, noctu in excubitu erant per tres horas primæ vigiliæ : alii quatuor eis succedebant pro 2a vigilia, pariter pro 3a et 4a; ita ut 16 essent ad excubias unius noctis. — POST PASCHA. Per *Pascha* intellige, non *solum diem Paschatis*, sed *septem Azymorum dies*, qui interdum

nionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere
5 eum populo. * Et Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio
autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.
6 * Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte
erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus :
7 et custodes ante ostium custodiebant carcerem. * Et ecce angelus
Domini astitit: et lumen refulsit in habitaculo: percussoque latere
Petri, excitavit eum, dicens : Surge velociter. Et ceciderunt cate-
8 næ de manibus ejus. * Dixit autem angelus ad eum : Præcingere,
et calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit ille : Circumda
9 tibi vestimentum tuum, et sequere me. * Et exiens sequebatur
eum, et nesciebat quia verum est, quod fiebat per angelum :
10 existimabat autem se visum videre. * Transeuntes autem primam
et secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit
ad civitatem : quæ ultro aperta est eis. Et exeuntes processerunt
vicum unum : et continuo discessit angelus ab eo.
11 * Et Petrus ad se reversus, dixit : Nunc scio vere quia misit

---

vocantur *Pascha*, adeo ut hæc vox totum festorum dierum tempus, a 14 mensis Nisan usque ad 21, designet. — VOLENS PRODUCERE EUM POPULO, publice coram populo capitis damnare et morte afficere.

6. VINCTUS CATENIS DUABUS, quarum una ligabat manum (vel brachium) ejus dexteram et sinistram unius militis, altera vero ejus sinistram et dexteram alterius militis : qui quidem vinciendi mos apud Romanos obtinebat. Alii duo milites erant foris, unus ad ostium carceris excubias agebat, alter vero ad portam ferream ; cf. v. 10.

7. LUMEN : puta, ab assumpto Angeli corpore relucens : cf. Matth. XXVIII, 3. REFULSIT IN HABITACULO, *carcere*. — Cogitemus milites alto sopore, divinitus fortasse immisso, oppressos.

8. PRÆCINGERE. Petrus tunicam talarem, qua, Orientalium more, indutus erat, laxato cingulo ad pedes usque demiserat : quum nunc incedendum sit, jubetur eam, cingulo collectam, ad lumbos constringere. CALCEA TE CALIGAS TUAS, *ὑποδησαι τα σανδαλια*, *subliga tibi sandalia tua*. Pro calceamentis Hebræi utebantur soleis, plantam pedis tegentibus, quæ funiculis superne pedibus alligabantur. VESTIMENTUM, *pallium*. Pleniorem horum vestimentorum notitiam videsis in *Comm.* nostr. *s. Matth.*, 3ª ed. p. 1481 sq.

10. TRANSEUNT PRIMAM CUSTODIAM, *primum custodem :* abstractum pro concreto. Eodem modo flandrice dicitur : *de wacht, de schildwacht.* — QUÆ DUCIT AD CIVITATEM... Si carcer intra mœnia civitatis fuerit, quod probabile est, intelligitur porta qua via in plateam patebat.

11. ERIPUIT ME... DE EXSPECTATIONE PLEBIS JUDÆORUM (metonymia), *de supplicio a Judæis avide exspectato.*

Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de
omni exspectatione plebis Judæorum. * Consideransque venit 12
ad domum Mariæ matris Joannis, qui cognominatus est Marcus,
ubi erant multi congregati, et orantes. * Pulsante autem eo 13
ostium januæ, processit puella ad audiendum, nomine Rhode.
* Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, 14
sed intro currens nuntiavit stare Petrum ante januam. * At 15
illi dixerunt ad eam : Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere.
Illi autem dicebant : Angelus ejus est. * Petrus autem perseve- 16
rabat pulsans. Cum autem aperuissent, viderunt eum, et obstu-
puerunt. * Annuens autem eis manu ut tacerent, narravit 17
quomodo Dominus eduxisset eum de carcere dixitque : Nuntiate
Jacobo, et fratribus hæc. Et egressus abiit in alium locum.

---

12. CONSIDERANS : attente inspiciens ubi esset. JOANNES... MARCUS, de quo cap. XIII, 5, 13 et XV, 37-39. Multi opinantur eumdem esse virum ac s. Marcum Evangelistam. *Maria* illa erat soror vel fratria (*belle-sœur*) Barnabæ, Col. 4, 10.

13. OSTIUM JANUÆ, *την θυραν του πυλωνος*, *vestibuli ostium.* — PROCESSIT PUELLA (*παιδισκη* sine art., aliqua puella cui ista nocte januæ custodia commissa fuerat) AD AUDIENDUM : *ὑπακουσαι*, quæ vox proprie adhibetur de janitoribus, qui, antequam portam aperiant, quis adsit interrogant.

15. INSANIS. Animadvertit Lorinus plerumque fieri ut non facile credatur id quod maxime cupiatur, quia semper timetur ne non contigerit.

ANGELUS EJUS. *Angelus* intelligitur proprie dictus, non, ut volunt multi Protestantes (dico *multi*, quia excipiuntur Grotius, Basnagius, Clerici duo, Wolfius etc.), *nuntius* ejus, seu vir quidam ab ipso missus : etenim, quomodo, hoc posito, ancilla affirmasset se Petri *vocem* audiisse? Præterea, ut notat P. Patrizi, *angelum* Petri fuisse, non ejus *nuntium*, probatur ex eo quod addatur articulus (*ὁ αγγελος αυτου*), cui, si eo nomine *nuntium* Lucas significare voluisset, nullus locus esset, quum nec quidquam de hoc nuntio dictum antea sit, nec veri simile videatur certum quemdam virum Petro fuisse, quo uno is velut nuntio uteretur. *Hinc*, ait s. Chrys. ad h. l., *verum probatur, unumquemque nostrum angelum habere*, sc. ad. custodiam. Et hæc est communis catholicorum sententia, nixa verbis Christi, Matth. XVIII, 10 : *Angeli eorum* (pusillorum) *in cœlis semper vident faciem Patris mei.* Vide *Comm.* nostr. *s. Matth.*, 3ª ed., ad ill. l.

17. JACOBO *Minori*, qui alibi dicitur *Frater Domini*, i. e. Christi consanguineus, quique post discessum Petri fuit primus Jerosolymorum episcopus. Idem probabiliter est ac Alphæi seu Clopæ filius, Judæ apostoli frater, auctor epistolæ, quæ, sub nomine s. Jacobi, inter *Catholicas* primo loco in Vulgata recensetur.

ABIIT (Petrus) IN ALIUM LOCUM. Quo abierit haud constat. Censet

18 * Facta autem die, erat non parva turbatio inter milites
19 quidnam factum esset de Petro. * Herodes autem cum requisisset
eum, et non invenisset, inquisitione facta de custodibus, jussit
eos duci : descendensque a Judæa in Cæsaream, ibi commoratus
est.
20 * Erat autem iratus Tyriis, et Sidoniis. At illi unanimes
venerunt ad eum, et persuaso Blasto, qui erat super cubiculum
regis, postulabant pacem, eo quod alerentur regiones eorum ab
21 illo. * Statuto autem die Herodes vestitus veste regia, sedit
22 pro tribunali, et concionabatur ad eos. * Populus autem acclama-
23 bat : Dei voces, et non hominis. * Confestim autem percussit
eum angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo : et
consumptus a vermibus, expiravit.

A Lapide eum tunc Romam profectum esse, ubi sedem pontificiam occupavit per 25 annos, nempe ab anno 42 usque ad 67, quo anno martyr occubuit. S. Lucas ideo fortasse tacet de itinere Petri Romano quod illud Theophilo, urbis Romæ incolæ, apprime notum esset.

Persona Petri ex historia Actuum deinceps evanescit (excepto casu concilii Jerosolymitani, XV, 7 sq.). Paulus jam primas narrationis partes occupabit : ideo c. XIII alteram libri sectionem inchoamus.

19. INQUISITIONE FACTA, *ανακρινας, illorum causa cognita*, JUSSIT EOS DUCI ad supplicium.

20. UNANIMES, communi utriusque civitatis consensu seu decreto, VENERUNT, per legatos suos, AD HERODEM, ET PERSUASO BLASTO, eo in suas partes pertracto (*πεισαντες*), POSTULABANT PACEM, petebant ut pacifice cum ipsis agere vellet, ut quiete et tranquille vivere possent : verba ita intelligenda esse opiner, propterea quod non videatur ea tempestate bellum ab Herode ipsis indictum fuisse.

21. PRO TRIBUNALI, *επι του βηματος, in suggestu*, seu *solio;* ET CONCIONABATUR, *εδημηγορει, publice verba faciebat* ad illos legatos.

22. VOCES. In omnibus fere codicibus habetur *φωνη, vox*, in singulari numero.

23. EO QUOD NON DEDISSET HONOREM DEO, sed sibi honorem divinum tribui passus fuisset; populi enim impiam adulationem minime respuit, sed admisit, ut aperte testatur Jos. l. mox citando. CONSUMPTUS A VERMIBUS, morbo vermiculari (non pediculari, ut quidam autumarunt) correptus, EXSPIRAVIT; videlicet, teste Fl. Josepho, post quinque dies, acerbissimo cruciatu per totum illud tempus non remittente.

Narratio s. Lucæ ita convenit cum iis quæ scripsit historicus ille æqualis et omni fide dignus, ut inde firmissimum liceat deducere argumentum pro Actuum Apostolorum veracitate. Cf. *Antiq. Jud.* lib. XIX, cap. 8. Duæ tantum sunt alicujus momenti differentiæ ; neque angeli, nec morbi

* Verbum autem Domini crescebat, et multiplicabatur. * Bar- 24-25
nabas autem et Saulus reversi sunt ab Jerosolymis expleto
ministerio, assumpto Joanne, qui cognominatus est Marcus.

---

vermicularis meminit Fl. Josephus, neutrum tamen excludit. Mirum sane non est, ab auctore profano divinam istius morbi causam non indagari; deinde probabile est, ex reverentia erga regem defunctum, morbi *genus* tantummodo, non autem *speciem*, ab ipso indicari: ob eamque rem nonnisi de vehementibus ventris et intestinorum doloribus sermonem fieri, nullamque interjici mentionem de causa istorum dolorum, nempe de morbo vermiculari, quippe qui tam invisi nominis sit. Eodem morbo Antiochus Epiphanes, qui veri Dei cultum abolere conatus est, etiam divinitus perculsus fuit, ut legimus 2 Mach. IX, 5, 9 et seq. Idem de Galerio Valerio Maximiano narrat *Lactantius (De morte persec.* c. 33).

25. Expleto ministerio, quod Antiocheni eis commiserant : cap. XI, 30. Editio Vulgatæ authentica a. 1598 loco *ministerio* habet *mysterio :* quod mendum est typographicum, et certe mendum manifestum, ideo a nobis pleno jure correctum.

PARS POSTERIOR:

ACTA PAULI PRÆCIPUA QUIBUS ECCLESIA EXTRA JUDÆAM DILATATUR (CAP. XIII-XXVIII).

§ 1. *Primum iter apostolicum s. Pauli, quem comitatur Barnabas:* CAP. XIII-XIV.

I. PRÆDICANT IN CYPRO, ET ANTIOCHIÆ PISIDIÆ; PAULI ORATIO FUSE RECITATUR: CAP. XIII.

Summarium. Saulus et Barnabas, jussu Spiritus sancti gentilibus prædicaturi, Antiochia in Cyprum proficiscuntur (1-5). In oppido Papho, cum falsus propheta, nomine Bar-Jesu, qui fidem impugnabat, oculorum cæcitate perculsus fuisset, Proconsul Sergius Paulus ad Christum se convertit (6-12). Mox inde Pergam, in Asia Minore, navigant Apostoli; ubi Joannes Marcus, qui eos Antiochia comitatus fuerat, eos relinquit (13). Perga veniunt Antiochiam Pisidiæ; ibique Paulus, in synagoga ad Judæos verba faciens (14-16), post satis longum exordium, in quo quædam historiæ sacræ facta, a liberatione Ægyptiaca usque ad Davidem attingit (17-22), Jesum verum Messiam demonstrat triplici argumento: 1° testimonio Joannis Baptistæ (23-25); 2° injusta morte quam, secundum Prophetarum prædictiones, a populo suo perpessus fuerat (26-29); 3° resurrectione ejus. Hanc autem certissimam esse, probat a/ per innumeros testes, qui eum a mortuis revocatum viderant (30-32); b/ per plura Davidis oracula (33-37). Tandem orationem concludit exhortando auditores ut remissionem peccatorum a Messia oblatam amplectantur (38-41). Fructus illius orationis (42-43). Sequenti sabbato, verbum Dei, non jam Judæis, utpote indignis, sed gentilibus, maximo cum successu evangelizant Paulus et Barnabas (44-49). Quare, seditione a Judæis excitata, Antiochia expelluntur, et Iconium petunt (50-52).

1 * Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ, et doctores, in quibus Barnabas, et Simon, qui vocabatur Niger, et

---

1. HERODIS TETRARCHÆ, sc. Antipæ, qui Joannem Baptistam occidit et Jesum irrisit. SAULUS, tamquam præcipuus, ultimo loco nominatur.

Lucius Cyrenensis, et Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ
collactaneus, et Saulus. * Ministrantibus autem illis Domino, et 2
jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus : Segregate mihi Saulum
et Barnabam, in opus, ad quod assumpsi eos. * Tunc jejunantes, 3
et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.
* Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto abierunt Seleuciam : 4

---

2. MINISTRANTIBUS, λειτουργουντων ; quæ vox derivat a λειτος *publicus* (idque a λαος seu λεως *populus*), et εργον *opus*; et significat proprie *publicum opus facere*, inde *publicum munus obire*. Hic vero, cum addatur *Domino*, verbum sumendum est de ministerio aliquo publico circa Dei cultum : et potest intelligi de omnibus actionibus publicis quæ ad hunc cultum spectant, quales sunt prædicationes, sacrificia (de sacrificiis veteris Legis idem verbum adhibetur Hebr. X, 11), preces liturgicæ etc. Inter actiones illas sacras, longe præcipua, sub nova Lege, est sacrosanctæ Missæ celebratio, quam Græci per nomen *Liturgiæ* exprimunt. Itaque sacrificium Missæ, quamvis non plane hic *demonstretur*, tamen *innuitur;* ideo præsertim quod addatur *et jejunantibus :* quippe quum jejunium a sacerdotibus, ante Missæ celebrationem, non vero ante prædicationem, perpetuo soleret observari.

SEGREGATE, videtur referre hebraicum *separare* pro *consecrare*, v. gr. Num. VI, 5. Itaque sensus erit : *Consecrate* MIHI SAULUM ET BARNABAM, sc. per *sacramentalem* manuum impositionem et episcopalem Ordinationem, IN OPUS AD QUOD etc., ut fungi possint ministerio, ad quod eos mihi elegi (*mihi :* nam verbum græcum est in forma perfecti passivi, sed habet notionem *mediam*), nempe ad ministerium prædicandi Evangelium inter gentiles. — Personalitas et divinitas Spiritus sancti ex hoc loco confirmantur.

3. IMPONENTES... EIS MANUS. Ut modo diximus, intelligimus, non deprecatoriam aliquam manuum impositionem, sed *consecratricem*, qua Sacramentum Ordinis episcopalis collatum fuit. Hæc est sententia ss. Chrys. et Leonis M., eamque catholici fere omnes amplectuntur. Deinde, præter Matth. XIX, 13, nusquam, in toto novo Testamento, reperiuntur manuum impositiones quæ *deprecatoriæ* tantum sint; sed ritus ille semper adhibetur, vel ad sanandum et a morte excitandum (Matth. IX, 18; Mc. 16, 18 *super ægros manus imponent);* vel ad sacrandum, v. gr. Act. VI, 6, de consecratione Diaconorum; Act. VIII, 17; XIX, 6; Hebr. VI, 2, de Sacr. Confirmationis; 1 Tim. IV, 14; V, 22; 2 Tim. I, 6, de consecratione episcopali. Tandem adjunguntur hic jejunium et orationes, ut infra XIV, 22, ubi de consecratione, seu Ordinatione proprie dicta, certo scribitur.

4. MISSI A SPIRITU SANCTO etc. Nunc igitur incipit magna illa Pauli missio ad gentes innumeras per totum fere orbem Romanum dispersas, quam Christus ipsi destinaverat (supra IX, 15), sed quam non inchoavit nisi postquam per Ordinationem episcopalem ab Ecclesia legitime consecratus fuerat. Secundum chronologiam, quam adoptavimus in introd. § 17, id factum est anno circiter 42. Sunt tamen qui eam tardius ponant, a. 45.

5 et inde navigaverunt Cyprum. * Et cum venissent Salaminam,
prædicabant verbum Dei in synagogis Judæorum. Habebant
6 autem et Joannem in ministerio. * Et cum perambulassent uni-
versam insulam usque Paphum, invenerunt quemdam virum
magum pseudoprophetam, Judæum, cui nomen erat Bar-Jesu,
7 * qui erat cum proconsule Sergio Paulo viro prudente. Hic,
accersitis Barnaba et Saulo, desiderabat audire verbum Dei.
8 * Resistebat autem illis Elymas magus (sic enim interpretatur
9 nomen ejus), quærens avertere proconsulem a fide. * Saulus
autem, qui et Paulus, repletus Spiritu sancto, intuens in eum,

---

ABIERUNT : κατηλθον, *descenderunt*, quod eleganter dictum est de iis qui ad mare pergunt. SELEUCIAM, quæ ab Antiochia parum distabat, et juxta mare Mediterraneum posita erat, ad ostium Orontis : ergo quasi Antiochiæ portus erat. ET INDE... CYPRUM, Barnabæ patriam (Act. IV, 36), ubi jam paulo ante (Act. XI, 19) ab aliis prædicatum fuerat Evangelium.

5. SALAMINAM, in littore orientali. IN SYNAGOGIS : ergo primum Judæis (quorum magnus erat numerus in Cypro), non ipsis solis, ut patet ex v. 7. — *Joannes* ille, qui et *Marcus* dicebatur (supra XII, 25), erat filius sororis Barnabæ (Col. IV, 10), ut jam animadvertimus. — IN MINISTERIO, intellige, *sacro*, quod indicat conjunctio *et* quæ additur : *habebant et Joannem.*

6. PAPHUM, in littore insulæ occidentali. QUEMDAM VIRUM MAGUM. *Virum* ex hebraismo redundat, ut Act. III, 14 *virum homicidam.* Sic pro *sacerdote* Hebræi dicunt *vir sacerdos,* quemadmodum Græci dicebant ανδρες Αθηναιοι. Magus hic rursum ut adversarius apparet, quemadmodum olim Simon coram Petro, VIII, 18 sq. En hostiles diaboli conatus, quorum etiam plura exempla in Evangelio videmus. — BAR-JESU, valet *filius Jesu.* Nomen *Jesu* commune erat inter Judæos.

8. ELYMAS nomen arabicum (nunc *Ulema* in lingua Turcarum), i. e. *sapiens*, quasi κατ'εξοχην.

9. PAULUS. Nomen hebraicum *Saul (Schaoul,* i. e. postulatus ; flandr. *de gevraagde*) nunc primum mutatum legimus in latinum nomen PAULUS (*paulus* idem ac *parvus, modicus, exiguus*, a græco παυρος per corruptionem παυλος) ; quod factum est, ait s. Hieronymus (*De vir. ill.* 5. *In ep. ad Philem.* 1), in memoriam istius *Sergii Pauli*, propterea quod inter viros insignes ipse primus ab apostolo Paulo ad fidem conversus fuit ; quemadmodum Scipio, ob devictam Africam, dictus est *Africanus.* Alii vero censent, et merito quidem, veri simile non esse, patrem spiritualem nomen assumpsisse illius quem ad gratiæ vitam genuit ; atque ideo opinantur cum Orig. (*Præf. in ep. ad Rom.*) : " Saulum esse vocatum, donec quidem genti propriæ " ministrabat... Paulum autem appellatum esse, cum Græcis et gentibus " leges ac præcepta conscribit. " Igitur tamquam civis Romanus, jam ab initio habuit nomen *Pauli ;* sed tamdiu vocatus fuit nomine hebræo *Sauli,*

* dixit : O plene omni dolo, et omni fallacia, fili diaboli, inimice 10
omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. * Et 11
nunc ecce manus Domini super te, et eris cæcus, non videns
solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo, et
tenebræ, et circuiens quærebat cui manum daret. * Tunc procon- 12
sul cum vidisset factum, credidit admirans super doctrina Domini.
* Et cum a Papho navigassent Paulus et qui cum eo erant, 13
venerunt Pergen Pamphyliæ. Joannes autem discedens ab eis,
reversus est Jerosolymam. * Illi vero pertranseuntes Pergen, 14
venerunt Antiochiam Pisidiæ: et ingressi synagogam die sabba-
torum sederunt. * Post lectionem autem legis, et prophetarum, 15
miserunt principes synagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, si

---

quamdiu inter Judæos versatus est; aliud autem nomen ab eo usurpatum fuit, quando inter gentiles venit. Eodem modo ille, qui supra v. 5 dicitur *Joannes*, nomen etiam latinum *Marci* habebat.

10. FILI DIABOLI (*Bar-Satan*), tacite respicit ad ejus nomen *Bar-Jesu*, filius Jesu; flandrice: *geen menschenkind, maar duivelsgebroed.* — NON DESINIS. Græce in futuro cum interrogatione: *ου παυση*; *an non desines distorquere* VIAS DOMINI RECTAS (vias hominum ad Deum), homines a recta via ad viam pravam deducendo?

11. ERIS CÆCUS, NON VIDENS SOLEM. Bis idem dicunt Hebræi, ut vim majorem verbis suis tradant: v. gr. *vives et non morieris*, certissime vives. Sic Joann. 1, 20 *confessus est et non negavit;* Luc. I, 20 *eris tacens et non poteris loqui;* Act. XVIII, 9 *loquere et ne taceas.* — USQUE AD TEMPUS: forte innuitur, secundum s. Chrys., eum postea ad fidem convertendum esse.

13. PAULUS ET QUI CUM EO ERANT. Vulgata scite reddidit græca: *οἱ περι τον Παυλον*. Ejusmodi dictio sæpe unam significat personam: v. gr. quando ss. Patres citant *τους περι Ακυλαν*, solum Aquilam intelligunt; nonnumquam tamen designat *aliquem cum suis comitibus aut discipulis: οἱ περι Πλατωνα*, Plato cum sua schola. — PERGEN, Pamphyliæ caput, 60 stadiis (*env.* 11 *kilom.*) a litore maris distans, ad fluvium Cestrum (*que le bateau remonta probablement*). — JOANNES (Marcus ille de quo v. 5) DISCEDENS etc., intellige: ob causam, quæ non adeo honesta erat, ut Paulo non displiceret: cf. XV, 38.

14. PERTRANSEUNTES PERGEN: *διελθοντες απο Περγης, cum pertransissent Perga*, i. e. cum Perga profecti, pertransissent reliquam Pamphyliam; postea tantum, c. XIV, 24, Pergæ fidem prædicarunt. Tristitia ob Marci discessum forte causa fuit cur statim e Pamphylia abierint; vel opportuna occasio tunc sese obtulit ut juga Tauri transcendere possent. — SEDERUNT, verisimiliter in sedes Rabbinis destinatas, ut indicarent mentem sibi esse verba faciendi ad populum.

15. Solebant Judæi die sabbati ad Liturgiam convenire: qui Jerosolymis erant, in templum, alii autem, qui extra urbem habitabant, in synagogas

16 quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. * Surgens
autem Paulus, et manu silentium indicens, ait:
17 Viri Israelitæ, et qui timetis Deum, audite: * Deus plebis
Israel elegit patres nostros, et plebem exaltavit cum essent incolæ
18 in terra Ægypti, et in brachio excelso eduxit eos ex ea, * et per
quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto.

---

congregabantur. Liturgia autem, præmissa salutatione, a doxologia incipiebat: qua finita, populo prælegebatur Pentateuchi particula aliqua, seu *Parasche*; cf. Act. XV, 21; et 2 Cor. III, 15. Dein, post aliam doxologiam, sectio quædam ex Prophetarum libris adjungebatur (vocabatur *Haph-thare*): Luc. IV, 16 sqq. Hæc autem, quæ hebraice prælecta fuerant, ipsemet lector, vel alius quidam ex Rabbinis assidentibus, lingua vernacula exponebat, populumque docebat: interdum fiebat ut verba faceret alius quivis, qui sponte hunc in finem surgebat, aut, ut hic, ab archisynagogo invitabatur. Eam occasionem Jesus et deinceps apostoli pluries arripuerunt ut Evangelium nuntiarent.

16. ET QUI TIMETIS DEUM: sic vocabantur *Proselyti portæ*. Vide dissertationem sextam, in fine hujus libri.

17. Exordium per insinuationem. Ad captandam auditorum benevolentiam, Paulus orationem inchoat a commemorandis Dei in gentem Israeliticam beneficiis. ELEGIT *sibi* (græce est forma media) PATRES, majores NOSTROS, et (supple) populum ex iis propagatum elegit ut esset sibi *populus peculiaris, de cunctis populis, qui sunt super terram*, Deut. VII, 6. ET PLEBEM (gentem illam) EXALTAVIT, CUM ESSENT (Israelitæ: *plebs* est nomen collectivum quod construitur cum plurali) INCOLÆ IN TERRA ÆGYPTI. *Incolæ*: *παροικοι*, proprie ita vocantur qui in alienam regionem domicilium contulerunt, inde *peregrini* (eodem sensu vox *incola* occurrit Ps. CXVIII, 19 et CXIX, 5, 6). *Exaltavit* populum illum, tum quia, quo magis ibi opprimebatur, eo magis multiplicabatur (Exod. I, 12), tum quia magna miracula in gratiam ejus fecit.

Verbum *ὑψωσεν exaltavit* occurrit Is. I, 2 ap. 70; verba autem *ετροφοφορησεν* et *κατεκληρονομησεν*, quæ Paulus adhibet v. 18 et 19, habentur Deut. I, 31, 38 ap. 70: ideo *Bengel conjicit tunc lectum fuisse *Parasche* Deut. I et *Haphthare* Is. I, quæ hodiedum apud Judæos in unum idemque cadunt sabbatum: ex quibus Paulus exordium desumpsit orationis.

ET IN BRACHIO EXCELSO, *cum brachio excelso* (metaphora): *cum potestate eximia*. Vel *brachium excelsum* ponitur pro *brachio extenso, elato*, quod tantum valet *vi adhibita*: cf. Exod. VI, 6.

18. MORES EORUM (malos) SUSTINUIT, quod refert græcum *ετροποφορησεν*. Hæc autem lectio in codd. BC**DGH reperitur, et maxime confirmatur auctoritate Origenis, qui ita legit in Deut. I, 31, quem locum Paulus sine dubio respexit. Inde patet testes complures Vulgatæ patrocinari: attamen præferenda videtur altera lectio *ετροφοφορησεν*, i. e. *instar nutritoris* eos *aluit*, puta, Manna cœlitus pluendo etc. Hæc enim habetur in codd. AC*E, in

* Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit 19
eis terram eorum, * quasi post quadringentos et quinquaginta 20
annos : et post hæc dedit judices, usque ad Samuel Prophetam.
* Exinde postulaverunt regem : et dedit illis Deus Saul filium 21
Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta : * et amoto illo 22
suscitavit illis David regem : cui testimonium perhibens, dixit :
Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet
omnes voluntates meas.
* Hujus Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israel 23

---

verss. itala, syr. utraq., arab., copt., sahid., æthiop., armen., et slavon., in Constit. Apost., apud s. Cyrill., Macarium, Hesych., et s. Chrys. ; præterea ita legitur Deut. I, 31 in codicibus longe plurimis et gravissimis. Favet etiam contextus (hic et in Deut.) : etenim non videtur esse ad rem, quod Paulus eis ingratos patrum mores objiciat, hoc ipso momento quo totus in eo est ut beneficia Dei erga eos commemoret.

19. Destruens gentes. De justa Chananæorum deletione, vide annotationes nostras ad librum Josue.

20. Post 450 annos, puta ab electione Patrum nostrorum. Et re quidem vera, a nato Isaaco usque ad exitum ex Ægypto, anni fluxerunt circiter 405 ; et ab exitu illo, usque ad Terræ Promissæ distributionem, præterierunt anni 47. Ita secundum lectionem Vulgatæ, quæ gravissimos habet testes, sc. codd. ABC Sin., et verss. copt., sahid., armen., et s. Chrys. Secundum vero alteram codicum lectionem, pro qua etiam multi testes adducuntur, sensus est : judices illis dedit, per annos 450, usque ad Samuelem inclusive (ἑως non αχρι : cf. VII, 45), quæ quidem computandi ratio a 3 Reg. VI, 1 recedit, sed concordat cum Jos. *Ant.* 8, 2, 1. Haud improbabile est traditionem diversam a 3 Reg. VI, 1 apud Judæos exstitisse.

21. Saul... annis 40. Tot annis Saulum regnasse testatur etiam *Fl. Josephus, Antiq.* VI, 14, 9. Sed videtur repugnare 1 Reg. XIII, 1 *Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpisset, duobus autem annis regnavit super Israel. Et elegit sibi Saul tria millia de Israel* etc. Solutionem hujus difficultatis videsis in annot. nostris ad librum 1 Regum.

22. Amoto illo, μεταστησας (a μετα et ιστημι, *transloco, moveo de loco*), *postquam Deus eum a regia dignitate amovisset* seu *depulisset*, cf. 1 Reg. XV, 23 ; vel potius, cum isti 40 anni, de quibus v. 21, usque ad Saulis mortem pertingant, sensus est : *postquam eum a vita removisset, e vivis abstulisset.* — Testimonium illud, ad rem quod attinet, exstat 1 Reg. XIII, 14 ; et Ps. LXXXVIII, 20, 21. Filium Jesse : Ιεσσαι, *Iessai* vel *Isai.* Virum secundum cor meum, *talem qualem cupio, virum mihi gratissimum ;* utpote qui faciet omnes voluntates meas, omnia mandata mea. Quod quidem testimonium verum est de summa vitæ ejus, etsi quædam, sed raro, fecerit contra Dei voluntatem.

23. Eduxit, ηγαγε *adduxit* (quæ Vulgatæ lectio melior est quam ηγειρε

24 salvatorem Jesum, * prædicante Joanne ante faciem adventus
25 ejus baptismum pœnitentiæ omni populo Israel. * Cum impleret
autem Joannes cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse,
non sum ego, sed ecce venit post me, cujus non sum dignus
26 calceamenta pedum solvere. * Viri fratres, filii generis Abraham,
et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum
27 est. * Qui enim habitabant Jerusalem, et principes ejus, hunc
ignorantes, et voces prophetarum, quæ per omne sabbatum
28 leguntur, judicantes impleverunt: * et nullam causam mortis
invenientes in eo, petierunt a Pilato ut interficerent eum.

---

textus Recepti) Israelitis SALVATOREM, nempe JESUM. Sensus est: Jesum eis exhibuit, declaravit, demonstravit tamquam Salvatorem seu Messiam, nimirum quando, in ejus baptismo, vox de cœlo delapsa est, qua Filius Dei declaratus fuit. Hunc esse sensum vocis *eduxit*, probatur ex eo quod illud factum fuerit (v. 24) *postquam Joannes prius prædicasset baptismum pœnitentiæ:* nam græce est partic. aor. προκηρυξαντος. Ita Beelen. Verum Patrizi sic interpretatur: Deus ex semine David eduxit (oriri fecit, nasci fecit) Jesum, qui Israeli salutem afferret; eum eduxit salvatorem postquam prædicavit Joannes etc. Quæ quidem ultima explicatio hoc argumento confirmatur: verba *eduxit* et *ex semine* inter se arctissime connexa esse, eademque nonnisi per vim apertam separari posse.

Transit Paulus ad id quod vocatur *confirmatio*, seu *corpus orationis;* potissimum enim volebat probare Jesum esse Messiam. Vide analysim in summario quod huic capiti præmittitur.

25. CUM IMPLERET CURSUM SUUM. Nota imperfectum, *impleret:* dum conficiebat cursum suum, dum munus præcursoris obibat.

26. FILII ABRAHAM, Judæi nati; QUI TIMENT DEUM, proselyti.

27. ENIM, γαρ, secundum quorumdam sententiam particula est qua *narratio inchoatur*, non qua ratio redditur antecedentium, adeo ut flandrice valeat *dan*, non vero *want*. Malim tamen sumere γαρ in significatione ordinaria, idque ad verba *salutis hujus*, v. 26, referre, hoc sensu: Jesus ille est Salvator vester, quamquam in cruce mortuus fuit; nam per hoc ipsum oracula de Messia eventu confirmavit. — IGNORANTES: vide ad III, 17. ET VOCES etc., pendet a verbo *impleverunt*, hoc modo: HUNC JUDICANTES (κριναντες, cum mortis damnassent), VOCES PROPHETARUM (vaticinationes de Messia passuro), QUÆ PER OMNE SABBATUM (*singulis sabbatis*) in synagogis LEGUNTUR, IMPLEVERUNT.

28. INVENIENTES: græce est part. aor., quod, ob contextam orationem, in verbum finitum sic resolvi debet: quamvis nullam in eo invenissent CAUSAM MORTIS, i. e. causam ob quam morte mulctandus esset, tamen PETIERUNT A PILATO UT INTERFICERENT EUM: melius, *ut interficeretur ipse*, αναιρεθηναι αυτον.

* Cumque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, depo- 29
nentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. * Deus vero 30
suscitavit eum a mortuis tertia die: qui visus est per dies multos
his, * qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Jerusalem: qui 31
usque nunc sunt testes ejus ad plebem. * Et nos vobis annuncia- 32
mus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est: * quoniam 33
hanc Deus adimplevit filiis nostris resuscitans Jesum, sicut et in

---

29. DEPONENTES... POSUERUNT. Subjectum idem est ac in v. præcedente. Quamvis enim illi, qui Jesum de cruce detraxerunt et sepelierunt, essent viri pii, a popularium suorum crimine alienissimi: iidem tamen dicuntur fuisse Jesu interemptores, hoc sensu, quod Nicodemus et Joseph ab Arimathæa in numero principum Judæorum, utpote Synedrii judices, essent.

30. Argumentum 3^{m}, quo ostendit Jesum esse Messiam. Vide orationis analysim initio hujus capitis.

32. Versiculi 32 et 33 sunt parenthesis, qua Paulus, rediens ad id quod v. 23 dixerat, distinctius probat, Jesum, secundum promissionem olim factam, Israelitis missum a Deo verumque Messiam demonstratum fuisse. — ET NOS etc. Nexus est: *illi, qui simul cum eo de Galilœa in Jerusalem ascenderant* (igitur apostoli ejus), *testes ejus sunt*, ipsum ibidem, in Palæstina, prædicant: ET NOS pariter VOBIS, extra Palæstinam degentibus, ANNUNCIAMUS *promissionem olim factam, in Jesu Nazareno a Deo impletam fuisse.*

33. RESUSCITANS, αναστησας: quod duplici ratione explicatur. Sunt enim (*Kuin., Beel.) qui hunc statuant sensum: cum Jesum *suscitasset*, i. e. *misisset, exhibuisset;* qua quidem significatione verbum αναστηναι sumitur supra III, 22, 26. Isti igitur auctores hoc non intelligunt de resurrectione Christi, sed de ejus adventu in mundum, quando, a Patre missus, venit salvare homines; adeoque de ejus Incarnatione, et de universa ejus vita, seu de iis omnibus quæ fecit, docuit, et passus est tamquam mundi Redemptor. Hanc autem interpretationem ex contextu demonstrare conantur, sequenti modo. a/ *Suscitando Jesum* Deus *adimplevit promissionem* Judæorum majoribus olim factam: atqui promissio illa erat sane de Messia in mundum mittendo, non de Messia ad vitam revocando. b/ Præterea, verba Ps. II, 7 *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, a sensu obvio et naturali, quem suadet contextus, prorsus detorquenda forent ut significare possent: *ego te a mortuis excitavi.* c/ Deinde, dicendum esset, plures quandoque sensus literales vere diversos in uno eodemque loco s. Scripturæ reperiri: quæ quidem affirmatio non paucis nec parvis laborat difficultatibus. d/ Tandem, si de resurrectione a mortuis explicentur, in *tautologiam* cadit Apostolus, mox subjungens: *Quod autem suscitavit eum a mortuis* etc.

Alii vero (*De Wette, Bisp., Patrizi etc.) dicunt sensum esse αναστησας εκ νεκρων. Imo P. Patrizi, qui priorem explicationem strenue impugnat, docet

Psalmo secundo scriptum est : Filius meus es tu, ego hodie genui

---

ss. Patres omnes, quotquot hunc locum interpretati sint, istud αναστησας de reditu Christi ad vitam intellexisse. Porro contexta oratio huic sententiæ magis quam priori favet. De Jesu Messia ad Israelitas misso jam supra, v. 23, locutus est Apostolus ; inde a v. 28 de morte, et v. 30 de resurrectione ejus sermonem instituit; hoc v. 33 ait resurrectionem illam olim promissam fuisse, et mox v. 34, 35 oracula, quibus promissio continetur, recitat. Præterea, ex hac altera explicatione minime consequitur, verba Ps. II *Filius meus es tu, ego hodie genui te* significare *ego te a mortuis revocavi ;* namque ea a Paulo adducuntur tamquam causa et ratio cur Christus nullo pacto potuerit non reviviscere. Tandem, nulla in sermone Apostoli ita intellecto est *tautologia :* nam v. 34 sq. oraculis veteris Testamenti demonstratur Jesum ad vitam (et perpetuam quidem) redire debuisse, atque adeo per ejus resurrectionem *impletam fuisse promissionem olim factam* (v. 32b et 33a).

Conclusio. Ultima sententia nobis magis arridet ; hæc enim menti lectoris tam sponte se offert, ut Bisping merito affirmet alteram cum tota idearum serie pugnare.

In Psalmo secundo, cui lectioni Vulgatæ concinunt ABCEGH ; aliqui codices, v. gr. D, habent *in primo Psalmo,* quemadmodum etiam Origenes ; alii pauci *in Psalmo,* quem lectionem **Kuinöl* ideo præfert, quod scriptores novi Testamenti, Rabbini et Thalmudistæ, numeros et capita citare non soleant : cf. infra v. 40 ; Rom. XI, 2, et Marc. XII, 26.

Filius meus es tu, ego hodie genui te. Per *parallelismum* poeticum, qui *synonymicus* vocatur, quod in primo hemistichio dictum fuit, id in altero repetitur cum gradatione quadam : *Filius meus es tu, et filius quidem naturalis, quem egomet ipse genui* (non adoptivus). Sensus est : Deus Jesum Nazarenum a mortuis revocavit, quia hic est verus Filius ejus : quia talis erat, eum morti subjectum relinquere non poterat.

Ut patet ex hac explicatione, verba *Filius meus es tu, ego hodie genui te* sensu proprio et obvio intelligo de Messiæ divinitate : cui sententiæ adstipulantur fere omnes ss. Patres, cuique concinunt inter recentiores tum P. Patrizi, tum Doctiss. *Reinke Die Messian. Psalmen, üb. Ps. II.* In uno tantum a communi istorum sententia recedendum putem, nempe in adverbio *hodie,* quod exponere solent per *in die æternitatis, ab æterno.* Quum autem hæc vocis *hodie* explicatio parum obvia videatur, malim ego adverbium referre ad momentum quo Filius Dei jussu Patris incarnatus est : tunc enim Pater fecit ut nasceretur homo-Deus, homo qui simul esset Filius Dei naturalis. Istud autem *hodie* posset etiam alia ratione intelligi, dicendo verbum *genui* per hebraismum poni pro *genitum declaro* ; ut *mundare* leprosum (Levit. XIII, 6) pro *mundum declarare ; excæcare* cor populi (Is. VI, 10) pro *declarare excæcatum esse* cor ; *justificare* pauperem (Ps. LXXXI, 3) pro *declarare esse justum* seu innocentem : quo admisso, adverbium *hodie* referretur ad illud *declaro* implicitum, hoc modo : *verus*

te. * Quod autem suscitavit eum a mortuis amplius jam non 34
reversurum in corruptionem, ita dixit: Quia dabo vobis sancta
David fidelia. * Ideoque et alias dicit: Non dabis Sanctum tuum 35
videre corruptionem. * David enim in sua generatione cum admi- 36
nistrasset voluntati Dei, dormivit: et appositus est ad patres
suos, et vidit corruptionem. * Quem vero Deus suscitavit a mor- 37
tuis, non vidit corruptionem.

Filius meus es tu, hodie (nunc) *declaro te ex me genitum esse*, adeoque Filium meum esse naturalem, non adoptivum.

Illustriss. vero BEELEN, autoritate s. Justini innixus, verba Psalmi refert ad Jesum mundo ut promissum Messiam palam exhibendum: quod quidem factum est initio vitæ ejus publicæ, quando in baptismo ejus audita est vox de cœlo dicens: *Hic est Filius meus dilectus*. Igitur auctor ille verbum *genui* metaphorice sumit, pro *in publicam lucem protuli, in hominum conspectu produxi, hominibus palam exhibui, manifestavi;* adeo ut habeatur hic divinum oraculum de mittendo Messia (non de mittendo vero Filio tamquam Messia), et sensus sit: *Messias es tu; ego hodie te ut Messiam manifestavi*. Argumenta autem hujus sententiæ fuse et præclare exposita videsis in *Dissert. theol. Beelen*, Lovan. 1845, p. 61-78. Eorum vim, ad me quod attinet (si quid sentiam dicere liceat), sæpius expendi, atque in dies magis magisque in alteram sententiam, s. Patribus fere communem, me propendere expertus sum.

34. AUTEM, δε. Christi resurrectionem demonstrare pergit; eam v. 30 ex testibus, adhuc superstitibus, qui Jesum ad vitam reversum conspexerant, probavit; v. 33 addidit oraculum e Ps. II, in quo ista resurrectio implicite continetur; nunc vero duas alias affert prædictiones, quibus res magis directe promittitur. QUIA, ὁτι *recitativum*, pleonastice positum. DABO VOBIS SANCTA DAVID FIDELIA: Isaias LV, 3 libere et secundum 70 Interpretes citatur. In hebræo: *feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles* seu *stabiles*. Itaque sensus verborum Pauli est: *Dabo vobis sancta Davidis* (genitivus objecti), i. e. *sancta Davidi promissa, beneficia sancta (misericordias) ei promissa*, de ejus filio Messia, hujusque regno perpetuo (cf. Ps. LXXXVIII, 36-38): quæ quidem beneficia sunt *fidelia*, i. e. *fideliter et firmiter exstitura, beneficia perpetuo stabilia et in æternum permansura*. Atqui, beneficia illa *firma* et *perpetua* non fuissent, si Messias ad vitam immortalem non surrexisset. Ergo Christi resurrectio ex hoc oraculo ope ratiocinationis legitime eruitur.

35. Explicatum fuit supra II, 27.

36. Probat (γαρ), sicut Petrus II, 29, vaticinationem illam de Davide intelligi non posse. — IN SUA GENERATIONE, *inter æquales suos, inter homines suæ ætatis*, i. e. *sua ætate, suo tempore, per spatium vitæ suæ*: cf. II, 40; et VIII, 33. CUM ADMINISTRASSET VOLUNTATI DEI: ὑπηρετησας, *postquam* Dei consiliis *serviisset*, etc.

38 * Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis
remissio peccatorum annunciatur, et ab omnibus, quibus non
39 potuistis in lege Moysi justificari, * in hoc omnis, qui credit,
40 justificatur. * Videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est
41 in Prophetis: * Videte contemptores, et admiramini, et disperdi-
mini : quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non
credetis, si quis enarraverit vobis.

---

38 et 39. Incipit peroratio (οὖν), quæ fit per modum exhortationis : vide analysim in summario hujus capitis. — ET AB OMNIBUS *a* QUIBUS (nota : QUIBUS pro *a quibus*, ut græce ὧν pro ἀφ'ὧν) NON POTUISTIS IN LEGE MOYSI (*per legem* Moysis) JUSTIFICARI, IN HOC, per hunc Christum, OMNIS QUI CREDIT JUSTIFICATUR, seu (phrasim continuando in secunda persona), *vos omnes si credatis, justificabimini* (sed major vis est in 3ª pers.).

Verba autem *ab omnibus, a quibus non potuistis per legem Moysis justificari,* minime significant quorumdam peccatorum remissionem per legem veterem obtineri, sed sensus est : ab omnibus peccatis vestris. Nullius enim peccati vera remissio dabatur per legem Moysis qua talem, aut per vim institutorum Mosaicorum, puta per Legis cæremonias et sacrificia (Gal. III, 11 ; Hebr. X, 1 sq.); sed quæcumque justificatio sub vetere Testamento facta est, per fidem in Christum venturum, quam Judæi cæremoniis illis et sacrificiis profitebantur, a Deo concessa fuit.

Apostolus hic primum enuntiat magnum illud doctrinæ suæ caput, quod tam sæpe in Epistolis suis, præsertim ad Romanos et ad Galatas, exponet : a/ in *Christo solo* inveniri remissionem peccatorum et justificationem, non in Lege veteri ; b/ *fidem* autem *conditionem esse sine-qua-non* seu essentialiter requisitam ut ista salus obtineatur ; ac tandem c/ eam *omnibus* hominibus offerri. Cf. præsertim Rom. I, 16 sq.

40. IN PROPHETIS : in illa s. Librorum parte, quæ *Prophetæ* inscribitur. Notum est vetus Testamentum apud Hebræos in tres partes dividi : *Legem* (quæ pars continet Pentateuchum), *Prophetas*, et *Hagiographa* : cf. Luc. XXIV, 44. S. Paulus, etsi numerum pluralem adhibeat, solum Habacuc (I, 5) citat (et, obiter nota, libere quidem secundum 70 Interpretes locum adducit). Sic Joann. VI, 45 *Est scriptum in Prophetis*, de solo Isaia dicitur; Act. VII, 42 *In libro Prophetarum*, de Amos.

41. VIDETE CONTEMPTORES : in hebræo nunc est *videte in gentibus*, seu *videte gentes*. DISPERDIMINI, estote penitus destructi, pro *prorsus destruemini*. Loquitur Habacuc de calamitate Israelitis impiis et contumacibus a Chaldæis inferenda. Sensus igitur est : Cavete ergo ne, si fidem spernatis, superveniat vobis talis pœna, qualem Deus majoribus vestris olim minabatur, hisce verbis : *Videte* etc. — QUIA OPUS OPEROR etc. : perficiam opus ultionis, tam terribile, ut numquam crederetis, si quis vobis illud narraret : ecce ego suscitabo Chaldæos etc. Apostolus nonnisi prima citat oraculi verba, quia Judæis notissimum erat, ita ut auditores mente supplerent

* Exeuntibus autem illis, rogabant ut sequenti sabbato loque- 42
rentur sibi verba hæc. * Cumque dimissa esset synagoga, secuti 43
sunt multi Judæorum, et colentium advenarum, Paulum et Barna-
bam : qui loquentes suadebant eis ut permanerent in gratia Dei.
* Sequenti vero sabbato pene universa civitas convenit audire 44
verbum Dei. * Videntes autem turbas Judæi, repleti sunt zelo, 45
et contradicebant his, quæ a Paulo dicebantur, blasphemantes.
* Tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt: Vobis oportebat 46
primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, et indignos
vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes. * Sic 47
enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem Gentium, ut sis
in salutem usque ad extremum terræ. * Audientes autem Gentes 48
gavisæ sunt, et glorificabant verbum Domini : et crediderunt
quotquot erant præordinati ad vitam æternam.

---

reliqua. Quod minatur s. Paulus, in clade Jerosolymitana sub Tito impiis Judæis reipsa accidit.

42. Exeuntibus .. illis, rogabant etc. Græce est genitivus absolutus; sed latini accusativum ponerent : *exeuntes illos rogabant*, vel alia uterentur constructione : *dum exirent, rogabant eos Judæi.*

43. Cum dimissa esset synagoga : Paulus igitur et Barnabas profecti erant antequam cœtus fuisset regulariter absolutus. — Ut permanerent in gratia Dei (*gratia*, metonymia causæ pro effectu), ut in *doctrina evangelica*, in *fide christiana*, quam, prædicatione Pauli persuasi, amplexi fuerant, perseverarent.

44 Pene universa civitas : ergo multi etiam *gentiles*, quibus certe Apostoli inter illam hebdomadem Chistum nuntiaverant.

45. Turbas : præsentia gentilium iracundiam Judæorum, ob theocraticam suam electionem superbientium, maxime concitare debuit. — Blasphemantes, convicia addentes, forte contra Jesum.

46. Constanter dixerunt : παρρησιασαμενοι, *libere et audacter dixerunt.*

47. Nobis. Oraculum Isaiæ XLIX, 6, quod de *Servo Jehovæ*, i. e. de Messia dictum fuerat, jure et merito ad se transferunt apostoli, quia per ipsos eventu confirmari debet.

48. Præordinati ad vitam æternam, ad fidem christianam (ut v. 46), quæ nempe *ducit ad vitam æternam*. Itaque, non agitur de prædestinatione *ad gloriam*, sed *ad fidem et gratiam justificantem.* Ex antithesi, qua Judæis *contradicentibus* opponuntur gentiles, qui *glorificabant verbum Domini ;* dein ex eo quod Judæi dicantur *se indignos judicasse æternæ vitæ :* possumus concludere, prædestinationem illam ad effectum non perduci sine libero actu hominis, quippe qui divinæ gratiæ, qua ad credendum excitatur, mutuam operam addere debeat. R. P. Patrizi verba illa *præordinati ad vitam æternam* sensu proprio intelligit, et animadvertit omnes illos, qui *ad*

49 * Disseminabatur autem verbum Domini per universam regio-
50 nem. * Judæi autem concitaverunt mulieres religiosas, et honestas,
et primos civitatis, et excitaverunt persecutionem in Paulum et
51 Barnabam: et ejecerunt eos de finibus suis. * At illi excusso
52 pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. * Discipuli quoque
replebantur gaudio, et Spiritu sancto.

II. Paulus et Barnabas fidem prædicant Iconii, Lystræ et Derbe; unde Antiochiam Syriæ redeunt : cap. XIV.

Summarium. Paulus et Barnabas Iconii Christum prædicant, sed ex hoc oppido mox aufugere propter persecutionem coguntur,

---

fidem prædestinantur, etiam *ad vitam æternam præordinari*, quamvis non omnes ad hanc *prædestinentur*; aliud enim esse *præordinationem*, aliud vero *prædestinationem* stricte dictam. Sunt qui verba PRÆORDINATI ERANT (ησαν τεταγμενοι) interpretentur *se disposuerant ad* etc., formam passivam pro media sumentes : quod plane gratuito, et pro arbitrio tantum, excogitatum est, nempe ex præconcepta opinione, ad quæstionem de prædestinatione vitandam.

50. RELIGIOSAS, τας σεβομενας, *proselytas*: cf. v. 16 et 43. ET (conjunctio *et* videtur glossema, quum in ABCD non legatur : igitur de uno tantum mulierum genere mentio fit) HONESTAS, ευσχημονας, non vulgares, sed primarias, nobiles, divites, potentes : flandrice : *aanzienlijke, voorname.* Per istarum operam, nempe per vim et artificia quibus mulieres, ut fit, viros suos et cognatos ad sua sensa pertrahere noverunt, *primi civitatis*, magistratus civiles, viri magnates et potentissimi, adversus Apostolos excitati fuerunt.

51. EXCUSSO PULVERE PEDUM, sicut præceperat Jesus, Matth. X, 14; Luc. IX, 5. Illa actione symbolica significabant nihil amplius sibi cum illis esse, eosque detestabiles et exsecratos esse.

52. QUOQUE, οἱ τε μαθηται (melior lectio, quam habent cod. AB, Vulg., syr. etc., Tischend. 7ª ed.) : Apostoli, cum ejicerentur, animos non desponderunt, neque tristes aut flentes recesserunt, sed fortes et alacres sese ostenderunt, cum pulverem pedum in hostes suos excusserunt : *discipuli quoque*, qui Antiochiæ remanebant, *gaudio* et *fortitudine sancta* pleni erant, quamvis eorum magistri fugam inire debuissent. Loco τε *textus Receptus* post aliquot codices (CDEG, copt., sah. etc.) habet δε, *autem*, quod prima specie nexum reddit faciliorem, atque ideo ex correctione exegetica irrepsit.

GAUDIO ET SPIRITU SANCTO : sunt qui hæc ut hendiaden habeant, pro : gaudio Spiritus sancti, cujus auctor est Spiritus sanctus (Beel.). Sed quid impedit sumere verba ut jacent? Replebantur *gaudio* mediis in vexationibus, et *Spiritu sancto*, novis gratiis Spiritus sancti, quibus præsertim recipiebant *robur* ad mala omnia patienda.

et Lystram petunt (1-6). Cum autem claudus mirabiliter sanatus fuisset (7-9), apostoli tamquam dii habentur (10-12), ita ut vix impedire possint quominus sibi victimæ immolentur (13-17.) Post breve tempus, mutatis jam Lystrensium animis, Paulus lapidibus obruitur, pene usque ad mortem (18). Sed viribus ejus per miraculum refectis, cum Barnaba Derben proficiscitur (19). Unde ambo, eodem quo venerant itinere, regrediuntur Antiochiam, novellos christianos ubique exhortantes, et singulis ecclesiis presbyteros præficientes (20-25). In illa autem civitate diu morantur (26, 27).

* Factum est autem Iconii, ut simul introirent in synagogam 1
Judæorum, et loquerentur, ita ut crederet Judæorum et Græco-
rum copiosa multitudo. * Qui vero increduli fuerunt Judæi, 2
suscitaverunt, et ad iracundiam concitaverunt animas Gentium
adversus fratres. * Multo igitur tempore demorati sunt, fiducia- 3
liter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ
suæ, dante signa et prodigia fieri per manus eorum. * Divisa est 4
autem multitudo civitatis: et quidam quidem erant cum Judæis,

---

1. Simul : *κατα το αυτο*, quod alibi in N. Test. non legitur, obscurum est. Sunt qui vertant (Beel.) *simul* seu *eodem tempore*, ut *επι το αυτο* III, 1 (in Vulg. II, 47); sed quare hoc dicitur, sc. eos simul introisse? istud per se satis intelligitur, quum ambo illi semper simul irent. Alii (*Bretschneider *Lex.*, favente etiam *Schleusn.) verba *Εγενετο δε εν Ικωνιῳ κατα το αυτο εισελθειν αυτους* etc. melius sic interpretantur : factum est autem Iconii *pariter*, *similiter* (quemadmodum in aliis civitatibus fieri solebat), ut ingrederentur synagogam etc. (sic sumitur *κατα τα αυτα* 1 Mach. VIII, 27) : quæ quidem explicatio confirmatur ex Act. XVII, 2, ubi dicitur Paulum, statim ac Thessalonicam advenisset, *secundum consuetudinem* introisse in synagogam.

Græcorum, *Ἑλληνων* : quidam auctores (*Kuin., Beel.) intelligunt *proselytos portæ*, quia gentilibus opponuntur (v. 2), et in synagoga aderant. Verum alii (Bisp. etc.) vocem accipiunt sensu obvio, de *gentilibus*. Et melius quidem, ut nobis videtur : etenim si Lucas voluisset designare *proselytos*, dixisset *Ἑλληνων των σεβομενων*, ut XVII, 4. Deinde ethnici visitabant synagogas Judæorum, ut colligitur ex hoc solo quod narratur supra XIII, 44, sc. fere totam civitatem (Antiochiam Pisidiæ) convenisse in synagogam, ut audirent Paulum.

3. Igitur, refertur ad v. 1 : quia multitudo copiosa fidem amplectebatur, *ideo* apostoli diu morati sunt. Fiducialiter agentes, *παρρησιαζομενοι*, *libere et intrepide agentes*, in Domino, in re evangelica.

4. Apostolis. Nunc primum ita vocantur Paulus et Barnabas : hic autem

5 quidam vero cum Apostolis. * Cum autem factus esset impetus
Gentilium, et Judæorum cum principibus suis, ut contumeliis
6 afficerent et lapidarent eos, * intelligentes confugerunt ad civi-
tates Lycaoniæ Lystram, et Derben, et universam in circuitu
regionem, et ibi evangelizantes erant.
7 * Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex
8 utero matris suæ, qui numquam ambulaverat. * Hic audivit Pau-
lum loquentem. Qui intuitus eum, et videns quia fidem haberet
9 ut salvus fieret, * dixit magna voce : Surge super pedes tuos
rectus. Et exilivit, et ambulabat.
10 * Turbæ autem cum vidissent quod fecerat Paulus, levaverunt
vocem suam Lycaonice dicentes: Dii similes facti hominibus,

---

ultimus non erat *Apostolus* stricte dictus, sicut Paulus et alii duodecim, quia non ab ipso Christo *immediate* vocatus fuerat; forte etiam Jesum a mortuis excitatum non viderat, ergo testis oculatus non erat resurrectionis: atqui illæ duæ conditiones ad apostolatum proprie dictum requirebantur, cf. I, 21-23. Ideo, numquam solus nomine illo insignitur, sed semper cum Paulo simul. Erat igitur *Apostolus* sensu lato, ut Rom. XVI, 7; 2 Cor. VIII, 23.

5. IMPETUS, ὁρμη : hoc multi interpretantur (ut Jac. III. 4) de *impetu* seu *proposito animi;* igitur ita : *consilium inierunt eos contumeliose afficere;* quem sensum suadet verbum *intelligentes* v. 6. Alii vero significationem ordinariam magisque obviam vocabulo adscribunt : *irruerunt in eos, ut eos lapidarent.*

7. INFIRMUS : ἀδυνατος, *impotens, invalidus* PEDIBUS..., CLAUDUS EX..., QUI NUMQUAM etc. : nota vim in ista repetitione.

8. VIDENS QUIA FIDEM HABERET, quod ex vultu, oculis, gestuque ejus concludere potuit. FIDEM... UT SALVUS FIERET : Flandrice *geloof om genezen te (kunnen) worden.* Fidem quoque Christus ante miracula postulare solebat; v. gr. Marc. IX, 22 *Si potes credere* (ait Jesus), *omnia possibilia sunt credenti.* Matth. IX, 28 Salvator rogat duos cæcos : *Creditis quia hoc possum facere vobis ?* et cum hi affirmassent, *tunc tetigit oculos eorum dicens : Secundum fidem vestram fiat vobis.* Ampliorem hac de re reperies notitiam in Dissert. de miraculis Christi, p. 225 *Comm.* nostri *s. Matth.* 3ª ed.

10. LYCAONICE, in dialecto sua barbara, quam Paulus non intellexit (ita s. Chrys.); quamobrem conatus illorum statim impedire non potuit. Hoc autem non pugnat cum dono linguarum quod apostoli a Deo acceperant; namque, ut diximus ad II, 13, usus doni istius requirebat in mente tam audientis quam loquentis *actualem* quamdam Spiritus sancti motionem, quæ actu transibat, nec semper adfuisse necessario cogitanda est. — DII SIMILES HOMINIBUS, assumpta hominum specie.

descenderunt ad nos. * Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum 11
vero Mercurium: quoniam ipse erat dux verbi. * Sacerdos quo- 12
que Jovis, qui erat ante civitatem, tauros et coronas ante januas
afferens, cum populis volebat sacrificare. * Quod ubi audierunt 13
Apostoli, Barnabas et Paulus, conscissis tunicis suis exilierunt in
turbas, clamantes, * et dicentes: Viri, quid hæc facitis? et nos 14
mortales sumus, similes vobis homines, annunciantes vobis ab
his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum et terram,

---

11. Barnabam *Jovem* habebant, fortassis quia Paulo senior, et (s. Chrys.) facie nobilior erat, majoremque in toto corpore dignitatem præ se ferebat. Porro *Jovem* potius quam alium deum venisse crediderint, propterea quod prope urbem suam esset templum Jovi sacrum. Solebant autem veteres *Mercurium*, deum eloquentiæ, Jovis comitem et interpretem dicere.

12. Jupiter qui erat ante civitatem, intelligitur *Ζευς προπυλος*, *Jupiter custos*, qui in suburbio colebatur, ibique templum habebat. *Templum* dico, nam simulacro tantum, sub dio collocato, suus certe sacerdos non fuisset. — Coronas, quibus victimæ, aræ, sacerdotes, et ministri ornari solebant. — Ante januas : *επι τους πυλωνας*, vel *ad fores vestibuli* ædium in quibus Apostoli hospitabantur (Beel.); vel melius, propter pluralem, *ad portam civitatis*, templo suo vicinam, certe in porticu ejus (germ. *an der Thorhalle*), ubi potius quam in templo sacrificium offerre nunc volebat, quia universus populus aderat, et quia dii isti existimati in ipso oppido versabantur (Bisp.).

13. Audierunt : puta unum ex incolis, qui erat addictus Apostolis (fidem ab eis ibi jam prædicatam fuisse, liquet ex v. 8, ubi de *Paulo loquente*), domum adiisse ubi deversabantur, eisque nuntiasse quæ ad portam civitatis fieri inciperent. — Conscissis tunicis, propter indignationem nimiumque animi dolorem, ex more Judæorum (Matth. XXVI, 65), qui, quum vehementi iræ aut luctus affectu commoti erant, tunicam a collo usque ad cingulum scindebant. Cf. *Comm.* nostr. *s. Matth.* ad l. c. (3ª ed.)

14. Quantopere hæc agendi ratio diversa est ab ista quam tenuit in simili casu Herodes Agrippa, cap. XII, 22 sq.! Nobilem quoque Apostolorum piumque animum animadvertite, quum plene obliti sui ipsius, honoremque sibi oblatum spernentes, nihil nisi Dei gloriam cultumque ei debitum intueantur.

Vanis, *ματαιων*, in masc., non in neutro gen., i. e. *falsis* supple *diis*. Huic adjectivo opponitur statim *vivus*. Ad Deum vivum, adeoque verum (dii enim gentium simulacra sunt *mortua*, muta etc.; *oculos habent et non vident* etc.). Fecit coelum etc., i. e. omnia (tripartitim describitur rerum universitas, ut solet) : si omnia fecit ipse, nulli naturæ creatæ similis est; igitur nullus homo, nullaque imago, cultum divinum meretur.

15 et mare et omnia quæ in eis sunt: * qui in præteritis generationi-
16 bus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. * Et quidem non
sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans
pluvias, et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda
17 nostra. * Et hæc dicentes, vix sedaverunt turbas ne sibi immo-
larent.
18 * Supervenerunt autem quidam ab Antiochia et Iconio Judæi:
et persuasis turbis, lapidantesque Paulum, traxerunt extra civi-
19 tatem, existimantes eum mortuum esse. * Circumdantibus autem
eum discipulis, surgens intravit civitatem, et postera die profec-
tus est cum Barnaba in Derben.
20 * Cumque evangelizassent civitati illi, et docuissent multos,
21 reversi sunt Lystram, et Iconium, et Antiochiam, * confirmantes
animas discipulorum, exhortantesque ut permanerent in fide:
et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in

---

15. In præteritis generationibus, *ætatibus, seculis*, i. e. ante Evangelii promulgationem, dimisit (εἰασε, *sivit, permisit*) omnes gentes, excepta Israelitica, ingredi vias suas, malam suam vivendi rationem persequi (*via* pro *vivendi ratione* sæpius). Hoc autem intelligendum est ita : Deus gentibus illis legem scriptam, quam Judæis dedit, notam non fecit; neque ad eos, ut ad Judæos, prophetas identidem misit; verum eos pravæ suæ voluntati reliquit. Nequaquam tamen omne virtutis veritatisque auxilium eis abstulit, sed generales tantum et minores gratias elargitus est, speciales et magnas legi Christi reservans : quod quidem fecit ex arcano quodam judicio, et secundum arbitratum suum.

16. Attamen non permisit ut gentiles omni argumento, quo ad veri Dei notitiam pervenire potuissent, destituti essent : namque, exempli gratia, cognoscendum se præbuit, cum beneficus e cœlo pluvias dedit etc. Et re quidem vera, ordo mirabilis, qui in mundo universo atque in legibus naturæ conspicitur, Dei existentiam demonstrat; atque adeo gentiles, in quorum cordibus lex naturalis scripta erat (Rom. II, 15), ad veri Dei cultum adducere, et a viis eorum malis revocare debebat (Rom. I, 20).

18. Supervenerunt, certe aliquot diebus postea, cum interea plures jam facti essent christiani (v. 19 *discipulis*). Lapidantes etc. : factum istud memoratur 2 Cor. XI, 25 : *Semel lapidatus sum.*

19. Haud dubium est quin subita illa Pauli sanatio miraculosa fuerit.

20. Reversi sunt Antiochiam Syriæ, non recta via, per Ciliciam, Pauli patriam, sed per viam eamdem, qua venerant, ut novellos discipulos in fide corroborarent, et apud eos hierarchiam instituerent.

21. Exhortantes... ut permanerent in fide. Falso igitur docuit Calvinus fidem, semel acceptam, animo excidere numquam posse. — Et quoniam per

regnum Dei. * Et cum constituissent illis per singulas ecclesias 22
presbyteros, et orassent cum jejunationibus, commendaverunt

MULTAS TRIBULATIONES etc. Exhortabantur eos ut, non obstantibus persecutionibus, in fide perseverarent ; quum *per multas tribulationes oporteat intrare in regnum Dei,* sc. in cœlum. Merito notanda sunt præclara illa verba, quibus discimus, secundum generalem legem a Deo statutam, manifestissimumque Christi exemplum, non aliam viam ad æternam beatitudinem ducere, quam regiam sed arduam crucis viam. Sicut *oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam* (Luc. XXVI, 26), ita etiam nos debemus *compati ut conglorificemur* (Rom. VIII, 17) ; *omnes* enim *qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur* (2 Tim. III, 12). Videsis *Comm.* nostr. *s. Matth*, 3ª ed., p. 278-280.

22. CONSTITUISSENT... PRESBYTEROS : id fecerunt *apostoli*, ut contexta oratio evidenter ostendit : nam qui *commendaverunt eos Domino* (sc. apostoli), iidem sunt qui *constituerunt* et *oraverunt :* in græco enim duo ponuntur participia aoristi quæ pendent a *commendaverunt.* Pro *constituissent* græce est χειροτονησαντες, quod quidem verbum de electione comitiali, quæ a populo, manibus extensis seu elatis (χειρ et τεινω) fiebat, apud scriptores profanos sæpe dicitur : certum tamen est, fatente ipso *Grotio, ad quævis electionum genera vocis significationem ampliatam fuisse, adeo ut valeat simpliciter *eligere* (etiam absque ullo plebis suffragio), *constituere, creare, ordinare, designare.* Atque eum esse hujus loci sensum testantur viri acatholici *Wolf, Schleusner* et *Kuinöl*, non sane hac in re suspecti. Quare vel ipse Lutherus vertit : *Und sie ordneten ihnen*, et versio Anglicana *(Biblia Jacobi) And when they had ordained them.* Quam perverse igitur Calvinus, quocum Erasmus imprudenter concinit, contendit, electionem per suffragia totius multitudinis factam fuisse ! Mala etiam est versio Bibliorum Protestanticorum Hollandiæ, quæ vulgo *de Staten-bybel* vocatur : *Als zij... met opsteecken der handen Ouderlingen verkooren hadden.*

Jam vero, persuasum nobis est χειροτονιαν hanc fuisse sacram Ordinationem vel consecrationem, quæ per impositionem manuum, secundum Christi institutionem, facta est ad conferendum Sacramentum Ordinis. Etenim hæc χειροτονια cum jejunio et oratione conjuncta fuit ; præterea nobis favet locus parallelus XIII, 3. Cf. Tit. I, 5, ubi s. Paulus Tito Cretensium episcopo : *Reliqui te Cretæ,* ait, *ut... constituas per civitates presbyteros :* animadvertit jam *Wolfius καθιστημι, quod ibi legitur, idem significare ac χειροτονειν, quod hic habetur. Tandem, notamus vocem χειροτονια, in scriptis ss. Patrum Græcorum de s. Ordinatione passim usurpari.

PRESBYTEROS, πρεσβυτερους (etymol. *seniores*), sacerdotes tum secundi ordinis seu *presbyteros* stricte dictos, puta in minoribus ecclesiis, tum primi ordinis seu *episcopos* proprie dictos in civitatibus majoribus. Nam denominatio πρεσβυτερους in novo Testamento videtur fuisse communis sacerdotibus utriusque gradus seu ordinis. Videsis dissertationem 7ᵐ, sub titulo : *Quæstio scripturistica de episcopis et presbyteris,* ad calcem hujus operis.

23 eos Domino, in quem crediderunt. * Transeuntesque Pisidiam,
24 venerunt in Pamphyliam, * et loquentes verbum Domini in
25 Perge, descenderunt in Attaliam : * et inde navigaverunt Antiochiam, unde erant traditi gratiæ Dei in opus, quod compleverunt.
26 * Cum autem venissent, et congregassent Ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, et quia aperuisset Gentibus
27 ostium fidei. * Morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis.

§ 2. *Concilium Jerosolymitanum, in quo decernitur, legem Mosaicam a gentilibus ad fidem conversis observandam non esse:* CAP. XV.

Summarium. Judæi quidam, Antiochiæ docentes, contendunt, gentiles ad Christum conversos circumcidendos esse. Ideo Paulus et Barnabas cum aliis mittuntur Jerusalem (1-5). Coacto concilio, Petrus decernit legem Moysis a gentilibus custodiendam non esse (6-11). Paulus et Barnabas illud idem ex factis propugnant (12); Jacobus autem Prophetarum oracula in eumdem finem adducit, quatuor præscriptiones observatu necessarias adjiciens (13-21). Decretum (quod totidem verbis hic recitatur) Antiochiam mittitur (22-29), ibique cum gaudio suscipitur (30-34).

1 * Et quidam descendentes de Judæa, docebant fratres : Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari.

---

24. Attaliam, portum Pamphyliæ, haud procul a Perga (*probablement au Sud-Ouest de cette ville).* Huc non venerant in eundo, sed in redeundo eo perrexerunt, certe ut navem ibi reperirent, quæ eos Antiochiam recta veheret.

27. Tempus non modicum : ab initio primi itineris Apostolici usque ad profectionem Pauli in urbem Hierosolymam, de qua statim XV, 2, statuimus 10 annos in tab. chronol., supra p. 32.

1. Jam constabat ethnicos in Ecclesiam admittendos esse, et Petrus quosdam, multos vero Paulus converterant ad Christum : sed plures Judæochristiani, cum gentem Judaicam a Deo singulariter electam fuisse tamquam *populum Dei*, populum *theocraticum*, e vetere Testamento discerent, contendebant gentiles, antequam Ecclesiam Christi ingredi possent, debere per Judaismum transire; igitur eos primum in populum theocraticum cooptandos esse per circumcisionem legisque Mosaicæ observantiam. Verum quidem erat Cornelium ejusque socios sine circumcisione admissos fuisse, sed ibi videbant factum extraordinarium, ex quo regulam generalem eruere

* Facta ergo seditione non minima Paulo et Barnabæ adversus 2
illos, statuerunt ut ascenderent Paulus, et Barnabas, et quidam
alii ex aliis ad Apostolos et presbyteros in Jerusalem, super hac
quæstione. * Illi ergo deducti ab Ecclesia pertransibant Phœni- 3
cem, et Samariam, narrantes conversionem Gentium: et faciebant
gaudium magnum omnibus fratribus.

* Cum autem venissent Jerosolymam, suscepti sunt ab Eccle- 4
sia, et ab Apostolis, et senioribus, annunciantes quanta Deus
fecisset cum illis. * Surrexerunt autem quidam de hæresi Phari- 5
sæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos,
præcipere quoque servare legem Moysi.

---

non liceret. Controversia hæc maxima est quæ in primitiva Ecclesia orta sit, et periculum haud exiguum excitavit, quum ageretur tam de *catholicitate* quam de *unitate* Ecclesiæ : circumcisionem enim et ciborum discrimen aliaque id genus præcepta Mosaica in mundum universum (*καθ'ὅλον, catholicum)* introducere sperandum non erat; præterea, prævidendum erat christianos in duas sectas Judæo-et ethnico-christianos dividendos esse. Ut autem periculum illud amoveretur, Deus præsertim elegit s. Paulum, cujus strenuos et quasi continuos hac in re labores et conatus deinceps videbimus in Actibus Apost. et in Epistolis a Doctore Gentium conscriptis. Cf. Bisp. ad h. l.

QUIDAM, antea Pharisæi, jam ad Christum conversi, v. 5 : ergo germ. *die streng-gesetzliche nationale Partei.*

2. SEDITIONE : *στασεως και ζητησεως* (vera lectio), *seditione* (schismate, germ. *spaltung*) et *disceptatione* NON MINIMA. STATUERUNT sc. *fratres*, v. 1. ET QUIDAM EX ALIIS, nempe ex Judaizantibus, ut utraque dissidentium pars audiretur. Græce constanter legitur *εξ αυτων, ex illis*, non *ex aliis* (Vulg.); sensus tamen non differt. Jerosolymitani hujus itineris mentio fit Gal. II, 1 sqq. (vide *Comm.* nostr. *in Epist. Paul.* ad ill. l.) : ex quo loco discimus etiam Titum cum Paulo ivisse. IN JERUSALEM ad Apostolos missi fuerunt, quia res agebatur gravissima, quæ ad vitam Ecclesiæ universæ spectabat.

3. DEDUCTI : nonnulli Antiochenses eos comitatu honorabili (germ. *officielles Geleite)* per certum itineris spatium deduxerunt. — PHOENICEM ET SAMARIAM, ubi pauci Judæo-christiani fuisse videntur (inde *gaudium* ibi excitatum), non per *Galilæam*, in qua forte dominabantur Judæo-christiani.

4. SUSCEPTI SUNT AB ECCLESIA, a cœtu christianorum Jerosolymitanorum. — ET SENIORIBUS : *πρεσβυτεροις, sacerdotibus* (utriusque ordinis, quotquot fortassis essent). QUANTA DEUS FECISSET CUM ILLIS, pro conversione gentilium.

5. SURREXERUNT QUIDAM Judæo-christiani, DE HÆRESI, *secta* PHARISÆORUM (quinam essent Pharisæi dicitur in *Comm.* nostro *s. Matth.* 3ª ed. p. 175 sqq.), QUI CREDIDERUNT, melius, *qui crediderant*, qui fidem amplexi fuerant.

6 * Conveneruntque Apostoli et seniores videre de verbo hoc.
7 * Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad
eos: Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in
nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelii, et
8 credere. * Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans
9 illis Spiritum sanctum, sicut et nobis, * et nihil discrevit inter
10 nos et illos, fide purificans corda eorum. * Nunc ergo quid ten-
tatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod

---

6. APOSTOLI, Petrus, Jacobus, et Joannes, ut constat ex Gal. II, 9. SENIORES, rursum πρεσβυτεροι : intelliguntur sacerdotes omnes, tum primi ordinis (*episcopi* proprie dicti), si admittamus alios episcopos præter apostolos ibi adfuisse, tum secundi ordinis (simplices *presbyteri*). Hi ultimi concilio interfuerunt ad *consultandum;* apostoli, et si qui alii adfuerint episcopi, ad *definiendum* tamquam judices : Petrus autem ad *præsidendum* cœtui, tamquam caput concilii, et controversiarum judex supremus. Plures etiam laici præsentes erant (v. 22), quamvis vocati non fuissent : nullum tamen habebant jus disputandi vel definiendi ; aderant solummodo ut audirent, spectarent, et assentirentur. Res ibi acta est cum assistentia Spiritus sancti (v. 28), ergo cum auctoritate infallibili. Decretum latum fuit in forma legali et solemni (v. 29). Igitur 1m fuit concilium *Œcumenicum,* ad cujus exemplar alia deinceps celebrata fuerunt concilia generalia.

7. CUM... FIERET : γενομενος, *postquam* magna συνζητησις, plurium inter se disquisitio, disputatio, *facta fuisset,* tunc Petrus controversiam solvit : sic in conciliis liberrime præcedunt semper disputationes. PETRUS, tamquam Ecclesiæ princeps et summus judex, rem definit. AB ANTIQUIS DIEBUS, nihil aliud hic significat quam *jam dudum, pluribus abhinc annis* (ante 10 annos saltem, secundum tabul. chron., supra p. 28); idem est ac v. 14 *primum* seu *primitus,* initio prædicati Evangelii. DEUS IN NOBIS, *inter* nos apostolos, ELEGIT sibi (græce aor. med.), UT PER OS MEUM *audirent gentiles* etc. Tacite respicit ad historiam Cornelii, cap. X.

8. TESTIMONIUM PERHIBUIT de admittendis gentilibus non circumcisis, siquidem talibus dederat Spiritum sanctum, quemadmodum die Pentecostes eumdem nobis circumcisis largitus est.

9. PURIFICANS etc. Præoccupat s. Petrus objectionem Judaizantium, gentiles esse immundos seu impuros. FIDE : *per fidem,* non nudam (ut volunt Protestantes), sed, quod aliunde novimus, cum spe, contritione et charitate conjunctam.

10. TENTATIS DEUM, eum ad iram provocatis (hic sensus probatur ex Ps. LXXVII, 17 coll. 18), manifestæ ejus voluntati repugnantes; IMPONERE, *volentes imponere* (infinit. epexegeticus : cf. *Beelen,* Gramm. græc. n. T. § 45, 3) *cervicibus* DISCIPULORUM, ethnico-christianorum, JUGUM legis Mosaicæ ritualis, QUOD NEQUE PATRES NOSTRI, NEQUE NOS *(communicative)* PORTARE POTUIMUS, nisi cum maxima difficultate. Hanc addo correctionem, quam ipsa

neque patres nostri, neque nos portare potuimus? * Sed per 11
gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et
illi.

* Tacuit autem omnis multitudo: et audiebant Barnabam et 12
Paulum narrantes quanta Deus fecisset signa, et prodigia in
Gentibus per eos. * Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus, 13
dicens :

Viri fratres, audite me. * Simon narravit quemadmodum pri- 14
mum Deus visitavit sumere ex Gentibus populum nomini suo.

---

materia, de qua Petrus loquitur, suadet : certum enim est Deum numquam talia jubere quæ ab homine perfici nequeant.

11. SED PER GRATIAM, non per circumcisionem, aut observationem legis Mosaicæ. Plurima hac de re diximus in explicatione epistolæ ad Romanos. Si velimus nunc argumenta colligere, quibus s. Petrus demonstrat gentiles absque circumcisione in Ecclesiam admittendos esse, sequentia reperiemus præcipua : 1° Deus id declaravit per visionem, v. 7; 2° idque per Spiritus sancti effusionem confirmavit, v. 8. 3° Gentiles non sunt amplius immundi, utpote per fidem expiati et purificati, v. 9. 4° Secus ipsis imponeretur jugum intolerabile, v. 10. 5° Per gratiam Christi, non per observantiam Legis, salus obtinenda est, v. 11. Sextum vero argumentum statim affert s. Paulus, v. 12, sc. miracula inter gentiles facta. Septimum deinde subjungit s. Jacobus, v. 15, deductum ex vetere Testamento, videlicet ex Propheta Amos. Si addamus 8° unanimem consensum illorum qui concilio aderant, et tandem præsertim 9° dogmaticam definitionem ibi latam : conglobatas habebimus rationes omnes, quibus, ex hoc Actuum capite, Judaizantes refelli possint. Præterea, in epistolis Paulinis, præsertim ad Galatas et ad Romanos, eadem hæc pseudo-Judaismi confutatio perficietur.

12. TACUIT, in signum venerationis atque obedientiæ erga supremum pastorem ; ne Pharisæo-christiani quidem ausi sunt quidquam contra dicere : ubi enim Petrus locutus est, causa finita est. BARNABAS hic et v. 25 ante Paulum nominatur, quia prius quam ipse et arctiore modo cum ecclesia Jerosolymitana necessitudinem habuerat (IX, 27) : alibi, inter gentiles, Paulus præcedit (XIII, 43, 46, 50 etc.). — PRODIGIA, per quæ Deus ostendit gentiles ad salutem Evangelicam admittendos esse, absque eo quod legem Moysis observare deberent.

13. Jacobus, qui tamquam episcopus Jerosolymitanus primum hic locum post Petrum occupat, Petri sententiam confirmat, vocationem gentilium, quam hic pro causæ suæ fundamento posuerat, prophetarum oraculis demonstrando.

14. SIMON : ipsum nomine hebræo nuncupat, utpote Hebræus et ad Hebræos loquens. VISITAVIT SUMERE : επεσκεψατο λαβειν, *benevole aspexit ut sumeret*, i. e. benigne sumpsit.

15 * Et huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est :
16 * Post hæc revertar, et reædificabo Tabernaculum David, quod
17 decidit : et diruta ejus reædificabo, et erigam illud : * ut requi-
rant ceteri hominum Dominum, et omnes gentes, super quas in-
18 vocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc. * Notum
19 a sæculo est Domino opus suum. * Propter quod ego judico non
20 inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, * sed
scribere ad eos ut abstineant se a contaminationibus simulacro-

---

16. Oraculum Amosii (cap. IX, 11, 12) recitatur secundum versionem Septuaginta Interpretum, quæ, verbis, non sensu, nonnihil differt ab hebræo et a Vulgata. In § 15 introductionis (supra p. 25) notavimus Jacobum sane inhæsisse verbis hebræis, Lucam vero ad versionem Alexandrinam ideo recurrisse quod citationes suas ex ea ubique mutuari soleret. — POST HÆC, *tempore Messiæ :* cf. Act. II, 17. REVERTAR, ait Jehovah, etc. Sensus est Deum, qui antea iratus recesserat ab eis, jam propitium se exhibiturum. REÆDIFICABO TABERNACULUM DAVID etc. : regnum Davidis per Messiam (cf. Luc. I, 32) restituam in Ecclesia, ad quam, ut v. 17 dicitur, omnes gentes admittentur.

17. UT *(in hunc finem* regnum David spiritualiter instaurabo *ut)* CETERI HOMINUM, omnes homines, non soli Judæi, DOMINUM REQUIRANT. In hebræo nostro autem sic legitur : *Ut* (Israelitæ) *possideant reliquias Edomi, et omnes gentes, super quas* etc. Sensus eodem recidit : Edomitæ ponuntur ut exemplum populi peregrini qui inter gentem Israeliticam admittetur ; figura est gentilium in Ecclesiam seu novum Israelem cooptandorum. — ET OMNES GENTES SUPER QUAS INVOCATUM EST *(erit)* NOMEN MEUM : homines cujusvis nationis, qui, post susceptam fidem, filii Dei vocabuntur, utpote christiani. DICIT DOMINUS FACIENS HÆC, *facturus hæc;* i. e. hæc sunt verba Dei, qui quod prædixit etiam perficiet.

Vaticinatio illa Amosii, neque Ezechia regnante, nec post reditum a Babylone, aut sub Machabæis, aut quovis alio tempore ante Christum, eventu confirmata fuit : quia cunctas terrarum regiones numquam possederunt Israelitæ. Igitur, nonnisi ad vocationem gentilium referri potest, ut certissime constat vel ex solis verbis Jacobi hic recitatis.

18. Verba sunt Jacobi, qui per modum epiphonematis addit : ab æterno Deus præscivit quid facturus esset quod gentiles attinet. Vera lectio tantum habet *γνωστα απ'αιωνος* (BC Sin.), *nota a seculo* supple *sunt hæc,* nempe *apud Deum ;* adeo ut lectio Vulgatæ (cod. AD) per quædam additamenta sensum recte explicet.

19. PROPTER QUOD : cum prædictum fuerit omnes gentes ad regnum Messiæ esse admittendas, cumque ex facto Petri consequatur eis circumcisionem imponendam non esse, EGO JUDICO etc.

20. SED, ut Judæo-christianis non sint offensioni, utque cum iis in unam Ecclesiæ societatem facilius conveniant, SCRIBERE censeo etc. ABSTINEANT SE

rum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine. * Moyses enim a 21
temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædi-
cent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.
* Tunc placuit Apostolis, et senioribus cum omni Ecclesia, 22

A CONTAMINATIONIBUS SIMULACRORUM, i. e. (sicut v. 29) *ab idolothytis* (ειδωλῳ θυω, *idolo macto, immolo*), sc. a carnibus victimarum, quæ falsis diis immolatæ fuerant, et quarum esum, quum idololatriam saperet, lex Mosaica (Exod. XXXIV, 15) severe damnabat.

ET FORNICATIONE. Hoc, quamquam jure naturæ aperte illicitum erat, addit Jacobus, propterea quod gentiles, id temporis, eo usque corrupti essent, ut *fornicationem* pro re indifferenti haberent. Sunt qui per *fornicationem* intelligant *falsorum numinum cultum* : quod probabile non videtur; quia, etsi Hebræi, propter specialem contractum, quem cum Deo fecerant, quique erat quasi spirituale *matrimonium* cum ipso initum, nomen *fornicationis* vel *adulterii* idololatriæ dare solerent, gentiles tamen non ita loquebantur, neque apostolorum prohibitionem tali sensu intellexissent.

ET SUFFOCATIS, i. e. animalibus (puta e minoribus) sine emissione sanguinis occisis : istorum autem esus ideo vetitus erat, quod sanguis simul comederetur. Prohibitio legitur Lev. XVII, 13, 14. ET SANGUINE effuso animalium mactatorum, quocumque demum modo hauriatur vel comedatur: cf. Gen. IX, 4; Levit. III, 17; XVII, 10 sq,; Deut. XII, 16, 23. Finem autem illius Mosaicæ præscriptionis investigare huc non spectat : sufficiat animadvertisse interdicti causam fuisse : *Quia anima carnis in sanguine est,... et sanguis pro animæ piaculo est*, sc. pro sacrificiis, Levit. XVII, 11.

Ratio vero ob quam idolothyta, suffocata et sanguis, in concilio Jerosolymitano prohibita rursum fuerint, illa esse videtur : ut Judæo-christiani cum ethnico-christianis facilius consentirent : confer not. infra ad v. 28. Lege Natalis Alexandri dissert. *De abstinentia a sanguine et suffocato* (in Zaccar. Thes. theol. T. VII).

21. ENIM nectit cum præcedentibus. Quomodo? Difficile est rem certo definire. Duplicem propono sententiam : hæc prohibenda sunt gentilibus, quia Moyses, qui singulis sabbatis prælegitur, illa aperte damnat, et Judæo-christiani scandalizarentur, si talia facerent ethnico-christiani. Vel (s. Chrys.) : hæc prohibenda sunt *gentilibus* : nam *Judæi* satis cognoscunt illa a Moyse, quem sæpius audiunt prælegi, omnino vetari.

22. ELIGERE VIROS : duos ex primoribus ecclesiæ Jerosolymitanæ presbyteris (*primos ἡγουμενους in fratribus*, et v. 32 *prophetas* seu doctores) legatis ecclesiæ Antiochenæ adjunxerunt, ut authentia decreti eorum testimonio confirmaretur, atque simul ut vincula amicitiæ et mutuæ caritatis inter utramque ecclesiam magis magisque contraherentur. De *Juda Barsaba* nihil alibi : an frater Josephi Barsabæ, de quo I, 23? *Silas* seu *Silvanus*, postea comes Pauli in itineribus : XV, 40; XVI, 19 etc.; 2 Cor. I, 19; 1 Thess. I, 1.

eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam cum Paulo et Barnaba,
Judam, qui cognominabatur Barsabas, et Silam, viros primos in
23 fratribus, * scribentes per manus eorum :
APOSTOLI et seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ, et Syriæ,
24 et Ciliciæ, fratribus ex Gentibus, salutem. * Quoniam audivimus
quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes
25 animas vestras, quibus non mandavimus : * placuit nobis collectis
in unum eligere viros, et mittere ad vos cum charissimis nostris
26 Barnaba et Paulo, * hominibus, qui tradiderunt animas suas pro
27 nomine Domini nostri Jesu Christi. * Misimus ergo Judam, et
28 Silam, qui et ipsi vobis verbis referent eadem. * Visum est enim
Spiritui sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam

---

23. SCRIBENTES (ponendum fuisset *scribentibus*, nam participium cum superioribus verbis *placuit apostolis* concordat) PER MANUS EORUM : est hebraismus, qui nihil aliud significat quam *per ipsos;* cf. Act. XI, 30. Eodem sensu dicitur *testificari per manum prophetarum*, 4 Reg. XVII, 13; *loqui in manu prophetæ*, 3 Reg. XIV, 18. Igitur, necessario cogitandum non est, eorum manu exaratum fuisse hoc decretum. Verti potest flandrice : *En door hen dit voorschrift te behandigen.* Eodem sensu transfert *Allioli* in præclara sua versione germanica s. Scripturæ : *Dass man durch sie einhändige dieses Schreiben.*

Decretum autem *scriptum* fuit propter majorem auctoritatem et certitudinem : verbis tamen explicandum erat coram (v. 27). Cavebatur ne Paulus sententiam pro suo arbitrio referre videretur.

FRATRES... FRATRIBUS : ergo christiani e gentilibus et ex Judæis æquales prorsus sunt. — CILICIÆ : Paulus sat diu ibi manserat (IX, 30 sq.), et certe plures ad fidem converterat.

24. EVERTENTES ANIMAS VESTRAS, *animos vestros a vero abducentes.* QUIBUS NON MANDAVIMUS : aptius adhiberetur plus-quam-perfectum : *mandaveramus* tale quid docere, sc. de observanda lege Moysis.

25. COLLECTIS IN UNUM non accuratum est, namque γενομενοις ὁμοθυμαδον sign. *facti unanimes*, postquam unanimes facti essemus. Ergo unanimi sententia eorum omnium, quibus jus erat definiendi (Patrum Concilii), bonum visum fuit mittere legationem, et pro ea designare duos viros, sc. Judam et Silam.

26. TRADIDERUNT ANIMAS SUAS, vitæ suæ non pepercerunt. *Anima* pro *vita corporali* sexcenties in s. Scriptura.

28. Incipit definitio concilii. VISUM EST SPIRITUI SANCTO : definitio dogmatica, quæ, in rebus fidei et morum, ab Ecclesia, in legitimo concilio Œcumenico congregata, fertur, quæque infallibilis est, Spiritui sancto merito tribuitur. — ET NOBIS. Intellige apostolos et episcopos, qui sunt judices fidei, sub regimine Petri, ejusque successorum. Nota v. 25 dici bonum

hæc necessaria: * ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, 29
et sanguine, et suffocato, et fornicatione, a quibus custodientes
vos, bene agetis. Valete.
* Illi ergo dimissi, descenderunt Antiochiam: et congregata 30
multitudine tradiderunt epistolam. * Quam cum legissent, gavisi 31
sunt super consolatione. * Judas autem et Silas, et ipsi cum essent 32
Prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, et confirmaverunt.
* Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace a 33

---

visum fuisse ex unanimi Patrum consensu, illudque ipsum v. 22 *placuisse* non tantum *apostolis*, sed etiam *senioribus*, imo vero *omni ecclesiæ*. Ratio autem disparitatis est, quod sermo ibi haberetur de re minoris momenti (de eligendis viris idoneis), ad quam sufficit humanæ prudentiæ lumen, et in qua laici jus dicendæ sententiæ (gall. *droit de vote consultatif*) habere possunt.

Nihil ultra, *eorum de quibus controversia erat.* Igitur Decalogus haudquaquam excluditur.

Quam hæc necessaria. Vocantur *neccessaria*, non *per se* aut natura sua (excepta fornicatione), sed *per accidens* (ut aiunt), et propter omnia rerum temporisque adjuncta. Hoc autem præceptum pleno jure latum fuit ad certum tempus, quamdiu exstitit finis specialis ob quem lex illa disciplinaris condita est : nimirum, prohibitio *suffocati* et *sanguinis* videtur statuta ad pacem inter Judæo-christianos et ethnico-christianos servandam, interdictum vero *idolothytorum* ad vitandum scandalum. Vix necesse est monere istas juris ecclesiastici præscriptiones abrogari potuisse ; et, ut per Ecclesiæ consuetudinem constat, jam diu abolitas fuisse. Imo vero lex illa *positiva*, de non edendis idolothytis, extra Syriam regionesque vicinas (cf. v. 23) vim umquam habuisse non videtur : Apostolus enim, in 1ª ad Cor., tribus capitibus, sc. VIII, IX et X, de idolothytorum esu scribens, istius præcepti non meminit.

29. Custodientes : διατηρουντες *sedulo* custodientes. Bene agetis : ευ πραξετε, melius *felices eritis, bene vobis erit*, nempe, propter concordiam et unionem quæ inter christianas communitates regnabit.

Duo igitur rerum capita in hoc Concilio fuerunt decreta : alterum dogmaticum : abrogata esse legalia; alterum vero morale : a quibusdam abstinendum esse, vel in perpetuum, nempe a fornicatione, vel ad tempus, sc. a tribus aliis.

32. Et ipsi, sicut Paulus et Barnabas. Prophetæ : hæc denominatio sensu latissimo sumitur, de iis qui, divino adjuvante Spiritu, sancta quadam et efficaci pollebant eloquentia.

33. Cum pace, *jussi bene valere ;* aliis verbis : *fratres eos dimiserunt, pacem eis apprecantes.* Nota est salutationis formula, Judæis solemnis : *Pax tibi* vel *tecum*, pro *vale, salvus esto, felix sis* etc.

34 fratribus ad eos, qui miserant illos. * Visum est autem Silæ ibi
remanere: Judas autem solus abiit Jerusalem.

§ 3. *Secundum iter Pauli evangelicum :* CAP. XV, 35-XVIII, 22.

I. Barnabæ discessus. Paulus transit per Asiam-Minorem ; Philippis in Macedonia e carcere liberatur : cap. XV, 35 - XVI.

Summarium. Paulus Barnabæ proponit iter evangelicum denuo suscipere: verum oritur inter eos dissensio propter exclusionem Joannis-Marci (35-39). Paulus ideo cum Sila proficiscitur in Syriam et Ciliciam (40,41); inde Lycaoniam, ubi Timotheum in socium assumit, peragrat (XVI, 1-3). Postmodum per Phrygiam Galatiamque transit, et, cum Spiritus sanctus ei vetet prædicare fidem in Asia proconsulari et Bithynia, Troadem venit (4-8): unde, visione monitus, in Macedoniam trajicit (9-11). Philippis, Lydiam quamdam baptizat et apud eam hospitatur (12-15); ibidem puellam fatidicam a dæmonio liberat (16-18). Verum, propter hoc ultimum factum coram tribunali sistitur, simul cum Sila (19-21). Ambo ad verbera damnantur et in carcerem conjiciuntur (22-24). Media nocte, terræ motu mirabiliter exorto, carceris ostia sponte aperiuntur; et custos, miraculo commotus, fidem amplectitur (25-34). Mane apostoli, a magistratibus honorifice dimissi, alio proficiscuntur (35-40).

35 * Paulus autem et Barnabas demorabantur Antiochiæ, docen-
36 tes, et evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini. * Post
aliquot autem dies, dixit ad Barnabam Paulus: Revertentes
visitemus fratres per universas civitates, in quibus prædicavimus

---

34. Judas Barsabas, de quo supra v. 22. — Hic versus omittitur in codd. ABEGH et Sinaitico, in verss. syr. et copt., apud s. Chrys. In uno tantum Vulgatæ codice, nempe Vindobonensi, habetur. Legitur autem, sed partim et varie, in CD, sahid., syr. phil., arm., etc. *Tischendorf in 7ª ed. eum rejicit; Bisping quoque suspicatur glossema esse propter v. 40.

35. Quo tempore Paulus, post concilium Jerosolymitanum, Antiochiæ commorabatur (inter *dies* illos *aliquot* de quibus v. 36), eo advenit Petrus, et tunc contigit publica illa Petri reprehensio a Paulo facta, de qua Gal. II, 11.

36. Ergo Paulo tunc mens alia non erat quam ut 1ᵐ iter repeteret : sed dum peregrinabatur in dissitis regionibus, Dominus ipsum longius propulit.

verbum Domini, quomodo se habeant. * Barnabas autem volebat 37
secum assumere et Joannem, qui cognominabatur Marcus.
* Paulus autem rogabat eum (ut qui discessisset ab eis de Pam- 38
phylia, et non isset cum eis in opus) non debere recipi. * Facta 39
est autem dissensio, ita ut discederent ab invicem, et Barnabas
quidem assumpto Marco navigaret Cyprum. * Paulus vero electo 40
Sila profectus est, traditus gratiæ Dei a fratribus. * Perambula- 41
bat autem Syriam, et Ciliciam, confirmans Ecclesias: præcipiens
custodire præcepta Apostolorum, et seniorum. XVI
* Pervenit autem Derben, et Lystram. Et ecce discipulus 1
quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris Judææ fidelis,

---

37. Ille *Joannes Marcus* erat ανεψιος Barnabæ, i. e. filius fratris aut sororis ejus, ut novimus ex Col. IV, 10. Facile fieri potuit ut vinculum illud consanguinitatis Barnabam in partes Joannis Marci pertraxerit. Notum est dictum nostratium : *het bloed trekt.*

38. Rogabat : ηξιον, *æquum censebat* eum non debere recipi, sc. *in socium,* secundum vim verbi græci συν-παρα-λαμϐανειν. Parenthesis, quam habet Vulgata in hoc versu, melius abesset.

39. Dissensio : non proprie loquendo *odium* aut *inimicitia,* sed παροξυσμος, i. e. *vehemens ira, exacerbatio,* inde *dissidium.* Dissensionem illam, qualis inter homines ceteroquin sanctissimos, sed ab omni humana imperfectione non alienos, nonnumquam deprehenditur, quæque tamen ex optima utriusque mente et voluntate orta videtur, Deus ita moderatus est, ut bonum effectum ex ea eliceret, atque Evangelium latius propagaret. Porro, hæc animorum divisio non diu perseveravit : nam Paulus, quando aliquot annis postea epistolam illam, quæ in Bibliis est *prima ad Corinthios,* scribebat, cum Barnaba jam iterum conjunctus erat (1 Cor. IX, 6) ; et cum Joanne-Marco etiam societatem renovavit, quod novimus ex Coloss. IV, 10, 11 ; 2 Tim. IV, 11. — Cyprum, patriam suam.

40. Paulus profectus est : 2^{m} hoc iter Pauli pro dilatanda fide omnium erit præcipuum et efficientissimum. Traditus etc. : quod innuere videtur ecclesiam Antiochenam in dissensione illa Pauli partes amplexam fuisse.

41. Ergo hac vice non per mare (sicut in 1° itinere) profecti sunt.

1. Timotheus verisimiliter erat vir Lystrensis (neque obstat XX, 4). Cum matre ad fidem conversus sane fuit a Paulo in primo hujus itinere (XIV, 20). Natus patre ethnico et matre Judæa, nec Judæo-christianus, nec ethnico-christianus erat : atque adeo comes Pauli aptissimus. Notum est omnibus, duas epistolas ab Apostolo ad Timotheum scriptas fuisse postea, nempe ut videtur, 11 vel 12 circiter annis post eventus hic a Luca narratos : jam vero, e literis illis plurimas possumus eruere notitias, quæ ad Timotheum ejusque cum Paulo necessitudinem spectant : juvabit igitur eas hic conferre, cum annotationibus et præsertim cum introductionibus

2 patre Gentili. * Huic testimonium bonum reddebant qui in Ly-
3 stris erant et Iconio fratres. * Hunc voluit Paulus secum profi-
cisci : et assumens circumcidit eum propter Judæos, qui erant in
illis locis. Sciebant enim omnes quod pater ejus erat Gentilis.
4 * Cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire
dogmata, quæ erant decreta ab apostolis et senioribus, qui erant
5 Jerosolymis. * Et Ecclesiæ quidem confirmabantur fide, et abun-
dabant numero quotidie.
6 * Transeuntes autem Phrygiam, et Galatiæ regionem, vetati

---

quas in *Comm. Ep. Paul.* 3ª ed. dedimus : eas legat sedulus Scripturæ indagator, in eum finem ut Timotheum melius cognoscat, et plenius intelligat quæ in Actibus dicantur de mutuo vitæ commercio ipsum inter et s. Paulum.

3. Circumcidit : non quasi id necessarium aut ulla lege præscriptum putaret, quod decreto Concilii Jerosolymitani brevi antea celebrati contrarium fuisset, sed ex prudenti quadam indulgentia, *factus Judæis tamquam Judæus, ut Judæos*, qui nuntium adventus Messiæ a viro qui ne Judæus quidem esset audire numquam voluissent, nec familiariter cum eo versari (cf. XI, 2 seq.), causæ suæ facilius *lucraretur* (1 Cor. IX, 20). In istis autem locis excitata non fuerat illa controversia inter Judæo- et ethnico-christianos, propter quam Concilium coactum fuit; nemo igitur ex errore doctrinali circumcisionem Timothei postulabat : ideo Apostolus potuit, absque ullo veritatis aut unionis periculo, discipulum suum sponte volentem circumcidere. In aliis vero rerum adjunctis, cum veritatem doctrinæ tueri oportebat, nimirum cum nonnulli contendebant circumcisionem esse necessariam ad salutem, permittere noluit ut jugum istud imponeretur. Sic, Jerosolymæ cum esset, pauco tempore antea, restitit Judæo-christianis qui requirebant ut circumcideretur Titus (Gal. II, 3); imo vero, cum paulo post Antiochiæ versaretur (statim nempe ante hoc iter 2ᵐ), Petrum hac in re Judæis nimium faventem reprehendit (Gal. II, 11); et, adversus Judaizantes scribens in epist. ad Gal. V, 2 (aliquot annis postmodum), circumcisionem aperte improbavit. Cf. infra cap. XXI, 21.

4. Civitates : Derben, Lystram, Iconium, et forte etiam Antiochiam Pisidiæ. Custodire etc. : his verbis contra Calvinum demonstratur, legibus ecclesiasticis obediendum esse.

6. Transeuntes : διῆλθον (ABCDE) *transierunt Phrygiam et Galatiæ regionem, postquam vetati fuissent* (κωλυθέντες) *a Spiritu loqui verbum Dei in Asia.* Ergo Iconio et forte Antiochia Pisidiæ profecti, volebant pergere ad occidentem, ut irent prædicare in *Asia*, i. e. in Provincia Romana, quæ *Asia* vocabatur, quæque regionem occidentalem Asiæ-Minoris, mari Ægæo adjacentem, complectebatur, cujusque caput Ephesus erat. Certe ad hanc civitatem gressus dirigebant, jamque in Phrygiam, per quam transire debebant,

sunt a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia. * Cum venissent 7
autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam: et non permisit
eos Spiritus Jesu. * Cum autem pertransissent Mysiam, descen- 8
derunt Troadem: * et visio per noctem Paulo ostensa est: vir 9
Macedo quidam erat stans, et deprecans eum, et dicens: Transiens
in Macedoniam, adjuva nos. * Ut autem visum vidit, statim quæ- 10
sivimus proficisci in Macedoniam, certi facti quod vocasset nos
Deus evangelizare eis.

* Navigantes autem a Troade, recto cursu venimus Samothra- 11
ciam, et sequenti die Neapolim: * et inde Philippos, quæ est 12
prima partis Macedoniæ civitas, colonia. Eramus autem in hac

---

pervenerant, cum Spiritus sanctus eos prohibuit id facere. Ideo per Phrygiam petierunt Galatiam, ubi Evangelium prædicaverunt, ut eruitur ex Act. XVIII, 23, coll. Gall. IV, 13, 19. Legere hic oportet *Epistolam ad Galatas*, utpote quæ nonnullas præbitura sit notitias circa labores apostolicos in illa regione.

7. In græco lectio probabilior sic habet: *Cum autem venissent* (ελθοντες δε in cod. ABCDE) *ad Mysiam*, κατα την Μυσιαν (ad confines Mysiæ orientales), *tentabant ire in Bithyniam.* Igitur, Galatiam ita percurrerunt, ut ab oriente ad occidentem ierint: cum autem ad limites Mysiæ accessissent, eam non ingressi sunt, propterea quod in Asiæ Provincia, ad quam Mysia pertinebat, prædicare ipsis prohibitum fuerat, v. 6; sed ad septentrionem iter perrexerunt, et tentaverunt (επειραζον: nota imperfect., *pluries tentaverunt*) ire in Bithyniam. ET (sed) NON PERMISIT EOS SPIRITUS JESU (alter jam Dei interventus). Obiter animadverte *Spiritum Jesu* eum esse ac v. 6 *Spiritum sanctum*, qui nempe a Jesu seu a Filio Dei procedit sicut a Patre.

8. Itaque ire ad aquilonem vetantur: quid facto opus? Vel reverti debent, vel ad occidentem progredi: id ultimum perficiunt; sed, cum in Mysia Christum prædicare non liceat eis, regionem *pertranseunt* et petunt *Troadem* (*descendunt* ad illud oppidum, utpote ad Mare Ægæum situm), fortassis ea mente ut itinere maritimo Antiochiam Syriæ redeant. Sed ecce Deus tertio intervenit, semper eos Europam versus impellens, v. 9. *Troas*, seu *Alexandreia-Troas*, portus tunc magni momenti erat, unde proficisci solebant viatores qui ex Asia-Minore in Macedoniam ibant. Ista civitas erat prope antiquam Troadem ab Homero celebratam.

10. QUÆSIVIMUS. S. Lucas prima persona plurali nunc primum utitur; ex quo colligimus, ipsum Pauli comitem hic factum fuisse.

12. PRIMA, puta *topographice* (nam prima ordine *dignitatis* erat Amphipolis), hoc sensu quod viatoribus, qui Neapoli in Macedoniam tendunt, prima occurrat. Neapolis autem eo tempore ad Thraciam pertinebat: atqui, non in *Thraciam*, sed in *Macedoniam* vocati fuerunt: ideo statim Philippos petierunt. PARTIS MACEDONIÆ, sc. istius partis ad quam Paulus itinere mari-

13 urbe diebus aliquot, conferentes. * Die autem sabbatorum egressi
sumus foras portam juxta flumen, ubi videbatur oratio esse : et
14 sedentes loquebamur mulieribus quæ convenerant. * Et quædam
mulier nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, colens
Deum, audivit : cujus Dominus aperuit cor intendere his, quæ
15 dicebantur a Paulo. * Cum autem baptizata esset, et domus ejus,
deprecata est dicens : Si judicastis me fidelem Domino esse,
introite in domum meam, et manete. Et coegit nos.
16 * Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam
quamdam habentem spiritum pythonem obviare nobis, quæ
17 quæstum magnum præstabat dominis suis divinando. * Hæc
subsecuta Paulum, et nos, clamabat dicens : Isti homines servi
18 Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis. * Hoc autem

---

timo pervenerat. ERAMUS IN HAC URBE. Quæ narrat s. Lucas, v. 12-40, de Paulo fidem Philippis prædicante (cujus quidem prædicatio postea nonnihil aucta et perfecta fuit, cum Apostolus bis, Act. XX, 1 et XX, 6, per illam civitatem transiit), hæc complebuntur per varias rerum notitias quas suppeditabit *Epistola ad Philip.*, 11 ferme annis postmodum scripta. Legesis nunc eam, simulque confer *Comm.* nostr. *Epist. Paul.* 3[a] ed., præsertim ibi introd. in Ep. ad Philip.

13. UBI VIDEBATUR : *ενομιζετο, ubi mos erat* (*νομος lex, consuetudo*) *ut haberetur* ORATIO, *προσευχη, oratorium quoddam* (deest artic.). Quando Judæis licitum non erat synagogam in urbe habere, oratorium quoddam sacrum ad fluminum ripas aut ad litora maris, ubi aqua ad lotiones rituales suppeteret, constituebant.

14. PURPURARIA, quæ lanam purpuream, vestesque inde confectas, vendebat. Ars vestes purpura tingendi frequens erat in Lydia, cujus oppidum erat *Thyatira*, patria istius mulieris. COLENS DEUM, *Proselyta*, cf. XIII, 16. AUDIVIT, *assensum præstitit :* hoc sensu emphatico idem *audire* adhibetur Luc. X, 16 : *Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit.* CUJUS DOMINUS APERUIT COR... : hoc indicat partem gratiæ ; *audivit* autem mutuam humanæ libertatis operam denotat.

15. Hoc sane prima die non contigit. — SI, ad rem ipsam quod attinet, valet *quandoquidem*, sed modum loquendi refert magis modestum, magisque exquisitum.

16. SPIRITUM *dæmonem* PYTHONEM, *fatidicum*, quo qui afflati erant, res futuras et occultas pandebant. *Pytho* erat serpens ab Apolline, qui vaticinationibus præerat, interfectus.

17. Dæmon per os istius ancillæ loquebatur, atque hunc forsitan persequebatur finem, ut a Paulo expelleretur, et ideo in eum turbæ excitarentur.

18. DOLENS PAULUS, *id moleste ferens.* Quemadmodum Christus (Marc. I, 25), ita etiam Paulus a spiritu impuro et mendaci laudari nolebat.

faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, et conversus,
spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea.
Et exiit eadem hora.
* Videntes autem domini ejus quia exivit spes quæstus eorum, 19
apprehendentes Paulum et Silam perduxerunt in forum ad prin-
cipes: * et offerentes eos magistratibus, dixerunt: Hi homines 20
conturbant civitatem nostram, cum sint Judæi : * et annunciant 21
morem, quem non licet nobis suscipere, neque facere, cum simus
Romani. * Et cucurrit plebs adversus eos : et magistratus, scissis 22
tunicis eorum, jusserunt eos virgis cædi. * Ei cum multas plagas 23
eis imposuissent, miserunt eos in cacerem, præcipientes custodi
ut diligenter custodiret eos. * Qui cum tale præceptum accepis- 24
set, misit eos in interiorem carcerem, et pedes eorum strinxit
ligno.
* Media autem nocte Paulus et Silas orantes, laudabant Deum: 25
et audiebant eos qui in custodia erant. * Subito vero terræmotus 26
factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris. Et

---

19. Paulum et Silam : quare non etiam Lucam et Timotheum, qui simul cum ipsis Philippos venerant? Tacet historia.

20. Magistratibus : iidem sunt qui v. 19 vocantur *principes*. Intelliguntur autem duumviri, qui *Prætores* (præitores, *στρατηγοι*, *belli duces*, *civium duces*, *magistratus*) dicebantur; apud quos, in civitatibus quæ *jure italico* fruebantur, nimirum in coloniis et municipiis Romanis, summa erat potestas, ad imitationem duorum consulum, qui Romæ constituebantur. Dixerunt : callide tacent de adempto turpi quæstu. Judæi : gens Judaica Romanis invisa erat, ob religiosa instituta admodum diversa.

21. Annuntiant morem, institutum religiosum. Quem non licet nobis suscipere : Romanis non licebat novos colere deos, nisi ex publica auctoritate; atqui coloniæ Romano jure regebantur.

24. Pedes eorum strinxit ligno. Istud *lignum* erat tabula lignea cum duobus foraminibus, in quibus pedes per vim distenti stringebantur : latine dicitur *nervus*. De eo loquitur Job. XIII, 27 : *Posuisti in nervo pedem meum* (melius in hebræo *pedes meos* in plur.); Job iterum XXXIII, 11 *Posuit in nervo pedes meos*. — Ergo duplici ratione cautum erat ne evaderent.

25. Orantes, ut olim apostoli (supra IV, 29), animi robur petentes ; laudabant Deum, lætabundi *quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*, cf. supra V, 41. Qui in custodia erant : ceteri vincti, qui in carcere exteriore erant.

26. Terræmotus miraculosus, in signum precum benigne a Deo acceptarum : cf. supra IV, 31.

statim aperta sunt omnia ostia: et universorum vincula soluta sunt.
27 * Expergefactus autem custos carceris, et videns januas aper-
tas carceris, evaginato gladio volebat se interficere, æstimans
28 fugisse vinctos. * Clamavit autem Paulus voce magna, dicens:
29 Nihil tibi mali feceris: universi enim hic sumus. * Petitoque
lumine, introgressus est: et tremefactus procidit Paulo et Silæ
30 ad pedes: * et producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet
31 facere, ut salvus fiam? * At illi dixerunt: Crede in Dominum
32 Jesum: et salvus eris tu, et domus tua. * Et locuti sunt ei ver-
33 bum Domini cum omnibus, qui erant in domo ejus. * Et tollens
eos in illa hora noctis, lavit plagas eorum: et baptizatus est ipse,
34 et omnis domus ejus continuo. * Cumque perduxisset eos in
domum suam, apposuit eis mensam, et lætatus est cum ommi
domo sua credens Deo.

35 * Et cum dies factus esset, miserunt magistratus lictores,
36 dicentes: Dimitte homines illos * Nunciavit autem custos carce-
ris verba hæc Paulo: Quia miserunt magistratus ut dimittamini:
37 nunc igitur exeuntes, ite in pace. * Paulus autem dixit eis:
Cæsos nos publice, indemnatos, homines Romanos miserunt in
carcerem, et nunc occulte nos ejiciunt? Non ita: sed veniant,

---

28. Paulus, etsi nocturno tempore, satis discernere potuit custodem in exteriore carcere velle sibi necem inferre. UNIVERSI HIC SUMUS. Vincti, qui in carcere exteriore erant, in interiorem ædem se recepisse videntur: custos autem, quum nondum huc venisset, credidit eos aufugisse.

29. TREMEFACTUS. Sensit ea non casu, sed vi quadam humanis viribus superiore, accidisse.

30. FORAS, in atrium carceris, ubi certe erat fons cum labro (res in Oriente haud rara). UT SALVUS FIAM. Audierat sane novam aliquam religionem, ad salutem necessariam, ab eis fuisse prædicatam.

33. Lavit eorum plagas, et statim post caritatis officium lotus est ipse, sed ratione longe meliore.

35. DIMITTE. Causa non refertur quare isti animum tam cito mutavissent: forte dicendum eos per terræ motum nocturnum, quem iræ divinæ adscriberent, perterritos fuisse. Præterea solet, ut aiunt, nox consilia inspirare bona: sane isti secum recogitarant præpropere actum fuisse cum viris peregrinis, qui nec interrogati, nec legitime damnati fuerant.

36. EXEUNTES e carcere, in quem nempe se rursum receperant ante diem.

37. PAULUS AUTEM DIXIT EIS: *eis* sc. lictoribus, v. 38. Id autem fecit in hunc finem, ut omnibus nota esset sua et Silæ innocentia, utque etiam rumor spargi non posset, eos effracto carcere effugisse, tamquam homines male sibi conscios: quod in damnum Evangelii cessisset.

* et ipsi nos ejiciant. Nunciaverunt autem magistratibus lictores 38
verba hæc. Timueruntque audito quod Romani essent: * et ve- 39
nientes deprecati sunt eos, et educentes rogabant ut egrederen-
tur de urbe. * Exeuntes autem de carcere, introierunt ad 40
Lydiam: et visis fratribus consolati sunt eos et profecti sunt.

II. Paulus Thessalonicæ, Berœæ et Athenis fidem nuntiat: cap. XVII.

Summarium. Paulus Thessalonicæ in synagoga prædicans, plures Proselytos ad fidem convertit (1-4). Judæi autem contumaces seditionem excitant, et quosdam christianos ad tribunal agunt (5-9); ideo Berœam se recipiens Apostolus, multo cum fructu Judæis gentilibusque Evangelium nuntiat (10-12), donec rursus fugere cogitur: tunc petit Athenas (13-15), ubi verbum Dei in synagoga et in foro loquitur (16-18). Ductus in collem Martium (*Areopagum*) (19-21), egregiam habet orationem, in qua unum esse Deum verum, ideoque falsa numina rejicienda, ostendit: dein dicturus de Christo, per quem Deus salvat homines (22-31), interrumpitur (32, 33). Nonnulli tamen fidem recipiunt (34).

* Cum autem perambulassent Amphipolim, et Apolloniam, 1

38. Ipsi nos ejiciant : εξαγαγετωσαν, *educant* honorifice. Timuerunt : nam violaverant leges Valeriam et Porciam, secundum quas nefas erat *flagellare* (cædere flagellis, i. e. locris coriaceis) civem Romanum; et ne virgis quidem ipsum verberare licebat, nisi hic prius legitime condemnatus suoque jure spoliatus fuisset. Quicumque illud fecisset, reus erat læsæ majestatis in populum Romanum; quamobrem in Urbe causam dicere cogebatur, et morte plectebatur. Ceterum, Paulo, jus civitatis invocanti, fidem facile adhibuerunt, quia mendacium, hac in re, ultimo supplicio puniebatur. Inde factum est, ut teste Cic. *in Verr.* 5, 57, verbum illud *Civis Romanus sum* sæpe multis in ultimis terris opem inter barbaros et salutem tulerit. De *Paulo cive Romano*, vide infra XXII, 25. Nos Romanos : ergo etiam Silas civis erat Romanus.

40. Profecti sunt, sed ut diximus in introd. epist. ad Philip. § 1, Lucas et Timotheus ibi remansisse videntur. Ob hanc fortassis causam s. Lucas, ab hoc versiculo usque ad XX, 5, omnia narrat in tertia persona. Timotheus autem non tam diu quam Lucas a Paulo separatus fuit, ut patet ex XVII, 14.

1. Perambulassent : διοδευσαντες, *transeuntes;* ergo ibi non steterunt aut prædicaverunt. Synagoga (gr. melior lectio habet articulum ἡ : hic tamen

2 venerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Judæorum. * Secun-
dum consuetudinem autem Paulus introivit ad eos, et per sabbata
3 tria disserebat eis de Scripturis, * adaperiens et insinuans quia
Christum oportuit pati, et resurgere a mortuis: et quia hic est
4 Jesus Christus, quem ego annuncio vobis. * Et quidam ex eis
crediderunt, et adjuncti Paulo et Silæ, et de colentibus Gentili-
busque multitudo magna, et mulieres nobiles non paucæ.
5 * Zelantes autem Judæi, assumentesque de vulgo viros quos-
dam malos, et turba facta, concitaverunt civitatem : et assistentes
6 domui Jasonis quærebant eos producere in populum. * Et cum
non invenissent eos, trahebant Jasonem, et quosdam fratres ad
principes civitatis, clamantes : Quoniam hi, qui Urbem concitant,
7 et huc venerunt, * quos suscepit Jason, et hi omnes contra
decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse, Jesum.

---

deest in cod. ABD Sin.) *illa*, quam Judæi ex Philippis, Amphipoli et Apollonia, ubi synagogæ non erant, adire solebant.

2. De Scripturis : απο γραφων, petito argumento *a s. Scriptura*, indeque *apertum faciens et docens* quod etc.

4. De colentibus gentilibusque: in omnibus fere codicibus antiquis deest conjunctio *que (et)* ; proinde *gentiles* non distinguuntur a *colentibus*. Igitur sensus est : multi e Proselytis Hellenistis.

5. Zelantes præpostere pro lege Mosaica. Viros de vulgo : græce των αγοραιων. Sunt autem αγοραιοι viri qui stant in foro, seu potius, qui in foro stare et conversari solent, vel 1° negotii gratia (*circumforanei*, fl. *marktkramer*), vel 2°, quod pejus est, ineptæ curiositatis et otii causa (lat. *subrostrani*), quales nusquam erant plures quam Athenis ; inde 3°, qui in foro vel plateis stant exspectantes si quidpiam boni fortuito nancisci possint (*nemo nos conduxit*, Matth. XX, 7), interea murmurantes adversus divites, aut de magistratibus et de prætereuntibus male loquentes etc. ; inde 4° κατ'εξοχην, homines otiosi, viles, mali, ad tumultum proni : gall. *la canaille*.

Turba facta : οχλοποιησαντες, tumultu excitato : flandrice *eenen oploop verwekkende*. Et assistentes domui, επισταντες τῃ οικιᾳ, cum subito ante domum se omnes stetissent, cum eam *adorti essent :* cf. VI, 12. Jasonis, apud quem noverant hospitari Paulum et Silam (v. 7). Quærebant eos producere in populum, ut a plebe male haberentur.

6. Urbem concitant : græce constanter legitur την οικουμενην, *orbem universum*. Lectio igitur Vulgatæ nostræ (quæ in ed. Vatic. 1598 *Urbem* scribit cum litera majore, quasi de urbe Roma) certo mendosa est ; eo vel magis quod contexta oratio eam non patiatur.

7. Contra decreta Cæsaris, quibus cautum erat, ne quis, in regionibus devictis, rex diceretur, nisi Cæsaris permissu.

* Concitaverunt autem plebem, et principes civitatis audientes 8
hæc. * Et accepta satisfactione a Jasone, et a ceteris, dimiserunt 9
eos. * Fratres vero confestim per noctem dimiserunt Paulum, et 10
Silam in Berœam.
Qui cum venissent, in synagogam Judæorum introierunt.
* Hi autem erant nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ, qui 11
susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes
Scripturas, si hæc ita se haberent. * Et multi quidem crediderunt 12
ex eis, et mulierum Gentilium honestarum, et viri non pauci.
* Cum autem cognovissent in Thessalonica Judæi, quia et 13
Berœæ prædicatum est a Paulo verbum Dei, venerunt et illuc
commoventes et turbantes multitudinem. * Statimque tunc Pau- 14

---

8. Metuebant ne civitas sua Romanis videretur ad seditiones prona et prompta.

9. Accepta satisfactione : ἱκανον, *satisdatione* ; flandrice *na dat zij borge van hem bekomen hadden*. Accusati sane explicarunt qualis esset indoles regni Jesu Messiæ, et (deposita pecunia ?) spoponderunt se et apostolos ab omni seditione quam remotissimos esse.

10. Haud diu postquam Thessalonicenses reliquisset Paulus, cum Corinthi versaretur (vide infra XVIII, 11), bis ad eos scripsit, ut prædicationem sanctam quam apud eos instituerat perficeret. Igitur ex *Epist.* 1 *et* 2 *ad Thessalonicenses* complere oportet historiam hic (Act. XVII, 1-10) narratam : ibi enim plurimæ reperiuntur notitiæ circa laborem Pauli evangelicum in oppido Thessalonica : velit itaque lector diligens duas illas literas attente percurrere.

11. Nobiliores, nempe indole, non natalibus: igitur melioris indolis erant; gallice *ils avaient des sentiments plus nobles*. Nobiliores eorum : græcismus, pro *iis*. Scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent, ut contendebant apostoli, qui docebant Scripturæ oracula de Messia in Jesu Nazareno eventu confirmata fuisse omnia.

Probe animadvertendum est, examen ab illis fuisse institutum antequam christianam religionem amplexi essent. Quod patet ex contextu : nam postea, quidam tantum ex illis omnibus, qui Scripturas scrutati erant, credidisse dicuntur. Falso igitur et inscite Protestantes hunc Actuum locum urgent contra magisterium Ecclesiæ, dicentes : Ecclesiæ definitiones cæca fide non admittendas esse, sed antea examinandum, utrum istæ ex Scripturis demonstrari possint. Notum est, totum pseudo-Reformatorum systema hoc quasi cardine volvi : sensum uniuscujusque privatum, secundum quem singuli possunt et debent interpretari Scripturam, unicam esse fidei regulam.

14. Ut iret usque ad mare. Lectio probabilior est ὡς επι την θαλασσαν (quia ὡς non intelligebatur, in cod. ABE et in Vulg. mutatum fuit in ἑως, in cod.

lum dimiserunt fratres, ut iret usque ad mare : Silas autem et
15 Timotheus remanserunt ibi. * Qui autem deducebant Paulum,
perduxerunt eum usque Athenas, et accepto mandato ab eo ad
Silam et Timotheum, ut quam celeriter venirent ad illum, profecti
sunt.
16 * Paulus autem cum Athenis eos exspectaret, incitabatur spi-

---

autem D omissum fuit) ; quæ quidem duplici modo explicari potest : 1° *Ut iret quasi ad mare*, ut iret mare versus (Berœam a litore maris non multum distare, videbis in Tabula geographica huic Commentario præmissa), quasi vellet itinere maritimo proficisci, quum tamen iter terrestre tenuerit; se velle navigare finxit, ut Judæorum insidias effugeret. Hanc sententiam in 1ª edit. Tabulæ nostræ geographicæ secuti sumus ; eam etiam amplexus est Allioli in Tab. geogr. annexa operi : *Bibl. Alterthumskunde, II Band.* 2° Alii dicunt ὡς ἐπι notare mentem ejus fuisse ut maris viam revera sequeretur ; ergo hunc statuunt verborum sensum : ut iret ad mare et navigaret Athenas. Plura sunt exempla apud auctores profanos, in quibus ὡς ἐπι idem valet ac ἕως *usque ad, recte ad.* Secundum alteram hanc sententiam, quam tenet versio Syriaca et major pars interpretum, (etiam Bisp.), Paulus itinere maritimo Athenas devenit. Notat Allioli (in Comm.) ex verbis Lucæ definiri non posse utrum terrestre an vero maritimum iter institutum fuerit.

Fateor autem me nunc magis propendere in sententiam de itinere maritimo : tum 1°, quia nullum oppidum, per quod iter terrestre duxisset, nominatur ; tum etiam 2°, quia Berœenses Paulum deduxerunt usque Athenas. Præterea 3°, certe Paulus non uno impetu usque Athenas pergere voluisset, siquidem Silam et Timotheum secum habere omnino cupiebat.

Timotheus, qui ut dixi XVI, 40, post Pauli discessum Philippis aliquamdiu remanserat, jam ad eum redierat, et cum eo Berœæ versatus fuerat.

15. Athenas : Paulo non videtur mens fuisse in Græciam longius pergere (in *Macedoniam* tantum vocatus fuerat XVI, 9) ; sed eum quasi inscium propulit divina Providentia (tumultu actus fugit quo potuit, navemque jamjam profecturam ascendit, et navis illa recta via Athenas petebat). Ergo, volente Deo Evangelii lumen affert urbi illi celeberrimæ, Græciæ capiti, artium liberalium ac philosophiæ decori. *Rome était la capitale politique du monde, mais Athènes était la capitale intellectuelle, scientifique et artistique.* Hic igitur *sapientia* mundana et divina inter se luctabuntur, quemadmodum *potentia* humana et divina Romæ postea certabunt, ducibus Petro et Paulo.

16. Incitabatur spiritus ejus in ipso, *animus ejus irritabatur*, nempe indignatione, aut dolore. Miracula artis pulcherrimæ, ast eheu ethnicæ adeoque impiæ, animum ejus, altissimis veræ religionis doctrinis occupatum, allicere non poterant ! Hoc notent artifices christiani : ibi latet primum *æstheticæ* nostræ principium. Cf. Bisp.

ritus ejus in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem. * Dispu- 17
tabat igitur in synagoga cum Judæis et colentibus, et in foro per
omnes dies ad eos, qui aderant. * Quidam autem Epicurei, et 18
Stoici philosophi disserebant cum eo, et quidam dicebant: Quid
vult seminiverbius hic dicere? Alii vero: Novorum dæmoniorum
videtur annunciator esse: quia Jesum, et resurrectionem annun-
ciabat eis. * Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, 19
dicentes: Possumus scire quæ est hæc nova, quæ a te dicitur,

VIDENS IDOLOLATRIÆ DEDITAM CIVITATEM : κατειδωλον, potius *idolis refertam*, seu falsorum deorum simulacris abundantem. E scriptoribus profanis novimus, Athenienses tum idolorum atque ararum copia, quum festorum dierum frequentia, ceteris Græcis antecelluisse. Testantur Pausanias 1, 24, 3 et Livius 45, 27, in eorum urbe plura fuisse templa, delubra et statuas deorum, quam in tota Græcia.

17. DISPUTABAT : διελεγετο, *verba faciebat* ad eos : quo sensu etiam sumitur διαλεγομαι in cap XX, 7, et Hebr. XII, 5. Lucas innuere videtur (v. 18) Paulum cum solis Epicureis et Stoicis *disputasse* (non cum Judæis). IN FORO : εν τῃ αγορᾳ cum art., certe in *Eretria* prope *Stoam*, ubi oratores ad populum illuc adventantem sermonem habere solebant.

18. EPICUREI ET STOICI animorum immortalitatem negabant; non autem ita sentiebant Platonici et Aristotelici (duæ aliæ scholæ philosophicæ, quæ, isto tempore, erant Athenis) : quum ergo Paulus, inter alia doctrinæ capita, mortuorum resurrectionem prædicaret, fieri potuit, ut illi soli occasionem disputandi cum eo hinc arripuerint.

QUID VULT DICERE : τι αν θελοι λεγειν, *quid possit iste velle dicere*, supple, si sermo ejus sensum quemdam revera habeat : hæc est vis in græco. SEMINIVERBIUS. Vox græca σπερμολογος, duplici modo explicatur : vel 1° *qui colligit grana* (λεγω et σπερμα). Ita vocabantur pauperes, qui, forum oberrantes, quod ex mercibus et mercatorum sarcinis in terram deciderat colligebant; inde *homines viles, circumforanei, garruli, blaterones, vaniloqui*. Hic autem ultimo sensu sumitur. Vel 2° σπερμολογος, a σπειρειν *seminare* λογους *verba*, dicitur, qui huc illucque projicit verba primo occurrenti : *nugator, vaniloquus*; flandrice : *een prater, een woordzaaijer, een babbelaar*.

NOVORUM DÆMONIORUM VIDETUR ANNUNTIATOR ESSE, peregrina *numina* videtur prædicare. QUIA JESUM etc. : verba sunt Lucæ, quibus rationem dat ultimæ opinionis, de novis diis a Paulo nuntiatis.

19. AD AREOPAGUM, *collem Martium* (Αρης *Mars*, et παγος *mons, collis)* seu *campum Martium*, ut ibi, a forensi strepitu remotus, curiosis Atheniensibus (v. 21) locuturus, tanto facilius ab eis audiri posset. In illum collem convenire solebat supremum tribunal, quod etiam *Areopagus* vocabatur. Nihil tamen innuit ad hoc tribunal Paulum ut reum fuisse perductum : vox enim *apprehensum* de amica actione nonnumquam adhibetur (v. gr. IX, 27

20 doctrina? * Nova enim quædam infers auribus nostris. Volumus
21 ergo scire quidam velint hæc esse. * Athenienses autem omnes,
et advenæ hospites, ad nihil aliud vacabant nisi aut dicere, aut
22 audire aliquid novi. * Stans autem Paulus in medio Areopagi,
ait:

Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video.
23 * Præteriens enim, et videns simulacra vestra, inveni et aram,
in qua scriptum erat: IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis,

---

Barnabas apprehensum Saulum *duxit ad Apostolos)*; præterea, Apostolus minime videtur ad judices loqui, nihilque ad sui defensionem aut purgationem dicit. Adde comem illam invitationem *Possumusne scire* etc.? de accusatione judiciali vix intelligi posse; eo vel magis quod v. 21 indoli Atheniensium curiosæ ea adscribatur. Tandem, rei exitus v. 32 omnem cogitationem de causa coram tribunali acta a mente nostra removet.

21. Inter parenthesim notat Lucas Athenienses ita egisse, non ex amore cognoscendæ veritatis, sed ex vana quadam curiositate, quæ ipsis pro indole erat. Scriptores profani antiquitatis de garrula istorum curiositate, quæ ex magna quadam animi levitate oriebatur, sæpissime loquuntur. Seneca *ep.* 94: « Alexander, ait, qui quod cuique optimum est eripuit, Lacedemona servire jubet, *Athenas tacere.* »

AD NIHIL ALIUD VACABANT: ηυκαιρουν, cujus vis bene exprimitur flandrice: *voor iets wel tijd hebben.* — ALIQUID NOVI: τι καινοτερον; notat *Winer *(Gramm.)* hanc esse comparativi vim, ut vellent semper audire et dicere quidquam novius quam novum illud quod ultimum audierant; adeo quidem ut nova statim sordescerent, novioraque quærerentur. Hoc forte magis est ingeniosum quam verum; nam *quid novi?* græce solebat dici τι νεωτερον;

22. PER OMNIA, κατα παντα sc. τροπον, *omni modo*. QUASI SUPERSTITIOSIORES: δεισιδαιμονεστερους, proprie *qui magis deos timent et colunt*, ideoque *religiosiores*, supple *ceteris Græcis*. Igitur in bonam partem vocem sumo, cum s. Chrys. et Theophyl.; noluisset certe Apostolus, pro nota ejus sollertia, a reprehensione dura orationem incipere. Attamen putem ipsum scite et ingeniose adhibuisse vocem ambiguam, ut dum eos de religiositate laudat, simul innuat hanc non esse verum Dei cultum; quasi dixisset flandrice: *Gij zijt alleszins godsdienstiger, ja overgodsdienstig zijt gij.* Si non vult offendere, neque etiam adulari cupit. Comparativus autem sign. *magis* δεισιδαιμονες *quam ceteri Græci* estis. Et re quidem vera, tales eos fuisse constat ex innumeris veterum testimoniis, Sophoclis, Platonis, Xenophontis, Pausaniæ (in *Attic.* 24) etc. Fl. Jos. *Contra App.* 1,12 eos dicit ευσεβεστατους των Ἑλληνων. — QUASI, ὡς, refertur ad VIDEO: vos quasi tales video, tales mihi videmini.

23. Paraph. *Nam cum* per urbem vestram *transirem, et attente inspicerem* (αναθεωρων, præpositio ανα vim auget verbi) *sacra vestra* (τα σεβασματα ὑμων,

hoc ego annuncio vobis. * Deus, qui fecit mundum, et omnia quæ 24
in eo sunt, hic cœli et terræ cum sit Dominus, non in manufactis

---

gallice *les objets de votre culte), inveni* inter alia *etiam aram aliquam, cum hac inscriptione :* IGNOTO DEO (græce sine articulo; gallice : *A un Dieu inconnu*).

IGNOTO DEO. Fuerunt nostra ætate qui contenderint hoc historicæ veritati contrarium esse; et s. Hier. in Ep. ad Tit. 1,12 : " Inscriptio, ait, non ita " erat ut Paulus asseruit *Ignoto Deo,* sed ita : *Diis Asiæ et Europæ et Africæ,* " *diis ignotis et peregrinis.* " Verum errat plane s. Doctor, quia talis inscriptionis nullum usquam repertum fuit vestigium; præterea, si exstitisset, ab ea Paulus orationem non incepisset, quippe quæ sensum a doctrina ejus prorsus alienum præbuisset. Jam vero, Actuum accuritatem demonstrant, tum Pausanias qui bis refert Athenis fuisse altaria *deorum ignotorum,* tum Philostratus (*Vita Apollon.* 6, 2) qui idem affirmat; sed præsertim Diogenes Laert. (*Epim.* 3), qui narrat ad pestem arcendam ibi erecta fuisse plurima altaria *τῳ προσηκοντι θεῳ,* i. e. deo illi ignoto, qui pestis auctor erat (nota numerum singularem, sicut Act. h. l.), et addit suo adhuc tempore in pluribus vicis civitatis exstitisse *βωμους ανωνυμους,* i. e. altaria absque dei cujusdam nomine. Obiter animadverte gentiles hoc ipso religionis suæ imperfectionem fassos fuisse : habebant ingentem deorum turbam, sed dum illis permiscerent *ignotos deos,* signum erat nihil ipsos tenere certi, nihilque de vera Divinitatis se habere compertum.

Inde concludimus falsam etiam esse, teste ipso De Wette Rationalista ad h. l., opinionem *Eichorn (*A. Bibl.* 3, 413) : ista altaria erecta fuisse ante scribendi usum, et postea, cum ignotum esset cui deo consecrata fuissent, adjectam fuisse inscriptionem *Ignoto deo.*

Potuit igitur Paulus jure ac merito dicere : QUOD IGNORANTES etc., i. e. *eum ergo, quem tamquam deum vobis ignotum colitis* (ut calamitates, quas forte immisit, auferat a vobis, eumque propitium reddatis), *ego nuntio vobis;* nam Deus ille, qui calamitates æque ac beneficia hominibus immittit, alius non est quam Deus verus, unicus, cœli et terræ conditor. Quamvis igitur ipsum *explicite* non cognoscerent Athenienses, eum tamen *implicite* adorabant. Acute autem loquitur Apostolus, cum adhibet neutr. ὁ, pro masc. ὅν : nam Athenienses deum illum ignotum, cui posita erat ara a Paulo conspecta, habebant ut deum quemdam particularem, ejusdem generis ac Jovem, Minervam etc.

24. Ostendit qualis sit ille Deus : eum vero *Deum Abrahæ et Isaaci* non vocat, quemadmodum solebat facere quando Judæis loquebatur; sed notionibus philosophicis magnifice describit : ut pateat esse unicum, omnesque alios deos falsos esse.

1° Imprimis eum mundi universi *creatorem* affirmat, quod crude et impudentissime negabant Epicurei; imo vero, quod nullus umquam philosophorum ethnicorum accurate et plene agnovit, quum notitiam de crea-

25 templis habitat, * nec manibus humanis colitur indigens aliquo,
cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia:
26 * fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super univer-
sam faciem terræ, definiens statuta tempora, et terminos habita-

---

tione ex nihilo non haberent (atqui Deus non fecit *omnia*, si fuerit materia quævis ab ipso non dependens, ex qua plasmavit omnia).

2° Deinde docet Deum esse mundi universi *dominum* et gubernatorem, quod ex 1° consequebatur; dii autem gentilium erant particulares, locales, unicuique populo proprii.

3° Ex eo quod Deus sit dominus cœli et terræ, concludit eum NON IN MANUFACTIS TEMPLIS HABITARE, eo videlicet modo quo idololatræ suos deos locales et circumscriptos opinantur habitare in templis et delubris suis, quasi iis sint conclusi. Igitur hoc minime pugnat cum tot s. Scripturæ locis, in quibus Deus dicitur in Templo Jerosolymitano habitare. Idque multo minus obstat quominus credamus Deum habitare in ecclesiis nostris, præsertim ratione ss. Eucharistiæ.

25. 4° A fortiori, inde sequitur Deum non recte coli ab ethnicis, cum ei cibum potumque offerunt, quasi ad vitam ejus sustentandam. COLITUR : θεραπευεται, *ministerium ei præstatur*, i. e. præstari potest, v. gr. per oblata dona, sacrificia etc. (germ. *er kann nicht bedient werden*), siquidem omnia, quæ ipsi tribuerentur, jam ante habet. Vel, ut Paulus ait : ου θεραπευεται προσδεομενος τινος, *quasi ulla re præter semetipsum* (προς) *indigeat.* Nihil autem ex verbis illis contra cultum Dei exteriorem, modo fiat *in spiritu et veritate*, concludi posse, perspicuum est, quum falsorum numinum cultus tantum rejiciatur.

Probat nihil magis esse absonum absurdumque quam Deum oblatis sacrificiis velle nutrire aut vitam ejus sustentare. CUM, ait, IPSE DET OMNIBUS VITAM ET INSPIRATIONEM, ζωην και πνοην : hendiadis pro πνοην ζωης, *spiritum vitalem*, i. e. simpliciter *vitam*. Sic flandr. dicimus *leven en waken* (v. gr. *die nog leeft en waakt)* ; germanice *leben und weben*. Id genus iterationis frequens est in omnibus linguis; cf. hebraicum *Tohu bohu* (terra erat inanitas et vanitas, Gen. I, 2), etc.

26. Paraphrastica explicatio : *Effecitque ut, ex uno* homine, vel secundum veram lectionem *ex uno sanguine* (αἵματος deest quidem in AB Sin., Vulg. etc., sed tamen genuinum videtur, quia si scriptum fuisset *ex uno*, nemo addidisset *sanguine*, sed potius *homine)*, ex unius stirpe propagatum, *genus hominum universum habitaret per universam* (FACIEM pleonastice ex hebraismo) *terram; metatus* (ὁρισας, gallice *ayant mesuré* etc., quum ab æterno definivisset) *certa tempora, certosque terminos habitationis eorum.* Sensus est, Deum varias mundi regiones inter homines distribuisse, ac determinasse, *quamnam* regionem, et *quamdiu* quæque gens incoleret. Itaque, Deus describitur tamquam Providentia omnia gubernans : quod erat contra Stoicorum, aliorumque ethnicorum, qui plerumque *Fatum* admittebant, placita philosophica.

tionis eorum, * quærere Deum si forte attrectent eum, aut 27
inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. * In 28
ipso enim vivimus, et movemur, et sumus : sicut et quidam
vestrorum poetarum dixerunt : Ipsius enim et genus sumus.

Obiter etiam, generis humani unitas, quam polytheistæ non agnoscebant, docetur. Hæc enim indoles erat idololatriæ, ut gentes a se invicem separaret, et inter se hostiles redderet : cujus quidem divisionis præcipua causa erat, singulis populis suos fuisse deos proprios, fuisse etiam mythos diversos quibus origo distincta singulis adscriberetur. Inde enim consequebatur, virum gentis alienæ habendum tamquam hominem ex altero sanguine natum, hominem alterius speciei, ergo inimicum, imo impium (quum deos non veneraretur quos singulæ gentes ut solos veros habebant), ergo odio et exsecratione dignum.

27. Quærere Deum (infinitivus *finis), ut quærerent Deum*. Mens igitur Dei in sapientissima generis humani gubernatione, v. gr. in populorum vicissitudinibus ordinandis, alia non fuit quam ut homines ad sui notitiam adduceret. Si forte attrectent, *ψηλαφησειαν, palpando* inveniant (germ. *ertasten)* ; quemadmodum cæci manibus palpant, ut rei præsentiam detegant, eamque aliquatenus notam habeant. Itaque verbum istud confusam atque imperfectam Dei notitiam notat (*le sens divin*), quales homines ex creaturis et ex naturali lumine, quod Deus, menti præsens (*non longe est... in ipso vivimus* etc.), interius infundit, sibi comparare possunt absque revelatione supernaturali. Gentiles tamen, quod cognoscere poterant et debebant, eheu professi non sunt : ideo s. Paulus acute et sollerter addit *si forte, ει αραγε*, innuens genus humanum a fine suo aberrasse. Deinde docet, Deum invenire ipsis non admodum difficile esse, quum non longe sit ab unoquoque nostrum, i. e. per litoten, ut patet ex v. 28 : *nobis prope, imo intimus est*, et tam intimus quidem, ut nihil intimius sit aut esse possit, utpote tam intimus quam nosmetipsi nobis intimi sumus : *in ipso enim vivimus* etc.

28. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus. In tribus illis verbis *κλιμαξ* est descendens : sine ipso *vitam* non haberemus, et ne *motum* quidem (qualem videmus vel in rebus inanimatis, ut in nubibus cœli et in fluctibus maris), imo *existere* non possemus. Significat Apostolus, Deum esse vitæ et existentiæ nostræ causam primam, efficientem, constanter nobis intime præsentem : simul etiam notat Dei immensitatem, qua nobis rebusque omnibus adest *enter, præsenter, potenter*. Profundissimum autem horum verborum quasi commentarium habemus apud *s. Thom. Summ. th.* p. 1, q. 8.

In ipso : intelligi potest 1° *per ipsum*, tamquam causam efficientem, conservantem (i. e. constanter efficientem) et gubernantem. 2° *In ipso*, tamquam in continente et loco divino ; quemadmodum omne tempus est in æternitate, et omne spatium in immensitate Dei. Qua de re docte et profunde scribit *s. Gregorius, l.* 2 *Moral.* c. 8 : " Deus, inquit, manet intra omnia, ipse

29 * Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, aut lapidi, sculpturæ artis et cogitationis hominis, Divinum esse

---

" extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia; et superior est per " potentiam, et inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, " interior per subtilitatem...; nec alia ex parte superior, alia inferior, aut " alia ex parte exterior, atque alia manet interior; sed unus idemque totus " ubique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circumdando pene- " trans, penetrando circumdans."

Spinoza aliique pseudo-philosophi ex his s. Pauli verbis pantheismum comprobare voluerunt: immerito tamen, quum Apostolus Conditorem a a rebus conditis tam clare distinguat.

Porro, verba illa ad ordinem supernaturalem accommodare possumus, eorumque sensus *mysticus* miram habet altitudinem et veritatem. Per gratiam enim sanctificantem, magis quam per naturæ conditionem, *in Deo vivimus, et movemur, et sumus;* in Deo (in Christo) sumus, sicut palmes in vite, sicut membra in corpore; Deus autem (Christus) est in nobis, ut nos vivificet, sanctificet in terris, et glorificet in cœlis. Quamobrem oportet ut in vita spirituali nos cum ipso perfectissime conjungamus; igitur omnes cogitationes et affectus, omnia verba et opera sint *per Deum, in Deo, ad Deum:* quod ut fiat, mediatorem habemus Christum; ipse enim est *Via, Veritas et Vita.* " MOVEMUR, ait s. *Ambrosius* (*De bono mortis*, cap. ult.), in " Deo, quasi in via; SUMUS, quasi in veritate; VIVIMUS, quasi in vita æter- " na." Sanctus autem *Cyprianus* Pauli verba profundiore ratione perscrutatur, cum ea ad tres Personas ss. Trinitatis refert: *In Patre,* ait, *sumus; in Filio vivimus; in Spiritu s. movemur et proficimus* (lib. de Bapt. Christ.).

IPSIUS ENIM ET GENUS SUMUS : του γαρ και γενος εσμεν. His verbis græcis continetur semi-hexameter ex Arato, poeta græco, qui, in suis *Phœnomenis* 5, canit homines esse divinæ originis, Jovisque progeniem. Simile quid legitur apud Cleanthem in *Hymno in Jov.* 5 : recte igitur Paulus *quidam,* ait, *dixerunt,* in plurali. Quæ autem auctores illi ethnici de Jove scripserunt, et sensu minus recto (quasi homines a deo quodam carnaliter geniti sint), s. Paulus ad verum Deum transfert, et alia ratione intelligit.

Notant ss. Patres Apostoli prudentiam, qui, quum Scripturam contra Judæos adducat, coram gentilibus scriptorum testimonio profanorum uti non dedignatur. Quod quidem non semel fecit : namque in epistolis suis poetarum græcorum verba bis recitat : nimirum 1 Cor. XV, 33 trimetrum iambicum ex Menandro, et Tit. I, 12 hexametrum ex Epimenide. Neque præter tres illas Pauli citationes usquam in novo Testamento adducuntur scriptores ethnici.

29. Ita ratiocinatur : si nos homines, qui vita et intelligentia gaudemus, sumus filii Dei : *a fortiori* Deus, qui pater noster et creator est, vita et intelligentia præditus est ; ideoque muto et inanimo simulacro similis nequaquam dici potest. Vide quam prudenter et molliter loquatur, quod formam attinet (nota istud *non debemus,* in prima pers., quasi se ipse eis

simile. * Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, 30
nunc annunciat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant,
* eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate, 31
in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.

---

consocians), sed quanta cum intrepiditate et claritate inanitatem idololatriæ demonstrat, et multitudinis præjudicatas opiniones directe aggreditur. Verum quidem est philosophos aliosque viros doctos crasso ethnicorum *anthropomorphismo* (res corporeas esse deos) non adhæsisse, sed hæc erat communis persuasio populi.

30. IGNORANTIÆ. Falsorum numinum cultum, corruptissimosque ethnicorum mores vocat *ignorantiam*, nempe ex arte oratoria et ex sincero charitatis affectu, ut eos sibi benevolos reddat, eosque ad fidem Christi trahat; acris enim objurgatio illos forsitan offendisset atque exacerbasset. Tamen in voce illa *ignorantia* latebat sancta quædam audacia, qualem veritatis amor inspirare debet: prudenter quidem loquitur, sed non adulatur: in urbe, quæ sapientiæ et scientiæ sedes reputabatur, *ignorantiam* ponit generalem per omnia retro secula.

DESPICIENS, ὑπεριδων, *non curans, non puniens:* i. e. hactenus passus est gentes omnes ingredi vias suas; cf. XIV, 15. Vulgata, cum notionem contemptus in verbo *despiciens* exprimat, non est omnino accurata. NUNC etc.; Deus, ait, non semper negliget (ὑπερειδησει seu ὑπεροψεται), non semper perferet ignorantiam istam; nam veniet dies judicii severi, v. seq.

31. IN VIRO IN QUO STATUIT: εν ανδρι ᾧ ὡρισεν, melius *in viro quem statuit* (ᾧ per attractionem pro ὀν), quem ordinavit, supple *orbis judicem.* FIDEM PRÆBENS OMNIBUS: πιστιν παρασχων πασιν, *fidem præbens omnibus* (hominibus, in masc.); i. e. omnibus certo demonstrans, supple, eum esse judicem futurum, per hoc nempe quod *eum a mortuis suscitavit.*

Nexus versiculi 31 cum præcedenti sequens est: pœnitentia agenda est, nam impœnitentes severum Dei judicium quondam subibunt: illud autem judicium exercebit vir qui a Deo constitutus est omnium judex, cujus suprema auctoritas satis demonstrata fuit per hoc quod a mortuis resurrexit. Apostolus jam dicturus erat quisnam esset vir ille, nempe Jesus Christus, quum ejus oratio subito interrupta fuit: hæc igitur incompleta mansit. Universæ concionis analysim secundum regulas rhetorices nunc describere conemur.

ANALYSIS ORATORIA.

S. Paulus miram ostendit prudentiam, quum auditorum ingenio se accommodet, ut eos sibi conciliet, et ad Christum perducat. Quando Judæis fidem prædicabat, ut antea vidimus, *fiebat tamquam Judæus ut Judæos lucraretur;* nunc loquens gentilibus, et philosophis, quidem cultioris ingenii, tamquam philosophus ratiocinatur, sermone utens plane Attico, orationem-

32 * Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam
quidem irridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc
33 iterum. Sic Paulus exivit de medio eorum. * Quidam vero viri
adhærentes ei, crediderunt: in quibus et Dionysius Areopagita, et
mulier nomine Damaris, et alii cum eis.

---

que suam, tum sententiarum gravitate, quum verborum elegantia, mirifice exornans.

Exordium fit a/ *per insinuationem :* orator enim auditores laudat ut eorum captet benevolentiam ; illudque b/ ex variis adjunctis personarum (*religiosiores vos video*) et locorum (*transiens vidi aram dedicatam Ignoto Deo*) soleter desumptum fuit.

Propositio. Nuntio vobis *ignotum* illum Deum, verum nempe Deum, qui vobis est *ignotus.*

Argumentum. Credendum est uni vero Deo, et Jesu Christo, quem misit Deus.

Divisio. Duæ sunt orationis partes, quarum altera, vix incepta, ex improviso interrupta fuit. In priore parte, probat existentiam unius veri Dei, simulque falsorum cultum numinum confutat. In parte posteriore videtur sibi proposuisse divinum et salvificum Christi, Filii Dei, munus demonstrare.

Pars prior. Ostendit verum Deum esse 1° *Creatorem* omnium : ex quo consequitur a/ eum omnia implere, neque in templis includi posse; b/ atque adeo hominum manus eum effingere aut fabricari non posse. Inde patet idola non esse Deos. 2° *Gubernatorem* omnium, præsertim generis humani universi, quod sane de idolis, apud varias gentes diversis, dici nequit. 3° *Vivificatorem* omnium : *In ipso vivimus, et movemur, et sumus ;* ab ipso enim vitam accepimus. tamquam filii ejus. Ergo excellentior nobis est, *a fortiori* operibus manuum nostrarum longe præstantior : absit igitur ut eum idolorum simulacris similem putemus.

Transitio. Falsorum autem numinum cultum relinquere oportet, et pœnitentiam agere, nam (altera pars) misit Deus virum (Christum), cui credere et adhærere necesse est, quippe qui constitutus fuerit judex futurus : ut probatur 1° ex eo quod a mortuis surrexerit. Alia orationis capita exponere non potuit s. Paulus.

32. Resurrectionem mortuorum : pluralis *genericus* (qui *genus* indicat), nam de solius Jesu resurrectione locutus fuerat. Sic Matth. II, 20 : *Defuncti sunt qui quærebant animam* (vitam) *pueri,* de solo Herode dicitur. Pariter Matth. IX, 8 : *Glorificaverunt Deum qui dedit potestatem talem hominibus,* sc. Jesu. Sensum, quem verba Lucæ præ se ferunt, flandrice sic reddere possumus : *toen zij van eene verrijzenis van dooden hoorden.* Irridebant, certe Epicurei præsertim ; quidam vero dixerunt etc., fortasse Stoici. Sic, cum tali orationis effectu, satis tristi atque inutili.

33. Attamen (vero, δε) non omni fructu destitutus fuit labor ejus apostolicus ; nam nonnulli *adhæserunt ei,* et, paulatim ab eo in fide edocti, credi-

III. Paulus, Corinthi diu moratus, redit Antiochiam.
cap. XVIII, 1-22.

Summarium. Corinthum venit, ubi singulis sabbatis Judæis prædicat Jesum; interim, in domo Aquilæ, arte scenofactoria victum sibi comparans (1-4). Repugnantibus Judæis, ad gentiles se convertit, majore cum fructu (5-8). Visione animatus, docet ibi per sesquiannum (9-11); aqud Gallionem Proconsulem a Judæis accusatur, quibus tamen res male cedit (12-17). Per Ephesum, Cæsaream et Hierosolymam, redit Antiochiam (18-22).

* Post hæc egressus ab Athenis, venit Corinthum: * et inve- 1-2
niens quemdam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui
nuper venerat ab Italia, et Priscillam uxorem ejus (eo quod præ-
cepisset Claudius discedere omnes Judæos a Roma), accessit ad
eos. * Et quia ejusdem erat artis, manebat apud eos, et operaba- 3

---

derunt (κολληθεντες αυτῳ επιστευσαν, nota partic. aor., *s'étant attachés à lui, ils embrassèrent la foi*). Dionysius, unus ex Areopagi, summi tribunalis, judicibus: teste Eusebio (*H. E.* 3, 4; 4, 23) factus est Athenarum episcopus. Traditio medio ævo nata refert ipsum Lutetiæ Parisiorum martyrium passum fuisse: opera præclara, doctrina theologica ac mystica plena, *De div. Hier.* etc, ipsi adscripta fuerunt (olim præsertim). Alii cum eis: germen illud crevit mirabiliter, adeo quidem ut postea ibi exstiterit ecclesia florentissima.

1. Venit Corinthum. Quid ibi fecerit et passus fuerit, discere debemus, non solum ex hac Actuum pericopa XVIII, 2-18, sed etiam ex duabus *Epistolis* quas *ad Corinthios* Apostolus, tribus circiter annis postquam eos reliquerat, primum e civitate Epheso (sc. 1^m ad Cor.) et deinde ex Macedonia (nempe 2^m ad Cor.) scripsit. Quæ quidem literæ, quum Lucæ narrationem compleant, opportune hic legentur.

2. Judæum, certe jam ad Christum conversum, forte Romæ. Eum Lucas *Judæum* dicit, quia respicit ad edictum Claudii, de quo statim loquetur. Claudius, in cujus vita c. 25, Suetonius scribit: *Judæos, impulsore Chresto assidue tumultuantes, Roma expulit.* Veracitas Act. Apost. hinc firmatur. De hoc autem Suetonii testimonio videsis *Comm.* nostr. *s. Matth.* 3^a ed., p. 1514. — Ex Act. XXVIII, 15 coll. Rom. XVI, 3 novimus, Claudii edictum haud multo post in desuetudinem abiisse.

3. Operabatur, ut haberet unde honeste viveret, nec cuiquam gravis esset: cf. XX, 34. Vel, ut ait s. Aug. (In Joan. tr. 122,3), *ne gentes, a nomine Christi penitus alienas, doctrina ejus quasi venalis offenderet.* Mos erat ut Rabbini artem discerent manualem: *Pirke Ab.* 2, 2. — *Scenofactor* erat Paulus, i. e. tentoria faciebat; non, ut vult Hug, telam texebat ex qua tentoria conficiebantur.

4 tur (erant autem scenofactoriæ artis). * Et disputabat in syna-
goga per omne sabbatum, interponens nomen Domini Jesu,
suadebatque Judæis, et Græcis.
5 * Cum venissent autem de Macedonia Silas et Timotheus,
instabat verbo Paulus, testificans Judæis esse Christum Jesum.
6 * Contradicentibus autem eis, et blasphemantibus, excutiens
vestimenta sua, dixit ad eos: Sanguis vester super caput ve-
7 strum: mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam. * Et migrans inde,
intravit in domum cujusdam, nomine Titi Justi, colentis Deum,
8 cujus domus erat conjuncta synagogæ. * Crispus autem archisyna-
gogus credidit Domino cum omni domo sua: et multi Corinthio-
rum audientes credebant, et baptizabantur.
9 * Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere,
10 sed loquere, et ne taceas: * propter quod ego sum tecum: et
nemo apponetur tibi ut noceat te quoniam populus est mihi mul-

---

4. Et disputabat. *Et*, δε, habet vim antitheticam: per reliquos dies laborabat, sabbatis autem sermocinabatur. Interponens, obiter et incidenter tantum mentionem faciebat de Jesu; postea v. 5, aperte prædicabit illum esse Messiam. — Græcis, sc. Proselytis portæ, ut XIV, 1.

5. Objicit *De Wette* rationalista, ex 1 Thess. III, 1, 2, constare Silam et Timotheum ad Paulum venisse *Athenas*, non *Corinthum*, ut hic dicitur. — Resp. Reipsa Athenas ad Paulum venerunt, quamquam hoc Lucas silentio præteriit; sed mox iterum in Macedoniam missi sunt (1 Thess. III, 1, 2). Tum Paulus perrexit Corinthum, quo ad eum rursum redierunt. — Veri admodum simile est (ex 2 Cor. XI, 8, 9) pecuniarium quoddam subsidium e Macedonia, puta a Philippensibus, qui erant valde liberales pronique ad dandam eleemosynam, per viros istos allatum fuisse: quam ob causam Apostolus operam manualem intermittere jam potuit, seseque totum tradere prædicationi. — Jesum esse Messiam.

6. Excutiens, cf. XIII, 51. Sanguis vester super caput vestrum: mors vestra, exitium vestrum (eodem sensu dicitur XX, 26) vobismetipsis imputetur. Mundus ego, feci quæ potui et debui.

7. Migrans inde, e synagoga egressus, intravit in domum *contiguam*, quæ viri erat *proselyti* (colentis Deum), ut ubi deinceps Christum prædicaret, facilem præbens Judæis occasionem, si vellent ipsum audire. Haud liquet utrum necne Paulus hospitium simul mutaverit: saltem intimam cum hospitibus suis Aquila et Priscilla necessitudinem servavit, ut patet ex XVIII, 18.

9. Noli timere: videtur vitæ suæ timuisse a Judæis, ideoque voluisse proficisci. Loquere et ne taceas (cf. annot. ad XIII, 11), perge docere constanter.

10. Ego sum tecum defensor; nemo apponetur tibi ut noceat te, *nemo*

tus in hac civitate. * Sedit autem ibi annum et sex menses, docens 11
apud eos verbum Dei.
* Gallione autem proconsule Achaiæ, insurrexerunt uno animo 12
Judæi in Paulum, et adduxerunt eum ad tribunal, * dicentes: 13
Quia contra legem hic persuadet hominibus colere Deum. * Inci- 14

---

te invadet, ut te male habeat; perge Corinthi docere, QUONIAM POPULUS etc., *quia multi hic ad fidem convertentur* (eos jam ut *suos* habet Dominus).

11. Haud diu post adventum Silæ et Timothei (sed post excitatam jam Judæorum inimicitiam), Paulus, qui ab eis audierat statum ecclesiæ Thessalonicensis, scripsit 1^m^ suam *ad Thess. epistolam* (inter epistolas Paulinas, quæ ad nos pervenerunt, hæc omnium prima est ordine temporis). Utile erit eam hic legere, quia ex ea plenius discetur quæ tunc sentiret Apostolus. Sic 1 Thess. II, 16 respicit ad vexationes Judæorum quas Corinthi passus est; et quæ in hoc loco Act. dicit: *Sanguis vester super caput vestrum,* perficiuntur per ea quæ in Ep. illa scribit: sc. Judæos *implere peccata sua semper,* jamque ideo *maximam Dei iram* contra eos excitatam esse. Pariter *Noli timere,* ait hic Jesus; et 1 Thess. III, 8 auctor satis innuit summa vitæ pericula sibi imminere. Supra, v. 5 hujus cap., notavimus eleemosynam Paulo allatam fuisse e Macedonia, certe a *Philippensibus* datam: nihil enim est in Ep. 1 ad Thess. (neque etiam in 2^a^ ad Thess.) quod indicet subsidium quoddam pecuniæ a *Thessalonicensibus* datum fuisse (contrarium potius ingerit 1 Thess. III, 7; IV, 10; V, 12).

Eodem illo tempore, quo Paulus Corinthi manebat, 2^m^ *ad Thess. epistolam* exaravit (postquam nempe effectum prioris epistolæ didicerat). Illam quoque legesis, notando præsertim III, 2.

12. *Gallio* frater erat Senecæ, philosophi. Illud vero notatu dignum videtur, propterea quod magnum afferat momentum in expendenda quæstione celeberrima, utrum Seneca s. Paulum ejusque doctrinam cognoverit. Inde nata est controversia ista, quod in Senecæ scriptis haud pauca inveniantur quæ cum epistolis Paulinis mirabiliter consonent. Videsis *Franz de Champagny, Les Césars,* vol. 2 Liv. 4 ch. 2: *Sénèque s'est inspiré de s. Paul et de ses prédications chrétiennes;* et ib. in append. IV: *Passages semblables de Sénèque et de l'Ecriture sainte. De Rossi, Bolletino di Archeol. crist.* 1867, p. 8; et *Civilta cattolica,* ser. 6, vol. 10, p. 222.

PROCONSULE ACHAIÆ. Romani universam Græciam in duas provincias distribuerant, Macedoniam et Achaiam: hæc autem complectebatur Græciam proprie dictam et Peloponnesum. Ea autem tempestate, Achaia erat provincia senatus (non Cæsaris), ideoque *Proconsules* eo mittebantur: mira ubique Lucæ accuratio!

13. QUIA (*recitativum*) CONTRA LEGEM etc. Lucas, semper brevitatis amans, accusationem summatim tantum refert, ut ex Gallionis responso (v. 15) colligitur.

14 et seq. SI ESSET INIQUUM ALIQUID, *si injuria esset illata*... O JUDÆI,

piente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Judæos: Si quidem
esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, o viri Judæi, recte
15 vos sustinerem. * Si vero quæstiones sunt de verbo, et nomini-
bus, et lege vestra, vos ipsi videritis : judex ego horum nolo
16-17 esse. * Et minavit eos a tribunali. * Apprehendentes autem
omnes Sosthenem principem synagogæ, percutiebant eum ante
tribunal: et nihil eorum Gallioni curæ erat.
18 * Paulus vero, cum adhuc sustinuisset dies multos, fratribus
valefaciens navigavit in Syriam (et cum eo Priscilla et Aquila),
qui sibi totonderat in Cenchris caput: habebat enim votum.
19 * Devenitque Ephesum, et illos ibi reliquit. Ipse vero ingressus

---

RECTE VOS SUSTINEREM : *recte*, *κατα λογον*, *secundum rationem officii mei*, patienter vos causam agentes audivissem (*αν ηνεσχομην*); SI VERO, ut ex vestra accusatione patet, QUÆSTIONES SUNT DE VERBO (de religiosa aliqua doctrina), ET NOMINIBUS (pluralis *genericus*, ut cap. XVII, 32, hoc sensu : an Jesus nominandus sit Messias), etc.

16. MINAVIT, *απηλασε*: isti certe respondere voluerunt, atque ideo per lictores seu ministros a tribunali abacti fuerunt.

17. Populus ibi adstans Sosthenem, præcipuum accusationis auctorem, male habuit ; quod quidem demonstrat Paulum multorum animos jam sibi lucratum fuisse.

18. QUI SIBI TOTONDERAT..., *κειραμενος*, ad Paulum potius quam ad Aquilam referendum est: quod significare vult nostra Vulgatæ editio, cum verba *et cum eo... Aquila* inter parenthesim ponat.

Paulus autem caput totondit, vel, ut quidam censent, quia votum Nazaræatus aut simile quoddam fecerat (ergo votum comam nutriendi), et tempus, per quod crinem alere ex voto debuit, nunc exspiraverat; vel probabilius, ut alii tenent, quia voverat sacrificium eucharisticum in Templo Domino offerre, atque 30 diebus antea a vino abstinere et capillos deponere: talem enim apud Judæos exstitisse morem ex Fl. Jos. *De bello Jud.* 2,15,1 novimus.

Non videtur hoc loco intelligendum esse votum Nazaræatus (de quo consule Num. VI; Act. XXI, 23, 24; Luc. I, 15), quum Apostolus capillos abscindere non potuisset, nisi postquam Hierosolymam pervenisset : coram Tabernaculo enim coma radebatur, et flammis sacrificii, quod Nazaræus offerebat, comburebatur : Num. VI, 18.

Cenchreæ, portus Corinthi orientem versus, ad quem appellebant ex Asia advecti.

19. EPHESUM: nunc primum intrat civitatem illam, quam postmodum multa prædicatione excolet (namque mox eo rediens per tres annos in ea manebit: XIX, 1 sq.); ubi devotissimos reperiet discipulos et amicos, simulque acerrimos habebit adversarios (lege orationem Pauli ad sacerdotes

synagogam, disputabat cum Judæis. * Rogantibus autem eis ut 20
ampliori tempore maneret, non consensit, * sed valefaciens, et 21
dicens: Iterum revertar ad vos Deo volente, profectus est ab
Epheso. * Et descendens Cæsaream, ascendit, et salutavit eccle- 22
siam, et descendit Antiochiam.

§ 4. *Tertium iter Pauli evangelicum.* Cap. XVIII, 23-XXI, 16.

I. Apollo Christum strenue prædicat. Labor Pauli apostolicus Ephesi. Cap. XVIII, 23-XIX, 22.

Summarium. Paulus tertium iter apostolicum aggreditur (23). Obiter narratur, Apollo quemdam fidem christianam contra Judæos strenue propugnasse, tum Ephesi, tum Corinthi (24-28). Paulus autem, quum Ephesum venisset, quosdam baptismo

---

Ephesinos Act. XX, 17-38); ad quam, novem circiter annis postea, cum Romæ in carcere erit, scribet *Epistolam*, magna cordis teneritudine atque altis mysticæ theologiæ doctrinis refertam. Postmodum vero, cum jam e vinculis Romanis liberatus fuisset, iterum, ut videtur, Ephesum visitavit; et inde proficiscens, Timotheum Ephesinæ ecclesiæ præfecit episcopum, eidemque duas scripsit Epistolas pro recta gregis gubernatione utilissimas.

20. Non consensit: quare? Quia, ut addit textus *Receptus*, ipsi *omnino necesse erat proximum festum Hierosolymis celebrare*, et certe, tunc hostias, pro solvendo voto in Templo offerre: vide statim notanda v. 22.

21. Revertar: idque fecit haud ita multo post, cap. XIX,1, in tertio itinere apostolico.

22. Ascendit, adhibetur de proficiscentibus Hierosolymam, etiam tum quum nude positum sit, ut Joann. VII, 8, 10; 20. Atque eo sensu certe hic sumendum est, si genuina sint quæ v. 21 in textu *Recepto* leguntur (cum DGH, syr. utr., arab., slav., s. Chrys.), post verbum *dicens*, nempe: *omnino necesse est, ut proximum festum Hierosolymis celebrem.* Sed, quum hæc omittantur in codd. ABE Sin., et verss. vulg., coptica, sahid., æthiopica, armeniaca; quumque præterea apud *Lucam* αναβαινειν de itinere Hierosolymam sine nomine urbis addito nusquam reperiatur: res dubia est. Si non genuina sit hæc lectio, *ascendit* potest significare Paulum, e navi egressum, in urbem Cæsaream ascendisse. Unum tamen est quod lectionem illam textus *Recepti* commendet, facilius explicari quare verba illa prætermissa fuerint (nempe, quia v. 22 non clare dicitur Paulum reipsa Hierosolymam ivisse), quam rationem reddi ob quam adjecta fuerint.

Omnibus attentis in eam valde propendeo opinionem (cum Bisp., *De Wette 3e *Aufl.* 1848, *W. Smith *The N. T. hist.*), Apostolum in isto itinere secundo Hierosolymam petiisse, ubi voto (v. 18) satisfecit, deindeque Antiochiam rediisse. Veri enim simile non est, in tanta narrati itineris brevi-

Joannis tantum initiatos, in fide Christi instituit et baptizat, iisque Spiritum sanctum cum charismatibus ejus largitur (XIX, 1-7). In synagoga per tres menses, dein per biennium in schola Tyranni cujusdam regnum Dei prædicat (8-10), magna faciens miracula (11,12). Quidam Judæi etiam tentant dæmones ejicere, sed ipsimet male habentur (13-16). Res cedit in fidei progressum, adeo ut multi libros suos magicos comburant (17-20). Paulus consilium init abire Jerusalem et inde Romam (21,22).

23 * Et facto ibi aliquanto tempore, profectus est, perambulans
ex ordine Galaticam regionem, et Phrygiam, confirmans omnes
24 discipulos. * Judæus autem quidam, Apollo nomine, Alexan-
drinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum, potens in scrip-
25 turis. * Hic erat edoctus viam Domini : et fervens spiritu loque-
batur, et docebat diligenter ea quæ sunt Jesu, sciens tantum
26 baptisma Joannis. * Hic ergo cœpit fiducialiter agere in synago-
ga. Quem cum audissent Priscilla et Aquila, assumpserunt eum,
27 et diligentius exposuerunt ei viam Domini. * Cum autem vellet

---

tate, notata fuisse non solum adventum in portum Cæsareæ, sed etiam ingressum in ipsam civitatem ; deinde verbum *κατεϐη descendit*, si intelligatur de reditu Cæsarea Antiochiam, valde mirum et improprium est; tandem ratio excogitari nequit, quare Paulus tanta cum festinatione Ephesum relinquere debuisset (v. 20) ut iret Cæsaream, longe ultra Antiochiam sitam, ad quam tamen Antiochiam deinde redire vellet.

23. GALATICAM REGIONEM, in qua Christum jam prædicasse videtur, in secundo suo itinere evangelico, supra XVI, 6. In memoriam revoco quod ibi notavi, ex *Epist. ad Gal.* erui posse quæ ad historiam Pauli Galatis prædicantis pertineant.

24. APOLLO : potius *Apollos*, nam græce est *Απολλως*, nomen contractum ex *Απολλωνιος*, ut habet cod. D. — SCRIPTURIS, in edit. Vaticana a. 1598 cum litera minuscula scribitur, quum tamen v. 28 habeatur majuscula.

25. EDOCTUS, *κατηχημενος*, quod imprimis sign. *edoctus rudimenta.* VIAM DOMINI, *fidem christianam*, in quantum, per Joannis Baptistæ aut ejus discipulorum prædicationem, Jesum Nazarenum esse Messiam Judæis olim promissum, ceteraque doctrinæ Joannis capita, ut baptismi ad pœnitentiam suscepti necessitatem, didicisset : quod colligitur ex XIX, 1-6. FERVENS SPIRITU, *animo*, seu *magno cum ardore.* DILIGENTER : *ακριϐως, accurate.*

26. PRISCILLA præponitur (ABE Sin., Vulg. etc.), ideo certe quod sancta illa matrona præcipuas partes in pleniore Apollo institutione habuerit.

27. EXHORTATI, vel Apollo (ut in Achaiam iret), vel discipulos ad quos scribebant (ut Apollo bene exciperent). Post CREDIDERANT addendum est

ire Achaiam, exhortati fratres scripserunt discipulis ut susciperent
eum. Qui cum venisset, contulit multum his qui crediderant.
* Vehementer enim Judæos revincebat publice, ostendens per 23
Scripturas, esse Christum Jesum.

XIX

* Factum est autem, cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus 1
peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, et inveniret
quosdam discipulos: * dixitque ad eos: Si Spiritum sanctum 2
accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum : Sed neque si
Spiritus sanctus est, audivimus. * Ille vero ait: In quo ergo 3
baptizati estis? Qui dixerunt: In Joannis baptismate. * Dixit 4

---

per gratiam, δια της χαριτος (in omn. cod.), quod ad *contulit multum*, potius quam ad *crediderant* referre oportet.

1. Superioribus partibus, a mari Ægeo remotioribus; intellige *Galatiam* et *Phrygiam*: XVIII, 23. Ephesum venit, ut promissioni suæ (XVIII, 21) staret. Pro pleniore intelligentia hujus pericopæ XIX, 1-XX, 1, in qua Lucas narrat ea quæ spectant ad labores evangelicos Pauli Ephesi, juvabit attente legere non tantum orationem qua Apostolus sacerdotes Ephesinos ultimum monuit (Act. XX, 17 sq.), sed etiam *Epistolam ad Ephesios*, quam e carcere Romano, sex circiter annis post profectum suum ex civitate Epheso, scripsit. Quibus addere decet duas *Epist. ad Timotheum*, quas 7 ferme annis postea (cum e primis vinculis Romanis jam liberatus fuisset) exaravit, et in quibus multa dicit de statu ecclesiæ Ephesinæ, utpote ad Timotheum, hujus ecclesiæ episcopum, loquens, eique normam recti regiminis tradens. Quosdam, sc. fere *duodecim*, v. 7.

2. Credentes (græce part. aor.), postquam christiani facti estis. Scire vult utrum Sacramentum Confirmationis, quocum mirabilia Spiritus sancti charismata initio Ecclesiæ plerumque erant conjuncta, jam acceperint. Viri isti forte erant ex aliqua Palæstinæ parte ubi fides christiana nondum nuntiata fuerat, ubi reperiebantur tantum discipuli Joannis Baptistæ; et verisimile est eos paulo ante Ephesum advenisse: secus enim ab Apollo, Aquila et Priscilla, aliisque christianis hujus civitatis, de Spiritu sancto edocti fuissent.

3. In quo ergo baptizati estis? εις τι, *in quid?* Sunt qui dicant εις cum acc. poni loco εν cum dat.: sed hujusmodi affirmationes plane gratuitas non admittimus: ergo, iis qui e locis difficilibus sese expediunt per hoc quod contendant unam præpositionem pro alia passim usurpari, assentiri minime possumus. Quid autem significet *baptizari in aliquem*, diximus cap. VIII, 16. — Ex eo quod s. Paulus adhibeat vocem *ergo* (quæ concludentis est), merito colligimus Baptismi Sacramentum id temporis collatum fuisse cum expressa mentione Spiritus sancti, non autem in solo nomine Christi.

4. Post voc. Joannes addendum est *quidem*, μεν (EGH, syr. utr., copt., arab., slav., s. Chrys. etc.): istud μεν solitarium est; alterum membrum

autem Paulus: Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum,
dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent,
5 hoc est, in Jesum. * His auditis, baptizati sunt in nomine Domini
6 Jesu. * Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus
sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant.
7 * Erant autem omnes viri fere duodecim.

8 * Introgressus autem synagogam, cum fiducia loquebatur per
9 tres menses, disputans, et suadens de regno Dei. * Cum autem
quidam indurarentur et non crederent, maledicentes viam Do-
mini coram multitudine, discedens ab eis, segregavit discipulos,
quotidie disputans in schola tyranni cujusdam.

---

latet in verbis *hoc est in Jesum;* quasi scriptum fuisset: *Joannes quidem baptizavit* etc., *Jesus vero est venturus ille Messias, in quem volebat Joannes ut crederent.* QUI VENTURUS ESSET POST IPSUM: nam Jesus, etsi jam natus, necdum tamen mundo ostensus et declaratus fuerat.

5. Verba sunt Lucæ, non vero Pauli; quamobrem audiendi non sunt veteres Protestantes (Beza, Calov., Wolf. etc.), qui contenderunt viros istos a discipulis Joannis baptizatos fuisse *in nomen Domini Jesu.* Hanc autem interpretationem plane gratuitam, imo coactam et ridiculam, excogitaverunt isti hæretici, ut baptismum Joannis a Christi Baptismo diversum non fuisse comprobarent (de utriusque baptismi differentia cf. *Comm.* nostr. *s. Matth.*, 3ª ed. p. 160), et inde concluderent in Baptismo aliisque novæ legis Sacramentis nullam inesse sanctificandi efficaciam; ideoque gratiam sacramentalem non conferri iis omnibus qui ea absque obice accipiant; verum Sacramenta nihil aliud esse quam signa quædam exteriora justitiæ per fidem jam acceptæ: quæ nempe fides, aiunt, sola hominem coram Deo justificat. Errorem illum anathematizavit Conc. Trid. sess. VII, *De Bapt.* can. 1; et ead. sess. *De Sacr. in gen.* can. 6 et 8. Igitur particula δε, quæ hoc v. 5 habetur in scriptura Lucæ authentica (omittitur in Vulg.) ακουσαντες δε, non respondet μεν v. 4 (nempe, ut diximus, melior lectio est ibi *Joannes quidem* μεν *baptizavit* etc.); sed μεν illud est *solitarium*, et δε servit ad continuandam narrationem. Secus dicendum foret Joannem baptizasse *in nomen Jesu*, quod nemo umquam, præter Reformatores, docuit; et si ita sit, cur viri v. 3 non responderunt, se *in nomen Jesu* baptizatos esse? cur nihil de Spiritu sancto audierunt?

HIS AUDITIS, et certe multis aliis, quæ Lucas brevitatis ergo prætermittit, BAPTIZATI SUNT.

9. MALEDICENTES, κακολογουντες, *obtrectantes.* VIAM DOMINI: vox *Domini* non legitur in ABDGH etc.: certe glossema est, quod ceteroquin sensum vocis *viam* recte explicat. — TYRANNI: nomen proprium est; atque ideo male scribitur cum litera minuscula in edit. Vulgatæ authentica a. 1598. Iste erat forte *rhetor* ethnicus, qui, ut solebant sophistæ, ædes quasdam magnas

* Hoc autem factum est per biennium, ita ut omnes, qui habi- 10
tabant in Asia, audirent verbum Domini, Judæi atque Gentiles.
* Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: 11
* ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, 12
et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam
egrediebantur.

* Tentaverunt autem quidam et de circumeuntibus Judæis 13
exorcistis, invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen
Domini Jesu, dicentes: Adjuro vos per Jesum, quem Paulus
prædicat. * Erant autem quidam Judæi, Scevæ principis sacer- 14

---

habebat in quibus publice docebat; vel, secundum aliorum conjecturam (propter v. 10 ubi dicuntur etiam *Judæi* accessisse), Rabbinus Judæus cui synagoga privata (*Beth middasch*) erat.

10. BIENNIUM. Si addamus tres menses, de quibus v. 8, et tempus de quo v. 22, habemus circiter tres annos, qui memorantur cap. XX, 31. Initio istius triennii s. Paulus scripsit *Epistolam ad Galatas*, quam hic legisse juvabit, ut Apostoli cogitationes et solicitudines, quæstiones et doctrinæ, quibus eo tempore præsertim intentus erat, cognoscantur. Ex. gr., ibi videmus qua ratione controversiam contra Judæos et Judaizantes, a quibus Ephesi se *suosque discipulos segregabat* (hoc cap. Act. v. 9), instituere soleret, acerrimumque adversus eos certamen iniret. — Ex *Epistolis ad Cor.* videtur concludendum, circa mediam partem istius triennii Paulum brevem visitationem ad Corinthios fecisse, de qua Lucas non loquitur, et post eam Ephesum rediisse, indeque mox scripsisse ad eosdem epistolam quamdam nunc deperditam. De hac autem conjectura videsis *Comm.* nostr. *Epist. Paul.*, 3[m] ed., ad Ep. ad Cor.

OMNES QUI HABITABANT IN ASIA: fortassis intelligitur Provincia Asiæ: tamen in voc. OMNES hyperbole est solemnis pro *multi*. Jam vero, multi Asiani Ephesum confluebant, tum ob mercaturam, tum ob cultum magnæ Dianæ, cf. v. 27. Ephesus deinceps facta est ecclesia quasi *metropolitana*, circum quam et per quam multæ paulatim conditæ fuerunt aliæ ecclesiæ Asiæ-Minoris, eæque florentissimæ (ad plures ex istis verba facit s. Joannes initio Apocalypseos).

12. SUDARIUM, seu linteum quo sudorem faciei detergebant. SEMICINCTIUM (flandrice *voorschoot*, germ. *Schurz*), tegumentum quo opifices anteriores corporis partes cingunt. — Præsens locus, sicut Matth. IX, 20 sq., imprimis valet ad defendendum cultum ss. Reliquiarum: videsis *Comm.* nostr. *s. Matth.* 3[a] ed. p. 446. Cf. etiam Conc. Trid. sess. XXV. — Obiter nota, ægrotos a dæmoniacis disertis verbis distingui; cf. V, 16.

13. De *Judæis exorcistis* mentio fit ap. Matth. XII, 27.

14. Hic versiculus est parenthesis. PRINCIPIS SACERDOTUM, *αρχιερεως*, sine

15 dotum septem filii, qui hoc faciebant. * Respondens autem
spiritus nequam dixit eis: Jesum novi, et Paulum scio: vos
16 autem qui estis? * Et insiliens in eis homo, in quo erat dæmo-
nium pessimum, et dominatus amborum, invaluit contra eos, ita
17 ut nudi et vulnerati effugerent de domo illa. * Hoc autem notum
factum est omnibus Judæis, atque Gentilibus, qui habitabant
Ephesi: et cecidit timor super omnes illos, et magnificabatur
nomen Domini Jesu.
18 * Multique credentium veniebant confitentes, et annunciantes

---

articulo: flandrice *van een' opperpriester;* intelligitur unus ex præfectis 24 ordinum in quos sacerdotes divisi erant. Cf. V, 24.

15. Postquam Lucas v. 14 de agendi ratione septem illorum fratrum *generali modo* locutus fuerat, refert nunc casum quemdam particularem, qui ad duos ex istis pertinebat. JESUM NOVI, eique obediendum esse fateor. VOS AUTEM QUI ESTIS? Vos contemno, ut qui nihil contra me valeatis.

16. DÆMONIUM PESSIMUM: hoc accuratum non est; nam græca verba *το πνευμα το πονηρον* nihil aliud significant quam *spiritus nequam*, ut v. 15. AMBORUM, sc. dæmon subegit duos ex istis Scevæ filiis, qui exorcismum, de quo hic sermo habetur, ambo tentaverant. In textu *Recepto*, loco *αμφοτερων*, *amborum*, habetur *αυτων* *eorum*, cum cod. GH et verss. Sahid., copt., syr.: verum lectio Vulgatæ, quæ reperitur in codd. ABD et in vers. armen. etc., præferenda est: nam facile suspicamur *αμφοτερων* mutatum fuisse in *αυτων*.

18. CONFITENTES ET ANNUNCIANTES ACTUS SUOS. His verbis certo demonstrari nequit existentia et necessitas Confessionis Sacramentalis: quare nec Concilium Tridentinum, nec Catechismus Romanus illum locum, hac in re, adhibuerunt. Secundum sententiam Lorini, Andreæ Vegæ, Estii, Beelen etc., intelligitur publica confessio, quam Judæi et gentiles (de quibus v. 17), qui per responsum dæmonis ad filios Scevæ (v. 15) persuasi, fidem christianam nuper amplexi fuerant, et jam baptizari cupiebant, ex ardenti animi pietate ac fervore sponte faciebant (simile quoddam legimus, Matth. III, 6, de Judæis ad baptismum Joannis venientibus).

Multi autem ex iis ante conversionem suam artes magicas (v. 19) exercuerant. MULTI itaque CREDENTIUM, illi sunt qui ad fidem se converterant (*πεπιστευκοτων*), quique nondum baptizati, veniebant ad cœtum christianorum, et, actus suos malos confitentes, Baptismum suscipiebant. Ergo non agitur de Sacramento Confessionis, quum isti nondum, ut videtur, essent baptizati. Si per *multos credentium* intelligeremus fideles jam baptizatos, difficile esset admittere, inter novellos christianos bene multos fuisse qui post conversionem artes exercuissent diabolicas. Præterea, in hac sententia, undenam, quæso, oriretur illud incrementum numeri fidelium, quod per modum epiphonematis indicatur v. 20?

actus suos. * Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, 19
contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus: et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. * Ita fortiter crescebat verbum Dei, et confirma- 20
batur. * His autem expletis, proposuit Paulus in Spiritu, transita 21
Macedonia et Achaia, ire Jerosolymam, dicens: Quoniam post-

---

19. CURIOSA SECTATI: τα περιεργα πραξαντων, melius: *qui magicas artes exercuerant;* LIBROS suos magicos (τας βιβλους) CONTULERUNT ET COMBUSSERUNT. — ET COMPUTATIS PRETIIS: græce χαι συνεψηφισαν: ergo ipsimet γοητες, qui melius quam alii istorum pretium librorum cognoscebant, pecuniæ summan *computaverunt.* DENARIORUM. Græce non exprimitur, sed mente supplenda est vox δραχμων. *Dragma* æstimatur 70 centesimis nostræ monetæ (cf. *Comm.* nostr. *s. Matth.*, 3ª ed., p. 1540), adeo ut pretium a s. Luca indicatum circiter 35,000 francorum fuerit (secundum Bisp. 42,000 fr.).

20. ITA FORTITER: et certe incredibilem fidei christianæ in illa urbe vim adscribamus oportet, quum tantæ pecuniæ damnum sponte suscipere incolis persuaserit.

21. IN SPIRITU: certum haudquaquam est intelligendum esse *spiritum sanctum* (quod innuit editio Vulgatæ authentica, quum literam majorem in voce *Spiritu* adhibeat): si enim versionem syriacam audiamus, sensus est: *posuit in mente, sibi proposuit.*

TRANSITA MACEDONIA ET ACHAIA. Prius inierat consilium Epheso directe petere Corinthum, urbem Achaiæ principem, inde in Macedoniam pergere, et a Macedonia Corinthum redire, ut ex hac civitate iter Hierosolymam institueret: 2 Cor. I, 15, 16. Nunc jam istud consilium paululum mutat, quum statuat per Macedoniam ire in Achaiam: ratio mutati itineris est quod nolit ad Corinthios in tristitia venire (2 Cor. II, 1), ergo quod eis parcere velit (2 Cor. I, 23); cupit enim ut isti antea sese emendaverint, tum per Epistolam quam statim scribet ad eos (nostram 1m ad Cor.), quum per monita Timothei quem, ut dicemus v. 22, ad eos mittet. Ideo 1 Cor. XVI, 5, iter nuntiat tale quale hic Act. XIX, 21 indicatur. Corinthiis autem notum fecerat prius suum itineris consilium (non *per Timotheum,* ut dixi in *Comm. Ep. Paul.* in ann. ad 2 Cor. I, 15, siquidem alterum itineris consilium jam inierat cum Timotheum misit, ut ex hoc loco Actuum colligitur); et quia animum mutaverat quando ad eos scripsit (1 Cor. XVI, 5), levitatis et inconstantiæ accusatus fuit, ut videmus ex 2 Cor. I, 15 sq.

IRE HIEROSOLYMAM, quo ferre volebat eleemosynas in variis gentilium ecclesiis collectas, cf. infra not. ad v. 22.

OPORTET, indicat ardens ejus desiderium (Rom. I, 9-15); imo vero, et majus quid significare videtur, nempe ipsum interiore Spiritus sancti motu ad hoc impelli et quasi cogi, ut Romam eat, ibique christianis a Petro jam conversis et nascenti ecclesiæ eloquentiæ suæ atque animi

22 quam fuero ibi, oportet me et Romam videre. * Mittens autem in Macedoniam duos ex administrantibus sibi, Timotheum, et Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia.

II. Tumultus adversus Paulum Ephesi excitatur. Cap. XIX, 23-40.

Summarium. Maximus contra Paulum Ephesi movetur tumultus, a Demetrio quodam argentario, qui timebat ne per Evangelii prædicationem quæstus sibi minueretur, excitatus (23-34). Aliquis magistratus, oratione ad multitudinem habita, tumultum compescit (35-40).

23 * Facta est autem illo tempore turbatio non minima de via
24 Domini. * Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens
ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæ-

---

ardentissimi operam conferat. Romam tamen non tam cito vidit quam sperabat, sed nonnisi post 4 annos, quorum duos in carcere transegit; atque in Urbem advenit, non ut viator liber, sed vinculis onustus manuque militari adductus.

22. Duos illos misit ante se, tum ut adventum suum præpararent, quum præsertim ut ordinarent et recte disponerent quæ ad eleemosynas, pro pauperibus Hierosolymæ christianis colligendas, spectarent: 1 Cor. XVI, 1, 2 coll. 2 Cor. VIII, 1 sq. Et, quod Timotheum singulariter attinebat, voluit ut ipse a Macedonia in Achaiam pergeret, discordiasque Corinthi exortas sedare conaretur: 1 Cor. IV, 17; XVI, 10 sq. Quod ut melius intelligatur, notare oportet paulo antea Ephesum advenisse viros quosdam Corinthios *(eos qui erant Chloes*, 1 Cor. I, 11), qui Paulo nuntiarant dissensiones graves, quæ ibi inter christianos ortæ erant. Jam vero, postquam Timotheum et Erastum in Macedoniam miserat, eo tempore quo ipse adhuc remanebat *in Asia*, i. e. Ephesi, scripsit epistolam illam quæ in Bibliis nostris est 1ª ad Corinthios, eamqne directe ad hos misit, adeo quidem ut ante Timotheum eo adventura esset (1 Cor. XVI, 10 sq.). Videsis introd. ad ill. Epist. in *Comm.* nostro *Epist. Paul.* 3ª ed. Utile erit Epistolam illam hic legere, ut mens Apostoli, qualis tunc esset, penetretur. Ex ea discimus ipsum voluisse Ephesi manere usque ad Pentecosten, quia erat ibi ostium apertum et adversarii multi : Cor. XVI, 8 et 9.

In Asia, εν τῃ Ασιᾳ cod. D ; sed vera lectio est εις την Ασιαν : accusativus ille difficile explicatur : *Winer dicit *pro Asia*, ut ibi laborare pergeret ; Beelen autem videt motum in verbo επεσχεν *retinuit se, remansit.*

23. Tumultus ille cum eo qui Philippis accidit (XVI, 16 sq.) multum similitudinis habet, quatenus ab ethnicis, non, ut fere ubique, a Judæis, neque ex causa quadam religiosa (ex *fanatismo*), sed propter rem mundanam et pecuniariam, excitatus fuit.

24. Argentarius : αργυροκοπος : flandrice *zilversmid* (verbum *smeden* sign.

stum: * quos convocans, et eos, qui hujusmodi erant opifices, 25
dixit: Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio: * et 26
videtis, et auditis, quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiæ,
Paulus hic suadens avertit multam turbam, dicens: Quoniam
non sunt dii, qui manibus fiunt. * Non solum autem hæc pericli- 27
tabitur nobis pars in redargutionem venire, sed et magnæ Dianæ
templum in nihilum reputabitur, sed et destrui incipiet majestas
ejus, quam tota Asia, et orbis colit. * His auditis, repleti sunt 28
ira, et exclamaverunt, dicentes: Magna Diana Ephesiorum. * Et 29
impleta est civitas confusione, et impetum fecerunt uno animo
in theatrum: rapto Gaio et Aristarcho, Macedonibus, comitibus

---

proprie *slaan*, et plane respondet verbo κοπτω). ÆDES ARGENTEAS. Intelliguntur, non certe nummi, quibus impressa erat figura templi Dianæ (*nummi* non sunt *ædes*), sed parva templa portatilia, ad exemplar templi Dianæ Ephesinæ affabre facta, quibus parvula Dianæ imago inclusa fuisse videtur. Notum est, templum illud Ephesinum inter septem orbis mirabilia numeratum fuisse. In intimis autem templi penetralibus custodiebatur Dianæ statua, quam cœlitus delapsam credebant: hanc singulari religione colebant Græci, etiam remotissimi. Exteri illi, Ephesum adventantes, thecas istas argenteas, venerationis causa, emebant et secum asportabant: magnus inde Demetrio quæstus.

25. ACQUISITIO: ευπορια, *opulentia*, potius germ. *Wohlstand*; fl. vim pressius exprimerem: *met dat ambacht* (εργασια) *geraken wij wel door* (ευ-πειρω) *de wereld.*

26. PAULUS HIC: ὁ Παυλος, *iste*, cum contemptu. SUADENS, i. e. verbis suis persuasibilibus, AVERTIT, supple, a cultu deorum etc. — NON SUNT DII etc.: ut diximus supra ad XVII, 29, populus indoctus ipsas imagines deos esse, vel saltem numine plenas, credebat.

27. PARS HÆC (gallice *cette branche, cet article*) PERICLITATUR NOBIS IN REDARGUTIONEM, *reprehensionem*, atque adeo in contemptum, VENIRE. — DESTRUI INCIPIET: μελλει καθαιρεισθαι, *mox destruetur, in eo est ut destruatur.* Diana illa non erat soror Apollinis, sed multimammia quædam, eadem ac Isis Ægyptiorum ut videtur. Cf. intr. in ep. ad Eph. § I. — Ergo Demetrius iste suam pecuniæ cupiditatem specie religionis tegit, sicut Philippensis vir causam politicam afferebat (XVI, 21).

28. MAGNA etc.: μεγαλη ἡ Αρτεμις Εφ., gall. *elle est grande la Diane d'Ephèse !*

29. IN THEATRUM. Græci solebant theatris uti vice curiarum, in iisque et consultare et causas agere. *Gaius* vel *Caius*, utpote Macedo, non idem est de quo XX, 4 et Rom. XVI, 23; 1 Cor. 1, 15. *Aristarchus* autem, de quo iterum XX, 4, postea cum Paulo in carcerem conjectus fuit, XXVII, 2; Col. IV, 10; Philem. 24.

30 Pauli. * Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt
31 discipuli. * Quidam autem et de Asiæ principibus, qui erant amici
32 ejus, miserunt ad eum rogantes ne se daret in theatrum : * alii
autem aliud clamabant. Erat enim ecclesia confusa : et plures
33 nesciebant qua ex causa convenissent. * De turba autem detraxe-
runt Alexandrum, propellentibus eum Judæis. Alexander autem
34 manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo. * Quem
ut cognoverunt Judæum esse, vox facta una est omnium, quasi
35 per horas duas clamantium : Magna Diana Ephesiorum. * Et cum
sedasset scriba turbas, dixit : Viri Ephesii, quis enim est homi-
num, qui nesciat Ephesiorum civitatem cultricem esse magnæ
36 Dianæ, Jovisque prolis? * Cum ergo his contradici non possit,
37 oportet vos sedatos esse, et nihil temere agere. * Adduxistis
enim homines istos, neque sacrilegos, neque blasphemantes deam
38 vestram. * Quod si Demetrius, et qui cum eo sunt artifices, habent
adversus aliquem causam, conventus forenses aguntur, et procon-

---

30. Quæ in hoc et sequenti versiculo dicuntur, habenda sunt pro parenthesi: nam descriptio tumultus resumitur v. 32.

31. *Asiæ principes* erant decem viri, qui in Provincia Asiæ publicis ludis sacrisque ceremoniis, in honorem deorum et Imperatoris celebrandis, præficiebantur : viri ex opulentioribus totius regionis eligebantur ad hoc munus, propterea quod ipsi propriis expensis omnia perficere deberent. Quum inter eos Paulus amicos haberet, concludere licet magnam, etiam inter primores et magnates, vim et auctoritatem ab Apostolo jam acquisitam fuisse.

32. ERAT ECCLESIA CONFUSA, *cœtus erat turbatus ;* ET PLURES quidem NESCIEBANT etc., ut fit quando plebs tumultuose concurrit. Pulcherrime describitur res, et coram oculis pingitur.

33. Utrum ALEXANDER ille fuerit christianus necne, dici nequit in tanta narrationis brevitate ; nec magis constat quid voluerit apologia sua, aut quare detractus ac propulsus fuerit. Mens ipsi forte erat Judæos culpa liberare, per hoc quod ostenderet nihil ipsis commune esse cum Pauli doctrinis.

35. SCRIBA : græce cum articulo, flandrice *de stadsschrijver*, civitatis archivarius. Ea ætate ita vocabatur primus magistratus Ephesinæ civitatis, ut patet ex antiquis inscriptionibus. — JOVISQUE PROLIS. Auctor Vulgatæ legit forte διοπαιδος ; sed in omnibus codd. habetur του διοπετους, *a Jove*, e cœlo *delapsæ*, supple αγαλματος. Intellige statuam e cœlo delapsam ; cf. v. 24 : sicut Palladium Trojæ et Romæ ut cœlo delapsum habebatur. Erat autem imago ista e ligno nigro, superne multis mammis, infra animalium figuris contecta.

sules sunt, accusent invicem. * Si quid autem alterius rei quæritis, 39
in legitima ecclesia poterit absolvi. * Nam et periclitamur argui 40
seditionis hodiernæ: cum nullus obnoxius sit (de quo possimus reddere rationem) concursus istius. Et cum hæc dixisset, dimisit ecclesiam.

III. Paulus, cum in Macedoniam Græciamque excucurrisset, jam in Asiam-Minorem redit. Troade Eutychum ad vitam revocat, et mox pergit Miletum. Cap. XX, 1-16.

Summarium. Paulus in Macedoniam, inde in Achaiam proficiscitur (1,2); mox per Philippos rediens, Troadem venit (3-6), ubi, in conventu sacro usque ad mediam noctem protracto, juveni e fenestris delapso vitam restituit (7-12). Iter persecutus, Lucam aliosque comites suos invenit Assi, et cum eis Miletum navigat (13-16).

* Postquam autem cessavit tumultus, vocatis Paulus discipulis, 1
et exhortatus eos, valedixit, et profectus est ut iret in Macedo-

---

38. Proconsules sunt : vis istius pluralis est: semper adest proconsul, tamquam judex ex officio constitutus.

39. Si quid *alterum*, quam rem et utilitatem privatam quæritis, *poterit hoc expediri in legitima concione;* in ea nempe quæ identidem convocatur per quos oportet.

40. Cum nullus etc. : μηδενος αιτιου ὑπαρχοντος : Vulgata sumit in masculino genere; alii vero in neutro, hoc sensu (qui cum oratoris prudentia magis congruit): cum nulla existat causa, propter quam rationem reddere possimus concursus istius tumultuosi. Romani tumultus severissime puniebant : auctores præcipuos capitis pœna, civitates vero universas privilegiorum jurumque etc. abolitione. (Ephesus autem erat *libera civitas,* suos habens populares conventus, v. 30, 33, 39, suumque magistratum proprium, v. 35). Cum populus hoc non ignoraret, statim requievit, et sedato tumultu, omnes, jubente illo magistratu, ad sua redierunt (*dimisit ecclesiam*).

Non possum non notare sollertissimam esse scribæ orationem, a captanda benevolentia exorsam (*exorde par insinuation*), omnia rei capita prudenter tractantem, argumentis solidis pacatisque munitam, ac tandem per excitatum timorem (qui imprimis plebem calentem refrigerare solet) aptissime conclusam.

1. Profectus est, ut videtur, maturius quam antea statuerat (1 Cor. XVI, 8 dicit se manere voluisse usque ad Pentecosten). Profectus autem est pro multo tempore, namque Ephesum non amplius rediit ante carcerem suum Romanum. In fine quidem hujusce itineris tertii haud procul ab ista civitate transiit, sed eam non intravit (XX, 16). Superiores tamen illius Ecclesiæ vidit Mileti, ad eosque verba fecit (XX, 17 sq.).

2 niam. * Cum autem perambulasset partes illas, et exhortatus eos
3 fuisset multo sermone, venit ad Græciam : * ubi cum fecisset
menses tres, factæ sunt illi insidiæ a Judæis navigaturo in
Syriam : habuitque consilium ut reverteretur per Macedoniam.
4 * Comitatus est autem eum Sopater Pyrrhi Berœensis, Thessa-

---

Ivit *per Troadem* (ubi aliquamdiu iter stetit, 2 Cor. II, 12) IN MACEDONIAM. Certe transivit per Philippos, quorum incolis jam antea Evangelium nuntiaverat (XVI, 12-40), ubi multos invenerat homines ad amplectendam fidem promptissimos optimeque erga se animatos, quibuscum deinceps intimam necessitudinem servaverat, a quibus pluries eleemosynas acceperat etc.: hæc enim omnia ex *Ep. ad Philip.*, quæ 6 fere annis post transitum per Macedoniam, de quo Act. hic, exarata fuit, colligere possumus (lege iterum *Ep.* illam *ad Phil.*).

Jam vero, dum in civitate ista aliquamdiu stetit, scripsit, ut videtur, Epistolam 2^m AD CORINTHIOS. Hanc nunc leget, qui Pauli historiam ejusque intimas cogitationes cognoscere cupit. Ex ista Epistola colligimus, Timotheum a missione sua (XIX, 22) jam rediisse (nam cum Paulo nominatur 2 Cor. I, 1). Titus, qui post Timotheum etiam Corinthum ablegatus fuerat, quemque Apostolus Troade reducem habere speraverat (2 Cor. II, 12, 13), nunc reversus fuerat (2 Cor. VII, 6).

2. CUM AUTEM PERAMBULASSET etc. Ergo, aliquamdiu mansit in Macedonia, vel in regione vicina (PARTES ILLAS), quo tempore verisimiliter usque in *Illyricum* Macedoniæ contiguum excucurrit ad prædicandam fidem (Rom. XV, 19). Ex his intelligitur Epistolam 2^m ad Cor., quæ Philippis directe missa fuerat, ante ipsum Corinthum pervenisse. — VENIT AD GRÆCIAM i. e. *Achaiam*, quemadmodum sibi proposuerat XIX, 21 : nempe venit Corinthum, sicut pluries nuntiaverat in Epistolis ad Cor.

3. MENSES TRES, sc. hiemales, ut dixerat 1 Cor. XVI, 6. Circa finem istius trimestris temporis, cum eleemosyna pro pauperibus Jerosolymitanis jam collecta erat etiam in Achaia (Rom. XV, 26), atque Apostolus in eo esset ut (ib. v. 25) eam Hierosolymam ferret (ergo cum esset NAVIGATURUS IN SYRIAM), scripsit celeberrimam ac præclarrissimam EPISTOLAM AD ROMANOS, quam hic legisse haud supervacaneum erit : Paulum enim, quem in Actibus Apostolorum sequimur, non solum agentem et laborantem, sed scribentem etiam et docentem considerare debemus.

IN SYRIAM, certe ut ecclesiam Antiochenam, a qua tamdiu absens fuerat, salutaret, et deinde Hierosolymam peteret. Ceterum, ex Achaia in Judæam ituro obvium erat petere Syriam (et verisimiliter aliter facere vix potuisset).

4. Post EUM addendum est αχρι της Ασιας *usque in Asiam*, sc. Provinciam Asiæ (hæc omittit tantum Vulg. cum B et Sin.). Omnes isti Paulum usque in Asiam, certe usque Miletum, comitati sunt, nisi quod Philippis Troadem ipsum præcesserint, ut nunc dicetur v. 5.

lonicensium vero Aristarchus, et Secundus, et Gaius Derbeus, et
Timotheus: Asiani vero Tychicus, et Trophimus. * Hi cum præ- 5
cessissent, sustinuerunt nos Troade: * nos vero navigavimus post 6
dies Azymorum a Philippis, et venimus ad eos Troadem in diebus
quinque, ubi demorati sumus diebus septem.
* Una autem sabbati cum convenissemus ad frangendum 7
panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum,
protraxitque sermonem usque in mediam noctem. * Erant autem 8

---

5. Hi refertur ad omnes v. præc. nominatos; nulla enim ratio est quare cum *Lachmann punctum post voc. *Timotheus* poneremus. Præcesserunt autem e civitate Philipporum, fortasse ut reliquum iter præpararent, imprimis ut navem Syriam versus navigaturam invenirent. S. Lucas, qui Philippis mansisse videtur (XVI, 40), cum Paulo jam rursum sese conjunxit, ut patet ex pron. nos.

6. Dies Azymorum, erant dies septem (dies Paschatis et sex sequentes; aliquando numerantur *octo:* cf. *Comm.* nostr. *s. Matth.* 3ª ed. p. 908), quibus, secundum legem Moysis, necesse erat manducare panes azymos. Cf. cap. XII, 3 et 4. Philippis: jam tertio eo venit s. Paulus: cf. annot. supra v. 1 datas. Diebus quinque: tamdiu navigarunt, certe ob ventos adversos: supra XVI, 11-13 idem iter fecerant *diebus duobus.*

7. Una sabbati, *prima die hebdomadis*, die illa quam nos *dominicam* vocamus. *Una*, ex hebraismo, ponitur pro *prima*; et *sabbatum* totam hebdomadem designat: cf. Matth. XXVIII, 1; Marc. XVI, 2; Luc. XXIV, 1; 1 Cor. XVI, 2.

Ad frangendum panem, intelligendum videtur de Eucharistiæ celebratione, propter sequentes rationes: 1° ipsa dictio hoc suadet: cf. II, 42. 2° Idem innuit dies dominica, qua christiani sacros conventus agere (1 Cor. XVI, 2) Eucharistiamque sumere solebant, ut testatur s. Justinus (Apol. 1, 67), cujus verba præclarissima legesis apud Ill. Beelen ad h. l. 3° Nihil hic vulgarem cœnam, vel agapas solas, certo indicat; contra, plura sunt quæ cœtum religiosum demonstrant; v. gr., si de convivio tantum profano ageretur, nemo sane fenestræ insideret. 4° De Eucharistia hunc locum explicant versiones syriaca, arabica et æthiopica; ita quoque s. Aug. et Ven. Beda. — Primum hic invenimus vestigium diei Dominici loco sabbati a christianis celebrati: cf. s. Just. l. c. Separatio a Judaismo in dies major fit.

Disputabat: διεγελετο, nihil aliud significat quam *loquebatur.* Cum eis, non cum illis qui supra nominati sunt, sed cum christianis e Troade.

8. Lampades copiosæ, non solum ad depellendas noctis tenebras, sed præsertim ob solemnitatem sacri conventus et celebrationem divinorum Mysteriorum. Scriptores, qui de *Archæologia* sacra disputant, antiquum lampadarum usum in Ecclesia ex hoc v. 8 probare possunt.

9 lampades copiosæ in cœnaculo, ubi eramus congregati. * Sedens
autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, cum
mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno
10 cecidit de tertio cœnaculo deorsum, et sublatus est mortuus. * Ad
quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum: et complexus
11 dixit: Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est. * Ascendens
autem, frangensque panem, et gustans, satisque allocutus usque
12 in lucem, sic profectus est. * Adduxerunt autem puerum viven-
tem, et consolati sunt non minime.
13 * Nos autem ascendentes navem, navigavimus in Asson, inde
susceptuti Paulum: sic enim disposuerat ipse per terram iter

---

9. SUPER FENESTRAM: flandrice *op de vensterbank.* — DE TERTIO COENACULO: απο του τριστεγου, *de tertia contignatione.* — MORTUUS, et vere quidem mortuus erat; secus Lucas scripsisset ὡς νεκρος, *quasi mortuus*; dein v. 10 Paulus dixisset: *Anima ipsius in ipso* ADHUC *est;* tandem, si miraculum non fuisset, quare historia hic inserta fuisset?

10. INCUBUIT SUPER EUM, non ut exploraret utrum juvenis adhuc viveret, sed ut actu illo symbolico mortuum ad vitam revocaret, ad imitationem illius quod de prophetis Veteris Testamenti legitur: cf. 3 Reg. XVII, 21; 4 Reg. IV, 34. — ANIMA IPSIUS IN IPSO EST. Non sunt verba asserentis rem ita se habere (non dicit: *adhuc* in ipso est), sed operantis id quod affirmat, adeo ut simul ac ea protulit vita juveni restituta fuerit. Eodem modo operans fuit sermo Christi, quum ministro regio (*regulo*) dixit: *Vade, filius tuus vivit,* Joann. IV, 50.

11. FRANGENS PANEM: tunc videtur Sacramentum confecisse. ASCENDENS, FRANGENS, GUSTANS: in gr. part. aor.; ergo melius: *postquam ascendisset,* et *panem fregisset* (ss. Eucharistiam consecrasset et distribuisset), deindeque *gustasset* (γευσαμενος), potius *cibum sumpsisset,* i. e. cum omnibus ibi præsentibus *agapen* fecisset,... SIC PROFECTUS EST. Istud autem caritatis convivium tunc celebratum etiam fuit propter discessum Apostoli (*repas d'adieu*), et Paulus inter illud omnes adhortari et docere perrexit, et SATIS quidem, gr. εφ' ἱκανον (χρονον), *diu,* USQUE IN LUCEM, *ad diluculum.* SIC, illis omnibus peractis, PROFECTUS EST.

13. ASCENDENTES. Vulgata videtur legisse εμβαντες, sed omnes fere codices habent προελθοντες επι το πλοιον : ipsi præcesserunt, et itinere maritimo ante Paulum profecti sunt. — *Assus* portus erat Mysiæ, contra insulam Lesbum, parum a Troade distans. PER TERRAM, quia iter brevius erat (vide tabul. geogr.), atque ita diutius cum christianis loqui poterat: præmisit autem comites suos, ut per mare peterent Assum, et ibi navis Paulum exspectaret, si ipse eo nondum advenisset. Nota navem illam, qua litora Asiæ-Minoris legenda erant, Syriam versus, usque Pataram (XXI, 1), fuisse ad usum Apostoli (ut patet ex v. 16): certe contractum cum nauclero fecerant

facturus. * Cum autem convenisset nos in Asson, assumpto eo, 14
venimus Mitylenen. * Et inde navigantes, sequenti die venimus 15
contra Chium, et alia applicuimus Samum, et sequenti die venimus Miletum. * Proposuerat enim Paulus transnavigare Ephesum, 16
ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Jerosolymis.

IV. Paulus præclara oratione monet superiores ecclesiæ Ephesinæ, eosque valere jubet. Cap. XX, 17-38.

Summarium. Paulus, cum Miletum advenisset, episcopos et presbyteros Ephesinos ad se convocat (17), eosque pie et amanter valere jubet, in oratione qua eos ad munus pastorale fideliter vigilanterque obeundum adhortatur. Hæc autem oratio in duplicem partem dividi potest, quarum prior (18-27) ad ipsum Paulum refertur, posterior vero (28-35) ad auditores. In priore parte scopum suum paræneticum *indirecte* persequitur, cum 1° sollicitudinem suam apostolicam erga eos in memoriam revocat (18-21); 2° prædicit fore ut gravissima mala propter fidei prædicationem sibi accidant, atque ita se in exemplum constantiæ eis tacite proponit (22-24). Deinde vim addit adhortationi suæ, cum nuntiat eos numquam amplius visuros esse faciem suam (25); tandem hanc partem concludit, affirmando se officio suo inter eos plane satisfecisse (26,27). In altera autem parte, vigilantiæ pastoralis causas et rationes eis *directe* suggerit : 1° eos ad id munus consecratos fuisse (28); 2° venturos esse falsos doctores (29), 3° et quidem ex ipsorummet ordine, ideoque eo periculosiores (30); 4° si non

---

comites Pauli, qui, ut navem præpararent, ipsum Philippis Troadem præcesserant (v. 5).

15. Samum : post hanc vocem in codd. DGH, in vers. syr. utraq., sahid., arab., slav., apud Chrys., Theoph., Œcum. etc. et in textu *Recepto*, legitur *και μειναντες εν Τρωγυλιῳ, cum mansissemus in Trogylio* (oppidum erat Ephesum inter et Mæandri ostia), i. e. cum noctem ibi transegissemus, sequenti die etc. Verba autem ista omittuntur in ABCE Sin., in vers. vulg., copt., armen., ap. Hier. etc. Ea autem ut genuina admisit * Tisch. in 7[a] ed., Bisp. etc. Ideo forte in cod. plurimis rejecta fuerunt, quod male intelligerentur, quasi Trogylium in insula Samo ponatur.

16. Ut diem etc. Græce : *γενεσθαι εις* cum acc., quia verbum motus supplendum est : ut die Pentecostes adveniret Hierosolymam et ibi festum transigeret. Patet ipsum de nave disposuisse pro nutu.

vigilent pastores, inutilem fore ingentem laborem quem inter ipsos per triennium suscepit (31). Claudit orationem per specialem monitionem, de vitanda, ad sui exemplum, omni venalitate; sed ut hoc monitum libentius accipiatur, eos divinæ gratiæ antea commendat (32-35). Omnes eum valere jubent cum pietate (36), amore (37), et tristitia (38).

17 * A Mileto autem mittens Ephesum, vocavit majores natu
18 Ecclesiæ. * Qui cum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis:
Vos scitis, a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter

---

17. A MILETO MITTENS EPHESUM etc.: istæ civitates inter se distabant saltem itinere unius diei (sc. 40 milliariis); quare eos Trogylium, quod multo propius Ephesum erat, non advocavit? Certe quia ab inimicis suis, qui Ephesi frequentes erant, turbari nolebat, cum mens ei esset ad pastores animarum tranquille verba facere, et coram ipsis sensa cordis intima suo commodo effundere.

MAJORES NATU, *πρεσβυτέρους, seniores, presbyteros* ECCLESIE, sc. Ephesinæ. Eosdem alloquitur Paulus v. 28, his verbis: *Vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Inde nascitur quæstio, utrum, in primitiva Ecclesia, tempore s. Pauli, nullum esset discrimen episcopos inter et presbyteros; numquid forte episcopi nondum essent presbyteris superiores. Ad nos quidem spectat hæc quæstio, in quantum ab ea pendet interpretatio illorum novi Testamenti locorum, in quibus mentio fit de *episcopis* et de *presbyteris;* cetera vero ad Theol. Dogm. mittimus. Vide dissertationem 7ᵐ ad calcem hujus libri.

18. In oratione, qua s. Paulus illos Ecclesiæ ministros valere jubet, mirum cordis affectum ostendit; quum contra, in concione ad Athenienses sublime mentis ingenium declaravit. Loquitur nunc tamquam pater amantissimus, qui, morti proximus, ultimis verbis filios suos ad morum honestatem fidelemque in bono perseverantiam, enixe adhortatur, eas omnes proponens rationes, quas novit magis aptas esse ad commovendum illorum animum. Inde fit ut de se ipse pluries loquatur, suique ipsius adducat exemplum. Finis autem ejus est, episcopos et presbyteros ecclesiæ Ephesinæ exhortari ad fideliter obeundum ministerium sacrum, seu munus pastorale ipsis demandatum. Absque exordio, materiam statim aggreditur: mentem in præteritum convertens, eis in memoriam revocat quanta apud eos fecerit; hoc ductus consilio, 1° ut gratum animum in eis excitet, et 2° ut eos exemplo suo ad sanctum simul stimulet ardorem. Duplex igitur argumentum ex rebus præteritis deducit. Accuratiorem hujusce orationis intelligentiam consequemur, atque mira Apostoli sensa perfectius penetrabimus, si hic legamus *Epistolam ad Ephesios,* quinque ferme annis postea scriptam.

VOS SCITIS. Auditorum invocat testimonium, ut, cum propriam exponit laudem, eos non offendat. Vos, initio propositionis: vos, apud quos per

vobiscum per omne tempus fuerim, * serviens Domino cum omni 19
humilitate, et lacrymis, et tentationibus, quæ mihi acciderunt
ex insidiis Judæorum: * quomodo nihil subtraxerim utilium, 20
quominus annunciarem vobis, et docerem vos publice, et per
domos, * testificans Judæis, atque Gentilibus in Deum pœniten- 21
tiam, et fidem in Dominum nostrum, Jesum Christum. * Et nunc 22
ecce alligatus ego spiritu, vado in Jerusalem, quæ in ea ventura
sint mihi, ignorans: * nisi quod Spiritus sanctus per omnes 23
civitates mihi protestatur, dicens quoniam vincula et tribula-
tiones Jerosolymis me manent. * Sed nihil horum vereor : nec 24
facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consum-

---

triennium laboravi, melius scitis quam alii quivis, QUALITER etc. A PRIMA DIE, referendum est, non ad *vos scitis*, sed ad *qualiter fuerim:* habetur igitur quædam verborum trajectio.

Ex eo quod Paulus propriam laudem tantopere persequi videatur, recentiores quidam auctores orationem universam reprehenderunt: immerito tamen, quum hinc quidem Apostolus talia sæpenumero dixerit (2 Cor. I, 12; XI, 1 sq.; Phil. III, 17 etc.), illinc vero id ex inani gloria non fecerit, sed in eum tantum finem, ut exemplo suo sacerdotes istos officia muneris sacri clarius fortiusque doceret. Præterea notandum quis, et ad quos, et in quibus rerum adjunctis, loquatur : pater ad filios carissimos ultimum (ut putabat) in vita sua mortali.

19. SERVIENS DOMINO, apostolatus officio fungens. CUM OMNI (*omni* pro *summa*, ut sæpe in novo Testamento) HUMILITATE *ταπεινοφροσυνη* (non autem *ταπεινωσις*, ut Luc. I, 48) : intelligitur virtus *humilitatis;* flandrice : *met alle mogelijke ootmoedigheid.* Ita perfecit quod Christus, Luc. XXII, 26, injunxit, cum ait : *Qui major est in vobis, fiat sicut minor* etc. Et quando præteritam animi demissionem memorat, suspicionem arrogantiæ a præsenti sermone depellit. ET LACRYMIS, ex tenerrima sollicitudine pastorali : cf. 2 Cor. II, 4; Rom. IX, 2.

22. Futurum jam intuetur, spiritu prophetico afflatus, et inde secundum petit argumentum quo eos confirmet. Duas rursum rationes continet hoc argumentum : et miserationis, et imitationis. ALLIGATUS SPIRITU (*spiritu*, cum litera minuscula), mente constrictus seu coactus, firmo proposito intus quasi vinculatus : gallice *lié par la résolution que j'ai prise.*

23. PROTESTATUR, testatur per os prophetarum ibi commorantium. Sensus est : in singulis civitatibus, per quas transeo, christiani, qui vaticinationis dono fruuntur, mihi prædicunt QUONIAM VINCULA etc. Ita multi : alii tamen ponunt interiores Spiritus santi monitiones ab ipso Paulo acceptas fuisse ; cui favet *κατα πολιν* : mirum esset si ubique adfuissent prophetæ.

24. NEC FACIO (non duco) ANIMAM MEAM (vitam corporalem) PRETIOSIOREM QUAM ME, quam me totum, quam animum immortalem seu salutem æternam;

mem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi a Domino
25 Jesu, testificari Evangelium gratiæ Dei. * Et nunc ecce ego scio
quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos
26 transivi prædicans regnum Dei. * Quapropter contestor vos
27 hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium. * Non
enim subterfugi, quominus annunciarem omne consilium Dei

---

aliis verbis : pereat corpus, modo ipse salvus fiam. In textu Recepto: *sed nullius* (rei) *rationem facio* (i. e. habeo), *neque habeo animam meam pretiosam* (seu caram) *mihimetipsi, ut* etc.; i. e. omnia contemno pericula, imo ipsam sperno vitam, ut cursum meum perficiam. In codd. autem BCD* et Sinait. sic legitur : *sed nulla ratione facio animam pretiosam mihimetipsi, ut perficiam* etc., i. e. vitam prorsus contemno, ut perficiam cursum meum. Pulcherrima sane, et heroica, Pauli sensa! — ET MINISTERIUM. *Et* particula exegetica est, quæ sign. *hoc est ministerium* etc.

25. AMPLIUS NON VIDEBITIS FACIEM MEAM : verba illa tristissima, quæ tanta cum arte interponit Apostolus, maximum quemdam in omnium animis affectum sane excitaverunt, omniumque corda vehementi angore profligaverunt (cf. v. 38), quemadmodum animum filiorum scindunt ultima patris morientis monita. Illud autem addit, non ut aliud fidelitatis incitamentum suggerat, sed ut rationes jam propositas et mox proponendas, totamque adhortationem ipsorum mentibus altius infigat.

SCIO. Verbum *scio* nonnisi firmam plenamque Pauli persuasionem hic indicat. Ipse enim humanam tantum fallibilemque ea de re certitudinem habebat, quum Spiritus sanctus hoc solum ei revelasset, vincula et tribulationes eum Jerosolymis manere (v. 23). Persuasio autem ista, de morte propinqua, aliquamdiu posthæc, quando Romæ in vinculis erat, et ad Philemonem, qui Colossis habitabat, scribebat, mutata jam fuerat; siquidem dicit (Philem. 22) se sperare fore ut Colossenses iterum videat; ideoque in Asiam-Minorem redeat. Illud ipsum, secundum probabiliorem sententiam, perfecit, postquam e carcere Romano liberatus fuit. Alibi etiam verbum *scio* adhibet de firma animi persuasione, seu de exspectatione quadam moraliter certa, aut de plena fiducia : cf. Philipp. I, 19, 25, coll. II, 17, 24. Ceterum, ex verbis istis concludimus, Lucam hunc *Actorum* librum eo tempore, quo Paulus Romæ primum in vinculis esset, scripsisse : secus animadversionem quamdam hic adjecisset. Vide supra *Intr.* p. 21.

NON VIDEBITIS... OMNES : hebraismus pro *nemo* videbit; cf. supra X, 14. — VOS OMNES PER QUOS TRANSIVI : hæc verba innuere videntur adfuisse episcopos vel sacerdotes e civitatibus Epheso vicinis. Quod et s. Iren. (*Contr. hær.* 3, 14, 2) testatur hisce verbis: "In Mileto convocatis Episcopis et Presbyteris, " qui erant ab Epheso *et a reliquis proximis civitatibus* etc. "

26. MUNDUS A SANGUINE : cf. XVIII, 6. Nihil hoc terribilius, teste s. Chrysostomo ad h. l. Ergo, minister sacer, qui officio suo deest, reus est *sanguinis*, i. e. *cædis :* causa enim est quare morte æterna pereant animæ.

vobis. * Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus 28
sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit

---

28. Incipit altera orationis pars (vide summarium initio hujus capitis), quæ per ουν *igitur* (cod. CEGH, syr. etc.) priori annectitur : *Attendite igitur vobis* etc. Illa autem conjunctio omissa fuit in ABD Sin., Vulg. etc., forte ideo quod v. 28 initium esset lectionis ecclesiasticæ.

Attendite vobis et gregi : duo præcipit, quæ ministri sacri simul persequi debent, salutem propriam et aliorum : attendant primum sibi suæque sanctificationi, ut deinde gregi efficacius provideant.

Regere : ποιμαινειν, quod sign. *pascere cum imperio, regere.* Eodem sensu Christus dixit Petro, Joann. XXI, 17 : *Pasce oves meas.* Pariter 1 Petr. V, 2 *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei;* Matth. II, 6 *Regat* (ποιμαινει) *populum meum.* Antiquitus *reges* dicebantur *pastores* populorum, ποιμενες λαων, ut sæpius ait Homerus, v. gr. Illiad. I, 263. Cf. intr. nostr. in ep. s. Pauli *pastorales*, § 1. Itaque, vox illa *pascere* indicat auctoritatem, quam habent episcopi, regendi et gubernandi, cum potestate jurisdictionis immediata et ordinaria, diœcesim seu partem quamdam Ecclesiæ universæ ipsis a Romano Pontifice demandatam. Hæc autem auctoritas episcopis, per summum Pontificem rite constitutis, competit jure divino *(Spiritus s. posuit episcopos regere Ecclesiam)*, sive *immediate* a Spiritu s., nempe quod attinet ipsam potestatem, i. e. in *actu primo* (ut aiunt); sive *mediante* Romano Pontifice, sc. quod spectat ad exercitium potestatis, i. e. in *actu secundo* : saltem sub regimine Summi Pontificis, ad quem pertinet personas designare et ecclesias partiri.

Ecclesiam Dei, quam acquisivit, nempe *Deus*, sanguine suo; unde concludimus eum, qui sanguinem suum pro Ecclesia fudit (sc. Christum), esse Deum. Argumentum ex hoc loco deductum ad probandam Christi divinitatem maximum quidem habet robur, non tamen omnino certum atque ineluctabile dici potest. Lectio enim Vulgatæ extra omne dubium non est; quamvis gravissimos habeat testes, quum in codd. B et Sinait., in vers. syr. philox., et apud Patres nonnullos reperiatur. Legitur autem Κυριου *Domini*, loco Θεου, in codd. AC*DE, et in verss. copt., sahid., syr. phil. mg., armen., in Constit., apud Eus., Iren., Hier., Aug., etc.; quam quidem lectionem adoptavit Tisch. in 7ª ed. Deinde legitur Κυριου και Θεου in C***GH, slavon., georg., etc. Inter Patres, dubii sunt Athan., Chrysos., et Theophyl. Quod spectat autem ad argumenta interiora, animadvertere oportet, verba *Ecclesia Dei* undecies, *Ecclesia Christi* semel, sed *Ecclesia Domini* nusquam apud s. Paulum occurrere. Novum inde robur accedit lectioni Vulgatæ; adeo quidem ut, omnibus rite perpensis, eam ut longe probabiliorem amplectamur, et amplectendam censeamus.

Acquisivit : pretio sanguinis sui eam tamquam sponsam suam emit. Tacite respicere videtur ad consuetudinem Hebræorum, qui pecuniæ summa, vel alio pretio, uxores sibi comparabant. Verum, petitur quare Apostolus addat hanc sententiam : Ecclesiam, quam regere debent episcopi,

29 sanguine suo. * Ego scio quoniam intrabunt post discessionem
30 meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. * Et ex vobis
ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos
31 post se. * Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per
triennium nocte et die non cessavi, cum lacrymis monens unum-
32 quemque vestrum. * Et nunc commendo vos Deo, et verbo gratiæ
ipsius, qui potens est ædificare, et dare hereditatem in sanctifi-

---

infinito pretio sanguinis Christi fuisse redemptam? Resp. Id addit in eum finem ut pretiosissimam esse ostendat rem ipsis commissam, nec de parvis rebus esse periculum (s. Chrys.).

29 et 30. Eorum autem vigilantiam vehementer sollicitat, quum dicat a/ *lupos* (falsos doctores, cf. Matth. VII, 15; Joann. X, 12) ingressuros esse, et b/ lupos quidem *rapaces* (*βαρεῖς, graves, sævos*); c/ *post discessionem ejus*, adeoque quando ipse non adest, neque eis auxiliari valet; tandem d/ viros istos metuendos, qui sub imagine luporum rapacium describuntur, orituros esse *e medio ipsorum*; igitur hostes fore domesticos, omnium pessimos, bellumque civile, omnium gravissimum. Hæc autem prævisio Apostolum minime fefellit; namque Judaizantes, ut ex Ep. ad Col. II, 8 sq. etc. videmus, haud diu post Pauli discessum ecclesias Asiæ-Minoris erroribus suis perturbarunt; eodem circiter tempore exorti sunt alii pseudodoctores, qui sectæ Gnosticorum proluserunt, quique multos a sana doctrina abduxerunt (1 Tim. IV, 1 sq.).

31. Triennium circiter: cf. XIX, 10. Notat s. Chrys. mirabilem Pauli charitatem et vigilantiam resplenduisse in his tribus: eum *nocte et die* (*nox* præponitur, tum quia rem notat difficiliorem, tum propter verbum *vigilate*), imo *cum lacrymis*, et non tantum omnes generatim, sed *unumquemque* eorum, monere non cessasse: sciebat enim pro salute etiam unius animæ omnia esse facienda.

32. Et nunc etc.: hæc indicare videntur perorationem jam secuturam esse. Sequitur revera; sed Apostolus novam adhortationis materiam in ea intermiscuit; quam cum maximi duceret momenti, ad finem reservavit, ut altius imprimeretur animis: videlicet in sacro ministerio, et munere pastorali, vitandam esse omnem avaritiam et cupiditatem. Et merito quidem monito illi specialem vim tradere voluit, quum per istud sacerdotum vitium multa magnaque religioni inferantur damna.

Commendo vos Deo. Mirare Apostoli solertiam, qui, rem dicturus plus minusve ingratam, auditorum benevolentiam prius captat; præterea, quum ipse non possit eos amplius ducere, Deo, pastori supremo, eos apte commendat. Ultima ejus verba, a v. 28 *Attendite vobis* etc., ad episcopos proprie dictos referenda sunt, si, ut decet, secundum totam vim, quæ iis inest, intelligantur: deinceps vero, a v. 32 sq., ad omnes Ecclesiæ ministros, quotquot ibi præsentes essent, non ad solos episcopos, directe et proxime pertinere videntur. Et verbo gratiæ ejus: secundum s. Chrysostomum,

catis omnibus. * Argentum et aurum aut vestem nullius concu- 33
pivi, sicut * ipsi scitis: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, et 34
his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. * Omnia ostendi 35
vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos, ac
meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit: Beatius est
magis dare, quam accipere.

---

nihil aliud hoc significat quam *et gratiæ ejus*, adeo ut *verbum* per pleonasmum additum sit. Alii sensu magis obvio intelligunt *Evangelium*, per quod Dei gratia et veritas hominibus dispensantur.

QUI POTENS EST ÆDIFICARE (οικοδομησαι in cod. ABCDE), supple *vos*; sensus est: qui per gratiam suam potens est vos spiritualiter ædificare; vel secundum vim alius lectionis (GH), εποικοδομησαι *(superædificare)*, ædificium vestræ salutis perficere (*ædificare*, sign. hic *ædificium exstruere*, flandrice *opbouwen)*. Apostolus, inquit s. Chrys., dicit *superædificare*, ostendens ipsos jam ædificatos fuisse. ET DARE vobis, in bono perseverantibus, HEREDITATEM cœlestis patriæ, IN SANCTIFICATIS OMNIBUS, inter ceteros sanctos.

33. ARGENTUM, ET (quod magis est) AURUM, AUT VESTEM (quidem) NULLIUS CONCUPIVI: non dixit *accepi*, ne videretur ipsorum accusatio esse, sed *concupivi* (s. Chrys.). Vestes apud Orientales olim inter divitias numerabantur: Is. III, 7 *Vestimentum tibi est, princeps noster esto.*

34. HIS QUI MECUM SUNT: ergo Paulus non solum sibi, sed sociis etiam suis, labore manuum providebat. MANUS ISTÆ: vim nota pron. *istæ*: suas extendit et ostendit manus.

35. SUSCIPERE: αντιλαμβανεσθαι, manum adjutricem porrigere atque ita *sustinere* lapsantem; impedire ne debiles in fide scandalizentur, i. e. ne pedibus in offendiculum impingant et cadant. INFIRMOS: non, ut vult s. Chrys., corpore infirmos, homines pauperes et miseros, sed infirmos *fide* (Rom. XIV, 1 sq.) et *conscientia* (1 Cor. VIII, 9; IX, 22), tales qui, si sumptu gravarentur, facile suspicari possent sacerdotem quæstus causa evangelizare, unde a religione christiana averterentur: cf. 1 Cor. IX, 12, 18; 2 Cor. XII, 14. Merito animadvertit *Corn. a Lapide* verba illa s. Pauli concionatoribus sacris et confessariis constanter ob oculos habenda esse.

VERBI DOMINI JESU. Auctoritatem Jesu invocat, ne, quum sæpius de se ipse locutus sit, quis putet quidquam vanæ gloriæ in eo latere. Effatum illud Christi in sacris Libris nusquam legitur; quare dicendum est id Apostolo ex traditione innotuisse.

BEATIUS EST MAGIS: græce *beatum est magis*, i. e. beatius (absque *magis*) DARE QUAM ACCIPERE. Sententia hæc pro subjecta materia significat: beatius est spiritualia dare, seu evangelium gratis prædicare, quam accipere quidpiam pro isto opere. Potest etiam ad sensum generalem extendi seu accommodari (sed, quod bene notandum, hoc non sibi vult Apostolus): beatius est

36 * Et cum hæc dixisset, positis genibus suis oravit cum omni-
37 bus illis. * Magnus autem fletus factus est omnium : et procum-
38 bentes super collum Pauli, osculabantur eum, * dolentes
maxime in verbo, quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus
non essent visuri. Et deducebant eum ad navem.

V. Paulus pergit Jerusalem, vinculis obviam. Cap. XXI, 1-16.

Summarium. Navigat Tyrum (1-3), et post aliquam moram (4-6), Ptolemaidem (7). Inde proficiscitur Cæsaream, ubi Agabus

---

dare quam accipere bona temporalia; atque illud quidem axioma sequentibus confirmatur rationibus. 1° Abundantiæ est dare, accipere vero necessitatis; 2° rem temporalem largiri sæpe est actus virtutis; contra, eam recipere haud raro adjunctum habet motum cupiditatis; 3° qui dat, obligat; qui autem accipit beneficium, libertatem vendit; 4° qui tribuit temporalia, spiritualia a Deo recipit, nempe gratiam et gloriam etc.

Ex Apostoli verbis quatuor colligimus argumenta, quibus demonstretur lucri studium et avaritiam a ministro sacro diligenter vitanda esse : 1m est auctoritas Christi Domini; 2m doctrina s. Pauli; 3m mali istius vitii effectus (per istud enim scandalizantur infirmi); 4m tandem optima liberalitatis et beneficentiæ vis atque efficientia (*beatius est* etc.). Aliis verbis, ad vitandam avaritiam impellere debent: 1° auctoritas tum Christi, 2° quum apostoli Pauli; 3° amor tum proximi, 4° quum sui ipsius seu proprium nostrum commodum. Forsitan latet et 5a ratio in nexu tacito hujus monitionis cum v. 32; hoc modo: ut in virtutibus perseveretis, atque ita hereditatem cœlestem accipiatis, a cupiditate abstinete. Si ponamus connexionem istam in mente Pauli revera exstitisse, argumentum quintum esset: cupiditatem maximum esse salutis obstaculum.

36. S. Lucas cum magna verborum vi et cum gratia sermonis nativa istam separationem describit, seu potius pingit eam coram oculis. Notat tria præsertim sensa, quibus commoti erant fideles cum Paulum, patrem suum amantissimum, valere juberent: 1° *pietatem*, utpote qui positis genibus sanctas Deo offerant preces; 2° *amorem*, quem osculo ostendunt; et 3° *dolorem*, quem fletu indicant.

In illa oratione s. Paulus demonstrat se munere apostolico perfectissime functum fuisse: hac occasione, omnes ferme enumerat virtutes et dotes, quibus exornari debet labor sacer animarum ministerio impensus. Videtur igitur omnes Christi sacerdotes tacite compellare his verbis (1 Cor. XI, 1, cf. Phil. III, 17) : *Imitatores mei estote sicut et ego Christi*, simulque normam tradere perfectam, quam sequi debeant omnes ii qui in hominum salute procuranda elaborant. Non inutile erit monita illa apostolica *analytice* exponere, ut hoc exemplo discamus quantæ sacræ doctrinæ divitiæ in Scriptura absconditæ sint, modo quis velit eam paulo altius scrutari, atque attentione pia meditari. Vide Dissertationem 8m, ad finem hujus libri.

ei vincula Jerosolymis obventura prædicit (8-11); illuc tamen pergit contra omnium consilium (12-16).

* Cum autem factum esset ut navigaremus abstracti ab eis, 1
recto cursu venimus Coum, et sequenti die Rhodum, et inde
Pataram. * Et cum invenissemus navem transfretantem in Phœ- 2
nicen, ascendentes navigavimus. * Cum apparuissemus autem 3
Cypro, relinquentes eam ad sinistram, navigavimus in Syriam, et
venimus Tyrum: ibi enim navis expositura erat onus. * Inventis 4
autem discipulis, mansimus ibi diebus septem: qui Paulo dice-
bant per Spiritum ne ascenderet Jerosolymam. * Et expletis 5
diebus profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum uxoribus
et filiis usque foras civitatem: et positis genibus in littore,
oravimus. * Et cum valefecissemus invicem, ascendimus navem: 6

---

1. Abstracti : αποσπασθεντας (aoristus passivus cum notione reflexa verbi medii), *postquam abstraxissemus nos ab eis:* quod quidem verbum vim indicat pugnamque interiorem, quam passus est Paulus quando Ephesinos sacerdotes reliquit. Recto cursu, litoris anfractus vitantes, quia festinantes erant: cf. XX, 16.

2. Invenissemus etc. Navis, qua hactenus usi fuerant, vel Pataræ cursum sistebat, vel secundum litora Lyciæ, Pamphyliæ et Ciliciæ Antiochiam petitura erat: sed contigit ut, cum Paulus Pataram appulisset, inveniretur ibi navis, quæ in eo erat ut directe Tyrum iret: hanc occasionem arripuit Apostolus, ut citius Hierosolymam adveniret (festinare enim debebat, XIX, 16); atque adeo renuntiavit desiderio quod habuerat (de quo XX, 3) visendi Antiochiam Syriæ. — Navem transfretantem. Participium præsens vim habet specialem: navem *jam jam transituram* in Phœniciam: cf. Beelen, *Gramm. græc. n. T.* § 46, 5. — Ascendentes, supple *navem.*

3. Apparuissemus Cypro, cum apparuisset nobis Cyprus; flandrice *toen wij Cyprus gewaar wierden, of in het gezicht hadden.* Græce construitur verbum passivum cum accusativo rei; cf. Beelen, *Gramm. græc.* § 40, 1. — Ibi: εκεισε, *illuc,* non *illic,* quia verbum motus mente reticetur. Sic præpos. εις cum accusativo a verbo quietis quandoque pendet, propterea quod simul cogitetur verbum motus: cf. supra XX, 16.

4. Inventis discipulis: olim jam fides ibi nuntiata fuerat (XI, 19; XV, 3); sed fidelium numerus parvus erat habita ratione incolarum; ideo oportebat eos quærere et *invenire.* Per Spiritum dicebant Paulum passurum esse persecutiones (cf. XX, 23), sed non *per Spiritum sanctum* eum ab itinere dehortabantur, secus Apostolus eorum monitis procul dubio obtemperasset.

5. Et expletis etc. Loco *et* græce est δε, quod sign. *attamen, nihilominus:* flandrice *doch.* Omnibus cum uxoribus etc.: inde videmus quantopere Apostolus istorum animos tempore unius hebdomadis sibi lucratus fuisset.

7 illi autem redierunt in sua. * Nos vero navigatione expleta a
Tyro descendimus Ptolemaidem: et salutatis fratibus, mansimus die una apud illos.
8 * Alia autem die profecti, venimus Cæsaream. Et intrantes
domum Philippi Evangelistæ, qui erat unus de septem, mansimus
9 apud eum. * Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetan-
10 tes. * Et cum moraremur per dies aliquot, supervenit quidam a
11 Judæa propheta, nomine Agabus. * Is cum venisset ad nos, tulit
zonam Pauli: et alligans sibi pedes et manus, dixit: Hæc dicit
Spiritus sanctus: Virum, cujus est zona hæc, sic alligabunt in
12 Jerusalem Judæi, et tradent in manus Gentium. * Quod cum
audissemus, rogabamus nos, et qui loci illius erant, ne ascenderet
13 Jerosolymam. * Tunc respondit Paulus, et dixit: Quid facitis
flentes, et affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari,
sed et mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini
14 Jesu. * Et cum ei suadere non possemus, quievimus dicentes:
Domini voluntas fiat.

---

7. Navigatione expleta: quamvis adhibeatur aoristus, designatur factum quod spectat ad idem tempus ad quod refertur *descendimus Ptolemaidem*, quasi scriptum fuisset: *navigationem explentes descendimus* etc.; adeo quidem ut de eodem facto dictum sit: *explevimus navigationem*, et *a Tyro descendimus Ptolemaidem*. Eadem est vis aoristi Act. I, 24.

8. Venimus Cæsaream terrestri itinere: etenim, ut ex versu præcedenti colligitur, Ptolemaide absoluta fuit navigatio. — Evangelistæ: ita vocatur qui munere fungitur *Evangelium* seu fidem christianam prædicandi; cf. Eph. IV, 11; 2 Tim. IV, 5 *opus fac Evangelistæ*. — Unus de septem Diaconis, cf. VI, 5; idem ille qui in Samaria et alibi laborem sanctum perfecerat, supra VIII, 5 sq.

9. Virgines: certe quæ virginitatem suam Deo consecraverant. Prophetantes: puta eas Paulo prædixisse pericula ei obventura; secus, quorsum Lucas istud notasset?

10. Dies aliquot: græce constanter habetur *πλειους*, *plures*. — A Judæa: *κατηλθεν τις απο της Ιουδαιας προφητης*, i. e., secundum Beel., descendit quidam propheta *a Judæa oriundus;* magis tamen obvium est dicere cum Bisp.: quidam propheta *descendit a Judæa*. Ceterum intelligitur Judæa stricte dicta; certe Hierosolymis descendit ille. — Agabus, num idem sit de quo XI, 28, ignoramus.

11. More antiquorum Prophetarum, quod prædicit actu exteriore et *symbolico* simul repræsentat. Cf. 3 Reg. XXII, 11; Is. XX, 2; Jerem. XIII, 1; XXVII, 2.

12. Nos: animadverte nunc jam ipsos Pauli comites istud rogare.

13 et 14. Mirabilia sane tum Pauli, quum fidelium sensa, nostræ meditationi et imitationi sæpius proponenda!

* Post dies autem istos præparati, ascendebamus in Jerusalem. 15
* Venerunt autem et ex discipulis a Cæsarea nobiscum, addu- 16
centes secum apud quem hospitaremur Mnasonem quemdam
Cyprium, antiquum discipulum.

§ 5. *Paulus Jerosolymis in carcerem missus.* Cap. XXI,17-XXIII.

I. Paulus in templo comprehenditur. Cap. XXI, 17-40.

Summarium. Paulus Jerosolymis benigne a christianis excipitur (17), quorum obsecutus consilio quatuor Nazaræis se socium adjungit ut Judæis persuadeat se non esse legis Mosaicæ contemptorem (18-26). Isti nihilominus tumultum adversus eum excitant (27-30), adeo quidem ut occisus fuisset, nisi intervenisset tribunus militum (31-35). Dum autem in arcem ducitur, licentiam obtinet loquendi ad populum (36-40).

* Et cum venissemus Jerosolymam, libenter exceperunt nos 17
fratres. * Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad 18

---

15. Præparati ad viam, sarcinis collectis, secundum vim verbi græci επισκευασαμενοι; flandrice *reisveerdig*. Iter certe pedes perficiendum erat, atque ideo specialis quædam præparatio sarcinarumque dispositio nunc requirebatur.

16. Adducentes secum apud quem hospitaremur Mnasonem: αγοντες παρ' ῳ ξενισθωμεν Μνασονι, quod etiam sic verti potest: *ducentes* (nos) *ad Mnasonem, apud quem hospitaremur.* De isto Mnasone nihil aliud novimus.

17. Hierosolymam advenit (5ª vice post conversionem) paulo ante Pentecosten a. 58, secum afferens eleemosynas (XXIV, 17), quas in Galatia, Macedonia et Achaia collegerat (1 Cor. XVI, 1 sq; 2 Cor. VIII et IX). Mens ei erat imprimis ethnico-et judæo-christianos ad perfectiorem adducere unionem ac concordiam. *Epistola* autem *ad Hebræos*, quæ ad Hierosolymorum incolas imprimis scripta videtur, circiter 5 annis post eventus hic a s. Luca narratos (videsis introd. in ill. Epist. in *Comm.* nostro *Epist. Paul.*, 3ª ed.), utiliter hic conferetur; quum multa ex ea colligi possint, quæ statum et conditionem, pericula et vexationes christianorum ea ætate ibi commorantium, penitius nota faciant, atque adeo rationem reddant eorum quæ Paulus Act. XXI, 1 sq. expertus est, aut saltem ea elucident.

18. Jacobum, episcopum Jerosolymorum: XII, 17; XV, 13 sq. Alii certe non aderant apostoli. Seniores, πρεσβυτεροι, sacerdotes utriusque ordinis, tum primi (si essent ibi, præter apostolum Jacobum), quum præsertim secundi.

19 Jacobum, omnesque collecti sunt seniores. * Quos cum salutasset,
narrabat per singula quæ Deus fecisset in Gentibus per ministe-
20 rium ipsius. * At illi cum audissent, magnificabant Deum, dixe-
runtque ei : Vides, frater, quot millia sunt in Judæis qui credide-
21 runt, et omnes æmulatores sunt legis. * Audierunt autem
de te quia discessionem doceas a Moyse eorum, qui per Gentes
sunt, Judæorum : dicens non debere eos circumcidere filios suos,
22 neque secundum consuetudinem ingredi. * Quid ergo est ? utique
oportet convenire multitudinem : audient enim te supervenisse.
23 * Hoc ergo fac quod tibi dicimus : sunt nobis viri quatuor,

---

20. VIDES QUOT MILLIA SUNT IN JUDÆIS: inter Judæos, qui hic habitant, vel propter festos dies Pentecostes huc confluxerunt (hac occasione innumera multitudo urbem implere solebat), plurima sunt millia hominum tibi adversantium. QUOT MILLIA : ποσαι μυριαδες, proprie *quot dena millia* : sed græcum μυριαδες non secus ac latinum *millia*, etiam infinite adhibetur ad ingentem numerum significandum (P. Patr.). LEGIS, sc. Mosaicæ ritualis: hanc magno studio adhuc observant.

21. AUDIERUNT DE TE QUIA DISCESSIONEM (*defectionem*) A MOYSE DOCEAS EORUM QUI PER GENTES SUNT JUDÆORUM (nota genitivum loco accusativi: *eos Judæos qui per gentes sunt* dispersi) : *fama acceperunt* (κατηχηθησαν) *te defectionem a lege Mosaica docere Judæos omnes qui inter gentiles versantur ;* DICENS NON DEBERE EOS CIRCUMCIDERE FILIOS SUOS, λεγων μη περιτεμνειν, supple δειν post λεγων, *dicens eos debere non circumcidere filios suos*, i. e. prohibens ne pueros circumcidant, NEQUE SECUNDUM CONSUETUDINEM INGREDI, *neve secundum ritus legis Mosaicæ vivant.* Igitur, verba Vulgatæ *non debere* significant hic *non posse, licitum non esse* (Luc. XIII, 14 *Sex dies sunt in quibus oportet operari*, in quibus *licet* operari).

Falsa autem illa criminatio erat : docebat quidem Paulus legem Moysis ritualem esse abrogatam, neminemque jam ei adstringi; sed non contendebat eam malam esse atque illicitam, nec vetabat quominus Judæi, si vellent, eam adhuc custodirent, quemadmodum eam gentilibus non imponebat. Ad pleniorem horum intelligentiam, nota tria distinguenda esse tempora. Ante mortem Christi, legalia nondum erant *mortua* seu abrogata; a morte autem Christi usque ad plenam Evangelii promulgationem, erant quidem mortua, quum jam nullus deberet ea observare, non tamen erant *mortifera;* Judæis enim licitum plane erat se eis subjicere, modo spem salutis in eis non ponerent. Tandem, postquam Evangelium satis divulgatum fuit, lex Mosaica ejusque præscriptiones (quæ juris non sunt naturalis) factæ sunt et *mortuæ* et *mortiferæ.* Cf. *s. Thom.* Summ. th. 1ª 2; q. 103; a. 4.

22. QUID ERGO EST? Quid facto opus est?

23. HOC ERGO FAC, ut publice ostendas legem Mosaicam a te haudquaquam

votum habentes super se. * His assumptis, sanctifica te cum 24
illis: et impende in illis ut radant capita: et scient omnes, quia
quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens
legem. * De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, nos scrip- 25
simus judicantes ut abstineant se ab idolis, immolato, et sanguine,
et suffocato, et fornicatione.

---

contemni, minimeque reprehendendos esse Judæos qui ei obediant. VOTUM Nazaræatus temporarii HABENTES SUPER SE, *qui se obstrinxerunt* voto illo: ab aliquo tempore jam susceperant istud onus; namque octo tantum manebant dies ante solutionem, atqui pro 30 saltem diebus votum fieri debebat, ut statim dicemus.

24. SANCTIFICA TE CUM ILLIS. Videtur Paulo suaderi ut votum istorum participet, adeo quidem ut post 7 dies ipse etiam a voto solvatur: sed, aiunt quidam, votum Nazaræatus secundum Talmud (Nasir I, 3) et Jos. B. J. 2, 15, 1, pro 30 saltem diebus fieri debebat, neque erat licitum pro minore temporis spatio vovere; ideo auctores isti opinantur verum Nazaræatus votum a Paulo factum non fuisse, et verbum *sanctifica* alio sensu sumunt: v. gr. Apostolus vovit se tamdiu vino et sicera velle carere, quamdiu illi adhuc abstinere deberent, et simul vovit se pro illis et vice illorum impensas facturum, quæ ad Nazaræatum absolvendum necessariæ essent. Verum, nihil impedit quominus dicamus Paulum voto Nazaræatus se consecrasse pro 30 diebus, atque interim viros illos in voto post 7 dies exsolvendo adjuvisse: vel ponere possumus, licitum fuisse quovis tempore aliorum votum participare (purificatus *cum illis*, v. 26, non Beel., *sicut illi*), ea conditione ut expensæ pro ipsis fierent. Igitur verba *sanctifica te cum illis* sensu obvio intelligimus (αγνισθητι: quod quidem verbum apud 70, v. gr. Num. VI, 3, de Nazaræatu dicitur), scil. te quoque Deo consecra per votum Nazaræatus, istisque quatuor te adjunge.

ET IMPENDE ILLIS UT RADANT CAPITA, suppedita illis (pauperibus) sumptus necessarios, ut possint omnia peragere quæ lege statuta sunt pro solvendo voto, utque igitur liceat eis tondere caput. Nazaræis, præter abstinentiam ab omni potu inebriante et a contagione mortui, comam capitis alere injunctum erat: cf. supra XVIII. 18. Exacto autem voti tempore, victimas tres, agnum, agnam et arietem offerre tenebantur (Num. VI, 13-21): jam vero pauperes in his sumptibus adjuvare, eximiæ erat pietatis specimen, ut ex Fl. Josepho *Ant.* 19, 6, 1, et *Bell. Jud.* 2, 25, 1 colligimus.

25. Hæc forte addiderunt, ut significarent se tamen a decreto concilii Jerosolymitani (XV, 29), septem abhinc annis habiti, neutiquam velle recedere. Post JUDICANTES additur in CDEGH μηδεν τοιουτον τηρειν αυτους ει μη, *nihil tale observare eos* (supple *debere*), *nisi* quæ lectio probabilior est: ista tamen desunt in AB Sin., Vulg., syr., copt. etc.

26 * Tunc Paulus, assumptis viris, postera die purificatus cum
illis intravit in templum, annuncians expletionem dierum purifi-
27 cationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio. * Dum
autem septem dies consummarentur, hi, qui de Asia erant, Judæi,
cum vidissent eum in templo, concitaverunt omnem populum, et
28 injecerunt ei manus clamantes: * Viri Israelitæ, adjuvate: hic est
homo, qui adversus populum, et legem, et locum hunc, omnes
ubique docens, insuper et Gentiles induxit in templum, et violavit
29 sanctum locum istum. * Viderant enim Trophimum Ephesium

---

26. Purificatus cum illis: postquam eodem voto, quod illi fecerant, sese consecraverat, intravit in Templum, et nomine eorum nuntiavit (διαγγελλων) sacerdotibus expletionem dierum *Nazaræatus;* hi autem dies, addit Lucas, tamdiu adhuc currere debebant donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio lege præscripta, scil. per septiduum, ut colligimus ex v. 27. Certe nuntiavit Paulus se post 7 dies venturum esse cum illis ut sumptus ad solutionem voti necessarios faceret: idque in antecessum declaravit, vel ut statuto die omnia essent parata, vel ut quam primum ostenderet Judæis se non esse legis adversarium. Ill. Beelen existimat Paulum sacerdotibus nuntiasse expletos esse dies Nazaræatus sociorum suorum, seque pro illis suppeditaturum sumptus; idque fecisse per plures sequentes dies (sc. singulis vicibus nuntiabat expletum esse tempus Nazaræatus alicujus ex sociis suis, et solvebat pro eo), donec pro unoquoque eorum sacrificium Lege præscriptum oblatum esset. Sed v. 23 innui videtur viris istis quatuor idem fuisse votum, ergo eodem die absolvendum.

27. Dum autem septem dies consummarentur: ὡς δε εμελλον αι επτα ἡμεραι συντελεισθαι *quum autem futurum esset ut septem illi dies finirentur,* i. e. circa finem istius septidui (cave ne vertas cum A Lapide: dum *inciperent* impleri, quasi fuerit primus dies purificationis Pauli). Intelligimus septem dies, quibus viri quatuor in Nazaræatu adhuc manere debebant, quando Paulus istorum votum participavit sacerdotibusque nuntiavit se pro ipsis expensas subiturum. Articulus αι επτα indicat necesse fuisse, vel morem exstitisse, ut istiusmodi declaratio septem dies ante finem voti fieret. Ponimus tunc fuisse 5^{m} diem istius septenarii spatii, et proinde diem 7^{m} postquam Paulus urbem ingressus fuerat. Cf. XXIV, 11. Nota μελλει τι γενεσθαι nonnumquam dici de futuro non admodum proximo (exempla vide plurima apud *Bretschn. *Lex.*), adeo quidem ut illud de die quinto intelligi possit. Hic igitur vis est: *quum futurum esset ut* 7 *dies finirentur,* non autem *quum* 7 *dies in eo essent ut finirentur.* — Judæi, qui ex Asia-Minore et certe præsertim ex Epheso erant, quique Hierosolymam venerant ad solemne Pentecostes celebrandum: quidam igitur ex istis Judæis Pauli inimici olim jam facti fuerant.

29. In Templum, *atrium Israelitarum,* a cujus ingressu gentiles prohibiti erant, et sub pœna quidem mortis. Vide ad III, 2.

in civitate cum ipso, quem æstimaverunt quoniam in templum intro-
duxisset Paulus. * Commotaque est concursio populi. Et appre- 30
hendentes Paulum, trahebant eum extra templum : et statim
clausæ sunt januæ. * Quærentibus autem eum occidere nunciatum 31
est tribuno cohortis: Quia tota confunditur Jerusalem. * Qui 32
statim assumptis militibus, et centurionibus, decurrit ad illos.
Qui cum vidissent tribunum, et milites, cessaverunt percutere
Paulum. * Tunc accedens tribunus apprehendit eum, et jussit 33
eum alligari catenis duabus : et interrogabat quis esset, et quid
fecisset. * Alii autem aliud clamabant in turba. Et cum non 34
posset certum cognoscere præ tumultu, jussit duci eum in castra.
* Et cum venisset ad gradus, contigit ut portaretur a militibus 35
propter vim populi. * Sequebatur enim multitudo populi, cla- 36
mans: Tolle eum. * Et cum cœpisset induci in castra Paulus, 37

---

30. Extra templum : sc. extra *atrium Israelitarum*, in *atrium gentilium* eum propulerunt: in hoc ultimo atrio percutiebant eum, et huc descendit tribunus cum militibus suis Romanis ; namque ex arce Antonia, ubi castra erant, directe in atrium gentilium per gradus (v. 35) descendebatur. Januæ igitur intelliguntur quæ *atrium Israelitarum* (cum connexo atrio mulierum) ab *atrio gentilium* separabant, quas pertransire vetitum erat ethnicis et sub pœna quidem capitis. Legesis descriptionem Templi quam dedi in *Comm. s. Matth.*, 3[a] ed. p. 208-220.

31. Tribuno, nempe Claudio Lysiæ (XXIII, 26), qui in arce Antonia, Templo contigua (*à l'angle Nord-Ouest*, cf. Comm. s. Matth., l. c.), habitabat.

32. Decurrit : currens descendit de arce illa.

33. Jussit eum alligari catenis duabus, certe manibus et pedibus, ita tamen ut incessus ejus non prorsus impeditus esset, v. 34. Interrogabat (nota imperf., pluries rogavit) nempe viros de turba, nunc hos nunc illos, ut fit, compellans.

34. Clamabant : επεφωνουν, respondebant clamando ad eum. Castra stativa *(la caserne)* militum Romanorum, quæ erant in arce Antonia.

35. Ad gradus, quibus a porticu atrii gentilium in arcem 50 cubitis excelsiorem ascendebatur : Jos. *B. J.* 5, 5, 8.

36. Tolle eum, sicut contra Christum olim (29 annis antea) clamaverant Judæi, Luc. XXIII, 18. — Agendi ratio tribuni et plebis melius intelligetur, si notetur Judæos eo tempore ad furorem et ad desperationem adactos fuisse per crudele Felicis, Præsidis Romani, gubernium : anno præcedente (a. 57) summus sacerdos Jonathan in Templo occisus fuerat ; tunc constitutæ fuerant turmæ terribilissimæ *Sicariorum*, quorum 4,000 secuti fuerant Ægyptium illum de quo statim dicemus v. 38.

37. Cum coepisset etc.: μελλων, *cum in eo esset ut* induceretur : ergo, cum

dicit tribuno: Si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit: Græce
38 nosti? * Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum
concitasti, et eduxisti in desertum quatuor millia virorum sica-
39 riorum? * Et dixit ad eum Paulus: Ego homo sum quidem
Judæus a Tarso Ciliciæ, non ignotæ civitatis municeps. Rogo
40 autem te, permitte mihi loqui ad populum. * Et cum ille per-

---

milites eum portantes jam ad summum fere gradum pervenissent. SI LICET: *ει εξεστιν, licetne?* petitio urbana et modesta.

38. NONNE TU ES ÆGYPTIUS? Quum Paulus græce loquatur, suspicatur tribunus eum esse Ægyptium quemdam, qui haud ita pridem seditionem excitaverat: ita Beelen, qui interrogationem *ουκ αρα συ ει* hoc sensu intelligit: *Num forte tu es* etc.? Plures autem alii interpretes, inter quos Bisping et P. Patrizi, sic reddunt: *Igitur tu non es Ægyptius ille?* adeo ut tribunus, ex eo quod Paulus græco sermone utatur, concludat eum non esse Ægyptium illum (ergo notum erat istum græce nescire), quem esse suspicatus fuerat hactenus. Suspicio autem hæc eo magis obvia fuerit, quod Pentecoste esset, quodque viri istiusmodi solerent diebus festis, cum maxima in urbe esset multitudo, turbas et tumultus excitare.

Utut res se habeat, seditiosus ille vir, pauco tempore ante ea quæ narrat hic s. Lucas (ANTE HOS DIES, forte in Paschate ejusdem anni), se prophetam Messiam simulans (ergo erat unus e pseudo-prophetis illis de quibus Matth. XXIV, 24), multis persuaserat Judæis, ut ad se in regionem desertam confluerent, *εις την ερημον* (nota art.: forte regio est deserta Jerichuntem inter et montem Olivarum), et deinde in montem Oliveti armati secum ascenderent, inde Hierosolymam invasuri. A Procuratore Felice (de quo infra XXIII, 23 sq.) devictus, aufugerat. Cf. *Fl. Joseph. Antiq.* 20, 8, 6, et *B. J.* 2, 13, 5. QUATUOR MILLIA SICARIORUM: *τους τετρακισχιλιους ανδρας των σικαριων*: nota utrumque art.; inde enim colligitur sicarios eo tempore jam fuisse constitutos atque ordinatos, tamquam turmam militarem notam ac definitam cum suis ducibus. Isti erant famosi latrones seu prædones, quorum numerus postea adauctus vel renovatus fuit, quique tot mala inter Judæos, præsertim tempore obsidionis Jerosolymitanæ, perfecerunt. Hic intelliguntur viri qui Ægyptio illi constanter adhærebant: sed præter istos, ad eum jam confluxerat turba magna, sc. 30,000 virorum, ait Jos. *B. J.* l. c. Hac ratione Lucas cum Fl. Josepho conciliatur. Affirmat *De Wette Josephum secum ipsum pugnare (ita etiam Beel.), cum dicat in *B. J.* fuisse 30,000 hominum, *plerosque* aut occisos aut captos fuisse, dum *Ant.* refert 400 occisos et 200 captos: at vero, opiner ego historicum illum immerito accusari; nam *plerique* illi (de quibus in *B. J.*) intelliguntur sicarii et stipatores, seu viri armati et bellatores, non autem plebeia multitudo.

40. LINGUA HEBRÆA: erat lingua Aramaica orientalis, secundum dialectum Palæstinæ propriam. Ab aliis vocatur lingua Syrochaldaica: videsis *De*

misisset, Paulus stans in gradibus, annuit manu ad plebem, et magno silentio facto, allocutus est lingua Hebræa, dicens:

II. Paulus coram Jerosolymitanis sui facit apologiam; sed frustra. Cap. XXII.

Summarium. Paulus apologiam suam instituit coram popularibus suis (1, 2): 1° probat se optimum fuisse Judæum, utpote qui ex amore et studio legis Mosaicæ Christianos persequeretur (3-5), sed 2° Dei numine interposito per miraculum ad Christum conversum fuisse: cujus quidem conversionis historiam breviter narrat (6-16); 3° addit se a Deo ipso missum fuisse ad gentiles, nempe per visionem in templo acceptam (17-21). Statim ut loquitur de Evangelio gentilibus prædicando, vociferatione plebis interrumpitur (22, 23). Tribunus eum facinorosum putans, jubet ut in arcem ducatur verberibusque mulctetur (24); sed Apostolus hoc supplicium avertit, civem Romanum se declarans (25-29). Postridie coram Synedrio statuitur (30).

1 * Viri fratres, et patres, audite quam ad vos nunc reddo
2 rationem. * Cum audissent autem quia Hebræa lingua loqueretur
3 ad illos, magis præstiterunt silentium. * Et dicit: Ego sum vir
Judæus, natus in Tarso Ciliciæ, nutritus autem in ista civitate,
secus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ legis,

Rossi, Dissertationem cui titulus: *Della lingua propria di Cristo e degli Ebrei nazionali della Palestina, da' tempi de' Maccabei.* S. Lucas eam nominat *hebraicam*, quia tunc Hebræis erat vernacula; quamvis eorum multi etiam græce loquerentur. Cf. *Comm.* nostr. *s. Matth.* 3ª ed., p. 1504-1506.

3. Ego *quidem* (hæc vera lectio videtur): sed *quidem* deberet esse post *natus* (quia in loco suo non erat, omissum fuit in ABDE et Vulg.), hoc sensu: Ego sum Judæus, natus *quidem* in regione extera et peregrina, nutritus *autem* in hac civitate. Gamaliel (cf. V, 34) erat magister omnium celebratissimus, quem Judæi maxima veneratione colebant, princeps scholæ Rabbinicæ severioris (ideo additur *juxta veritatem* etc.). Secus pedes: modus loquendi reverentia plenus, respicit ad morem doctorum, qui loco excelsiore sedent. Juxta veritatem: *ακριβειαν, severitatem, rigorem* legis Mosaicæ, seu strictam accuratamque ejus interpretationem. Æmulator Legis: græce in omnibus codd. legitur Θεου, non νομου; igitur *Dei* æmulator eram, cultum ejus (in lege Mosaica præscriptum) extendere studebam. Sicut et vos omnes estis hodie: hoc dicit ut gratiam illorum captet (s. Chrys.).

4 æmulator legis, sicut et vos omnes estis hodie: * qui hanc viam
persecutus sum usque ad mortem, alligans et tradens in custo-
5 dias viros ac mulieres, * sicut princeps sacerdotum mihi testimo-
nium reddit, et omnes majores natu, a quibus et epistolas acci-
piens ad fratres Damascum pergebam, ut adducerem inde vinctos
6 in Jerusalem ut punirentur. * Factum est autem, eunte me, et
appropinquante Damasco media die, subito de cœlo circumfulsit
7 me lux copiosa: * et decidens in terram audivi vocem dicentem
8 mihi: Saule, Saule, quid me persequeris? * Ego autem respondi:
Quis es, Domine? Dixitque ad me: Ego sum Jesus Nazarenus,
9 quem tu persequeris. * Et qui mecum erant, lumen quidem
viderunt, vocem autem non audierunt ejus, qui loquebatur me-
10 cum. * Et dixi: Quid faciam, Domine? Dominus autem dixit ad
me: Surgens, vade Damascum: et ibi tibi dicetur de omnibus,
11 quæ te oporteat facere. * Ét cum non viderem præ claritate
luminis illius, ad manum deductus a comitibus, veni Damascum.
12 * Ananias autem quidam, vir secundum legem testimonium
13 habens ab omnibus cohabitantibus Judæis, * veniens ad me, et
astans dixit mihi: Saule frater, respice. Et ego eadem hora
14 respexi in eum. * At ille dixit: Deus patrum nostrorum præordi-
navit te, ut cognosceres voluntatem ejus, et videres justum, et
15 audires vocem ex ore ejus: * quia eris testis illius ad omnes ho-
16 mines, eorum quæ vidisti et audisti. * Et nunc quid moraris?

---

4. Usque ad mortem, odio capitali. — *Pro* explicatione totius hujus historiæ, a. v. 4 usque ad v. 17, vide quæ supra notavimus cap. IX.

5. Princeps ille sacerdotum, a quo epistolas in Damascum petierat (IX, 1), fortasse adhuc vivebat; saltem superstites erant plures synedristæ istius temporis, qui literas illas, Paulo a summo sacerdote datas, approbaverant, et certe sigillo munierant.

12. Vir *pius* (ευλαβης vel ευσεβης: male omissum in. Vulg.) secundum legem, quod observantiam legis attinet (post *legem* deberet esse virgula in Vulg.), testimonium habens, supple *bonum:* ergo vir ab omnibus notus, magnæque existimationis apud omnes. Hæc de Anania apte addit, ut conversionem suam, Judæis invisam, legi contrariam non esse demonstret.

13. Respices: αναβλεψον, potest sign. *rursum vide, visum recupera;* et hic videtur verus sensus, propter verba *eadem hora* quæ sequuntur: ego statim eum vidi seu intuitus sum, sc. visu mihi restituto.

14. Justum: in ed. Vulg. 1598 cum litera minuscula; melius *Justum* cum majuscula.

16. Baptizare et ablue (flandrice *Laat u doopen, en wasch uwe zonden af*):

Exurge, et baptizare, et ablue peccata tua, invocato nomine
ipsius. * Factum est autem revertenti mihi in Jerusalem, et 17
oranti in templo, fieri me in stupore mentis, * et videre illum 18
dicentem mihi: Festina, et exi velociter ex Jerusalem: quoniam
non recipient testimonium tuum de me. * Et ego dixi: Domine, 19
ipsi sciunt quia ego eram concludens in carcerem, et cædens per
synagogas eos qui credebant in te, * et cum funderetur sanguis 20
Stephani testis tui, ego astabam, et consentiebam et custodiebam
vestimenta interficientium illum. * Et dixit ad me: Vade, 21
quoniam ego in nationes longe mittam te.
* Audiebant autem eum usque ad hoc verbum, et levaverunt 22
vocem suam dicentes: Tolle de terra hujusmodi: non enim fas est
eum vivere. * Vociferantibus autem eis, et projicientibus vesti- 23

---

duo imperativi ita conjunguntur, ut posterior significet quid secuturum sit, si fiat id quod per priorem exprimitur. Sic Gen. XLII, 18, in hebræo: *Hoc facite et vivite*, quod valet: *hoc facite et vivetis*, seu, *si hoc feceritis vivetis*.

17. Per suam ad Christum conversionem non factus est malus Judæus, genti suæ inimicus: namque in Urbem Sanctam reversus est, et ivit orare in Templo. Imo (v. 18) mansisset Hierosolymis diutius, si per visionem divinam proficisci jussus non fuisset; neque (v. 21) gentilibus fidem nuntiasset, nisi ad eos ab ipsomet Deo missus fuisset.

Exstasis illa a rationalista *De Wette* tamquam falsa rejicitur, propterea quod Gal. I, 17-19, ubi de eodem itinere Jerosolymitano sermo habetur, illius nulla mentio fiat. Verum, Pauli silentium in epistola ad Galatas minime probat rem non contigisse, quum nihil opus esset ut de ea ibi loqueretur.

18. VIDERE ILLUM, sc. *Justum* (v. 14), Jesum Messiam.

19. IPSI SCIUNT: mihi potius quam alii cuipiam credituri sunt; nam testimonium meum in suspicionem adduci nequit: SCIUNT QUIA EGO ERAM CONCLUDENS IN CARCEREM (*φυλακιζων*, *custodiæ tradens, in carcerem conjiciens*: verbum substantivum cum part. præs. notat actum continuum), ET PER SYNAGOGAS, *varias obeundo synagogas*, CÆDENS EOS, *flagellabam eos*.

22. AUDIEBANT EUM USQUE AD HOC VERBUM, quo dicebat se ad gentiles missum fuisse, quasi Judæi ipsis falsorum numinum cultoribus postpositi fuissent: quod eis contumeliosissimum erat. FAS EST refert partic. *καθηκεν*, sed vera lectio est imperf. *καθηκον*, hoc sensu: non enim *fas erat* eum vivere, jam diu oportuisset eum morte afficere; non debuisset e manibus nostris eripi, quando eum occidere volebamus (XXI, 31).

23. PROJICIENTIBUS etc. Ill. Beelen ita: cum præ iracundia vestimenta sua hac illac *agitarent*, ac, *concussa terra pedibus*, pulverem jactarent in aerem. Verbum *projicere* *ριπτειν* sensu proprio et consueto sumere præfero: exuunt

24 menta sua, et pulverem jactantibus in aerem, * jussit tribunus
induci eum in castra, et flagellis cædi, et torqueri eum ut sciret
25 propter quam causam sic acclamarent ei. * Et cum astrinxissent
eum loris, dicit astanti sibi centurioni Paulus: Si hominem
26 Romanum, et indemnatum licet vobis flagellare? * Quo audito,
centurio accessit ad tribunum, et nunciavit ei, dicens: Quid
27 acturus es? hic enim homo civis Romanus est. * Accedens autem
tribunus, dixit illi: Dic mihi si tu Romanus es? At ille dixit:
28 Etiam. * Et respondit tribunus: Ego multa summa civilitatem
hanc consecutus sum. Et Paulus ait: Ego autem et natus sum.

---

pallia eaque in terram projiciunt, quasi velint sese præparare ad lapidandum eum; et, quum lapides non habeant, vel lapidibus eum attingere nequeant, pulverem jactant in aerem quasi contra eum, quod certe *manibus* faciunt, non *pedibus terram concutientes.* Ergo, hisce gestibus significantissimis satis declarant quantopere cupiant ipsum lapidibus obruere, suisque manibus extremum ab eo repetere supplicium. Ceterum, ad lapidandum haud tardiores erant isti: cf. V, 26; XIV, 19; Joan. X, 31 sq.

24. Jussit tribunus torqueri eum ut sciret etc.: namque ex ignorantia linguæ, qua Paulus usus erat, orationem ejus intellexisse non videtur: magnum tamen facinus in eo suspicatur; idque detegere vult per flagellationem. Qua quidem in re contra jus *criminale* Romanorum agebat, quo prohibitum erat rei inquisitionem a tortura incipere.

25. Cum astrinxissent eum loris: ὡς δε προετειναν τοις ἱμασι (ἱμας, proprie *lorum;* dicitur vel de loris quibus alligabantur calceamenta, *corrigiæ*, vel de loris quibus cædebantur rei, *flagella, scutica), cum protendissent eum,* et ad palum ligassent, *pro flagellis*, cum in eo essent ut ipsum cæderent flagris. Aliqui per ἱματα intelligunt lora quibus verberandi adstringebantur (ita Vulgata): sed τοις ἱμασι fuisset inutiliter adjectum, deinde articulus non explicaretur. Si Romanum etc.: de cive Romano non flagellando vide supra XVI, 38. Duplex fuisset crimen: flagris cædere, et pœnam inferre homini non damnato, imo nondum judicialiter examinato. Philippis autem, XVI, 22 sq., flagellorum tormentum, contra leges sibi illatum, volens minimeque resistens passus est, quia propter confessionem nominis Jesu torquebatur; hic vero jus civitatis invocat, quoniam male habitus fuisset ab iis qui de Jesu nihil noverant, quique eum ut facinorosum quemlibet cecidissent.

27 et 28. Etiam: ναι, *sum.* — Multa summa, magna pecuniæ summa (κεφαλαιον, flandrice *koopsom*) jus civitatis (πολιτειαν, flandrice *burgerrecht*) acquisivi. Suspicatur Paulum, quem hominem vilioris conditionis habet, civem Romanum se simulasse. — Natus sum. Civis Romanus natus erat Paulus, non per hoc ipsum quod Tarso oriundus erat, nam tribunus noverat eum civem esse Tarsensem; dicendum igitur est non omnes illius

* Protinus ergo discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. 29
Tribunus quoque timuit, postquam rescivit quia civis Romanus
esset, et quia alligasset eum. * Postera autem die volens scire 30
diligentius qua ex causa accusaretur a Judæis, solvit eum, et
jussit sacerdotes convenire, et omne concilium, et producens
Paulum, statuit inter illos.

III. Paulus coram Synedrio; Cæsaream vinctus deducitur. Cap. XXIII.

Summarium. Coram Synedrio acturus Paulus, statim ab initio, jussu summi sacerdotis, in faciem cæditur (1,2); quare in eum acriter invehitur (3), ejus ignorans dignitatem (4,5). Quum videat inutilem esse defensionem coram iniquis judicibus, divisionem inter ipsos solerter excitat, partes Pharisæorum contra Sadducæos tenens (6-9). Ideo reducitur in arcem (10), ubi divina visione corroboratur (11). Quum postridie quadraginta viri de interficiendo ipso conjurassent (12-15), tribunus, mox ut illud audit (16-22), Paulum Cæsaream ad Felicem cum militibus (23-25) et literis mittit (26-32). Felix jubet eum custodiri, donec accusatores ejus advenerint (33-35).

---

urbis incolas jus illud accepisse. Tarsus erat quidem *libera civitas*, quæ quamvis Romanæ ditioni subesset, propriis legibus et magistratibus obediebat; sed non ideo *jure civitatis* gaudebat. Itaque opinamur ab aliquo e Pauli progenitoribus jus illud aut meritis aut pecunia obtentum fuisse.

29. Quia alligasset eum. Quid? civem Romanum ligare numquid nefas erat? Utique, quando fiebat ante rei interrogationem, ubi tamen nullum erat commissi sceleris vestigium vel argumentum, ut hic: atque ideo Cic. *in Verr.* 5, 66: „ Facinus est, ait, vinciri civem Romanum, scelus verberari, prope parricidium necari. „ Sed, cum jus civitatis dubium esset, vel cum reus in medio scelere (*en flagrant délit*) deprehensus fuisset, vel cum custodiendus esset donec de accusatione contra ipsum lata statueretur, pariter cum ad legitimum coram tribunali examen duci deberet: tunc certe vincula ei imponere haud vetitum erat. Sic Paulum v. 30 postera die *solvitur* ut coram synedrio stet, ergo per noctem ligatus manserat; postmodum XXIII, 18 adhuc vinctus erat, etc.

30. Convenire, συνελθειν, melior lectio (ABCE) quam ελθειν in textu *Recepto* (cum GH, syr., copt., æth.) : ergo, non jussit ut synedristæ in arcem Antoniam *venirent*, sed ut *congregarentur* (συνελθειν), sc. in conclave consuetum *Gazith;* atque ad eos *produxit*, καταγαγων, *descendere fecit* Paulum.

1 * Intendens autem in concilium Paulus ait: Viri fratres,
ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in
2 hodiernum diem. * Princeps autem sacerdotum Ananias præcepit
3 astantibus sibi percutere os ejus. * Tunc Paulus dixit ad eum:
Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu sedens judicas me se-
4 cundum legem, et contra legem jubes me percuti? * Et qui
5 astabant dixerunt: Summum sacerdotem Dei maledicis? * Dixit
autem Paulus: Nesciebam, fratres, quia princeps est sacerdotum.
Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.

---

1. INTENDENS IN CONCILIUM, sc. intrepidus. — FRATRES, ait, non *patres*, quasi ad æquales, quia cogitat de dignitate sua apostolica (quod innuunt verba CONVERSATUS SUM, melius ex gr. *meo magistratu functus sum*); seu potius, intima conscientia hujusce muneris exterius se prodit per hanc vocem. — OMNI (*summa*) CONSCIENTIA BONA, *optima conscientia*, CONVERSATUS SUM ANTE DEUM: πεπολιτευμαι τῳ Θεῳ, melius *magistratu divinitus commisso functus sum*, sc. apostolatu.

2. ANANIAS iste Romæ causam suam dicere coactus fuerat (Jos. *Ant.* 20, 6, 2); sed sententiis judicum absolutus (ut videtur), Hierosolymam reversus erat, summumque pontificatum post occisum Jonathanem (de quo supra XXI, 36 mentionem fecimus) iterum susceperat, idque gerere perrexit usque ad a. 59. ASTANTIBUS SIBI (*apparitoribus*) PRÆCEPIT etc., quia liberius illud Pauli exordium, in quo nulla de ipso fiebat mentio honorifica, ferre non potuit. Certe etiam oblitus non erat Paulum die præcedente se civem Romanum dixisse: quod Judæo isti minime arridere poterat.

3. PERCUTIET TE DEUS: non tam exsecratio proprie dicta quam prædictio est; quæ quidem eventu confirmata fuit octo circiter annis postmodum, cum Ananias iste, utpote princeps factionis imperatoriæ, initio belli Judaici a. 66 a Sicariis occisus fuit: cf. *Flav. Joseph.* Bell. Jud. 2, 17, 9. — PARIES DEALBATE: dempta metaphora: vir personatus, qui falsam probitatis speciem præ se fert, *hypocrita!* cf. Matth XXIII, 27. Cogita murum, non ex lapidibus, sed e sordido luto confectum, extrinsecus autem nitida calce obductum. Virtutis simulatorem eum dicit Apostolus, propterea quod videatur velle secundum legem judicare, quum tamen contra legem virum indemnatum percuti jubeat. — CONTRA LEGEM, ante cognitam causam pœnam inferens: cf. Joann. VII, 51.

5. NESCIEBAM ὁτι εστιν αρχιερευς (absque art.), *quemdam* hocce tempore *esse summum pontificem;* flandrice *dat er een Hoogpriester was*. Putabat Paulus sedem supremi Pontificatus eo tempore vacare; quod identidem in illo turbulentissimo rerum statu accidit: idque vel ideo forsitan existimavit, quod novisset ultimum Judæorum Pontificem (Ananiam nostrum) fuisse Romam missum, ad tribunal Imperatoris (ut v. 2 notavimus), neque audiisset eum pristinæ dignitati fuisse restitutum, aut alium quemquam in ejus

* Sciens autem Paulus quia una pars esset Sadducæorum, et 6
altera Pharisæorum, exclamavit in concilio: Viri fratres, ego
Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe et resurrectione
mortuorum ego judicor. * Et cum hæc dixisset, facta est dissensio 7
inter Pharisæos et Sadducæos, et soluta est multitudo. * Sad- 8
ducæi enim dicunt, non esse resurrectionem, neque angelum,
neque spiritum: Pharisæi autem utraque confitentur. * Factus 9
est autem clamor magnus. Et surgentes quidam Pharisæorum,

---

locum suffectum. Nonnulli interpretes sic explicant: *nesciebam ipsum esse summum sacerdotem* (flandrice *dat hij Hoogpriester was*); et re quidem vera, facile fieri potuit ut Paulus, propter diuturnam absentiam et frequentem summi pontificis mutationem, quæ ista ætate accidebat (Joann. XI, 49), virum illa ornatum dignitate facie non cognoverit. Ad id autem quod contendit **De Wette*, personam illam ex sede quam in Synedrio occupabat discerni debuisse, aut, ut alii dicunt, ex vestibus distinctis quibus induebatur, respondemus : Synedrii præsidem (*Nasi*) non semper fuisse summum sacerdotem; vestes autem distinctas adhibitas fuisse solummodo ad functiones sacras in Templo perficiendas.

SCRIPTUM EST ENIM. Nexus est : si dignitatem ejus cognovissem, non tam dure ad eum locutus fuissem; scriptum est enim in Exod. XXII, 28 : *Principi populi tui non maledices.* Quo autem sensu Apostolo licitum fuerit homini male imprecari, explicatum fuit supra, cap. VIII, 20.

6. Magna cum animi præsentia, aliam defensionis viam statim arripit; atque ideo bona quadam utitur arte, ut, coram iniquis judicibus, qui liberam ei negabant facultatem dicendi causam, incolumitati suæ consulat. EXCLAMAVIT : alta voce id dixit, ut omnes verba sua probe audirent. PHARISÆUS SUM : absque ullo mendacio id affirmat; nam, quemadmodum id temporis Legem adhuc observare licebat, ita etiam Pharisaismum, quod per se laudabile erat institutum, profiteri haud nefas erat; deinde ita se a Sadducæorum naturalismo et impietate prorsus alienum esse pronuntiabat. Addit autem FILIUS PHARISÆORUM, ut declaret ista strictioris observantiæ sensa sibi tamquam familiæ traditionem olim jam indita fuisse, quasi ea cum matris lacte suxisset, quasi eadem in carnem et sanguinem suum penetrassent.

DE SPE ET RESURRECTIONE MORTUORUM : aliqui (Beel. etc.) per hendiaden sic explicant : *de spe resurrectionis.* Verum melius ita : *de spe*, sc. in Messiam, *et de doctrina circa resurrectionem.* In utroque doctrinæ capite Paulus assentiebatur Pharisæis contra Sadducæos, nisi quod ipse Messiam jam advenisse crederet, Pharisæi vero eum adhuc exspectarent.

8. SADDUCÆI : cf. annot. ad IV, 1. — UTRAQUE : errores Sadducæorum ad duo præcipua capita revocantur : animum non esse immortalem, nullosque existere spiritus creatos.

9. QUIDAM PHARISÆORUM, vel, ut habet alia lectio probabilior a *Tisch. adoptata, *Scribæ partis Pharisæorum* (*du parti des Phariséens*) : quum

pugnabant, dicentes: Nihil mali invenimus in homine isto: quid
10 si spiritus locutus est ei, aut angelus? * Et cum magna dissensio
facta esset, timens tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis,
jussit milites descendere, et rapere eum de medio eorum, ac
11 deducere eum in castra. * Sequenti autem nocte, assistens ei
Dominus, ait: Constans esto: sicut enim testificatus es de me
in Jerusalem, sic te oportet et Romæ testificari.
12 * Facta autem die collegerunt se quidam ex Judæis, et devo-
verunt se dicentes, neque manducaturos, neque bibituros donec
13 occiderent Paulum. * Erant autem plus quam quadraginta viri,

---

quæstio esset theologica, *Scribæ* i. e. *Legisperiti* verba fecerunt nomine Pharisæorum. Primum ipsum Paulum, virum suis doctrinis (in quantum illæ a Sadducæis impugnabantur) faventem defendunt: quem in finem exprimunt opinionem Sadducæis infensissimam, facile fieri potuisse ut, in visione illa, de qua Paulus præcedente die locutus erat (XXII, 6), aliquis Dei *angelus* aut *spiritus* (anima hominis justi defuncti) ad ipsum nomine Dei venerit eique se conspiciendum dederit. SI SPIRITUS AUT (quod majus quid esset, ergo gradatio habetur) ANGELUS LOCUTUS EST EI...? Phrasis manet suspensa, vel a vociferantibus Sadducæis abrupta, vel quod multo verisimilius est, propter acrem loquentium vehementiam et ironiæ vim: supplere possumus: *quid tunc faciendum? quid tunc diceretis?* Ceterum mordacissima sunt verba.

10. NE DISCERPERETUR: certe utrimque trahebatur magna vi, cum Sadducæi eum comprehenderent ut male haberent, Pharisæi vero eum e manibus eorum eriperent ut defenderent: atque periculum erat *ne discerperetur* (germ. *in stücke gerissen zu werden*). JUSSIT MILITES ab arce Antonia, ubi præsidium agebant, *descendere*, atque in conclave Synedrii festinanter accurrere. Istud autem conclave, nomine *Gazith*, erat templo proximum, atque adeo ab arce Antonia haud remotum. — Animadvertamus miserrimum statum, in quem ea tempestate prolapsum erat summum Judæorum concilium: utique, ad fatum suum properat gens cujus principes tales facti sunt.

11. ROMÆ: ergo, quod diu jam cupiebat (XIX, 21), id nunc diserte ei promittitur: quemadmodum Hierosolymis, religionis centro ista ætate, et Athenis, philosophiæ matre et sede, ita etiam Romæ, orbis capite, politicæ potestatis et Polytheismi principe, Jesum nuntiabit. — Lucas scribit εις Ιερουσαλημ... εις Ρωμην cum acc., quia motum Pauli huc pervenientis cogitat.

12. COLLEGERUNT SE, i. e. conspiraverunt; flandrice *zij spanden te zamen*. DEVOVERUNT SE divinæ iræ, si prius manducassent etc. Puta dixisse eos: Deus nos perdat si quid comedamus etc. Gr. *ανεθεματισαν ἑαυτους, semetipsos anathema fecerunt,* se ad exitium devoverunt. Ceterum, secundum Talmud, Rabbini vota hujusmodi, quum perfici non poterant, dissolvebant: cf. Leigthf. in h. l.

qui hanc conjurationem fecerant : * qui accesserunt ad principes 14
sacerdotum et seniores, et dixerunt : Devotione devovimus nos
nihil gustaturos, donec occidamus Paulum. * Nunc ergo vos 15
notum facite tribuno cum concilio, ut producat illum ad vos,
tamquam aliquid certius cognituri de eo. Nos vero priusquam
appropiet parati sumus interficere illum. * Quod cum audisset 16
filius sororis Pauli insidias, venit, et intravit in castra, nuncia-
vitque Paulo. * Vocans autem Paulus ad se unum ex centurioni- 17
bus, ait : Adolescentem hunc perduc ad tribunum, habet enim
aliquid indicare illi. * Et ille quidem assumens eum duxit ad 18
tribunum, et ait : Vinctus Paulus rogavit me hunc adolescentem
aliquid loqui tibi. * Apprehendens autem tribunus manum illius 19
secessit cum eo seorsum, et interrogavit illum : Quid est, quod
habes indicare mihi? * Ille autem dixit : Judæis convenit rogare 20
te ut crastina die producas Paulum in concilium, quasi aliquid
certius inquisituri sint de illo : * tu vero ne credideris illis : insi- 21
diantur enim ei ex eis viri amplius quam quadraginta, qui se devo-
verunt non manducare, neque bibere, donec interficiant eum : et
nunc parati sunt, expectantes promissum tuum. * Tribunus igitur 22
dimisit adolescentem, præcipiens ne cui loqueretur quoniam hæc
nota sibi fecisset. * Et vocatis duobus centurionibus, dixit illis : 23

---

14. PRINCIPES SACERDOTUM ET SENIORES, eos quos noverant Paulo infensos, eos igitur qui ad Sadducæorum sectam pertinebant. DEVOTIONE DEVOVIMUS, gravissima exsecratione devovimus : cf. IV, 17.

15. Paraphr. Vos, una cum ceteris Synedrii assessoribus, significate tribuno, ut Paulum ex arce Antonia ad conclave Synedrii deducat. — PRIUSQUAM APPROPIET, in itinere, ne putetur occisus a vobis, neque illud facinus vobis a Romanis imputetur.

16. QUOD CUM, cum autem. SORORIS : de hac nihil novimus ultra; sed verisimile est eam olim jam Hierosolymam venisse, ibique matrimonium contraxisse, Paulum vero, cum puer adhuc esset, ad eam Tarso missum fuisse, atque adeo in Urbe educatum fuisse.

21. PROMISSUM, potius *mandatum* tuum adducendi Paulum.

23. A TERTIA HORA NOCTIS, refer ad PARATE, hoc sensu : fac ut in promptu sint hora noctis 3ª (nostra nona vespertina). Flandrice : *houd gereed.... tegen de derde uur.* — MILITES : στρατιωτας, pedites graviter armatos. LANCEARIOS : δεξιολαβους, quæ vox apud nullum scriptorem græcum antiquitatis reperitur, et a variis varie intelligitur; alii enim vertunt *lictores, satellites* (qui latus dexterum alicujus tenent); alii (Vulg. et æth.) *lancearios;* alii demum *sagittarios, jaculatores, funditores* (qui tela manu dextera mittebant) : δεξιολαβοι autem a στρατιωταις distingui videntur in eo quod essent milites expediti.

Parate milites ducentos ut eant usque Cæsaream, et equites
24 septuaginta, et lancearios ducentos a tertia hora noctis : * et ju-
menta præparate ut imponentes Paulum, salvum perducerent ad
25 Felicem præsidem : (* timuit enim ne forte raperent eum Judæi,
et occiderent, et ipse postea calumniam sustineret, tamquam
26 accepturus pecuniam) * scribens epistolam continentem hæc :
27 Claudius Lysias optimo præsidi, Felici, salutem. * Virum hunc
comprehensum a Judæis, et incipientem interfici ab eis, super-
28 veniens cum exercitu eripui, cognito quia Romanus est. * Volens-
que scire causam, quam objiciebant illi, deduxi eum in concilium
29 eorum. * Quem inveni accusari de quæstionibus legis ipsorum,
30 nihil vero dignum morte aut vinculis habentem criminis. * Et
cum mihi perlatum esset de insidiis, quas paraverant illi, misi
eum ad te, denuncians et accusatoribus ut dicant apud te. Vale.
31 * Milites ergo secundum præceptum sibi, assumentes Paulum,
32 duxerunt per noctem in Antipatridem. * Et postera die dimissis

---

24. Felix, Judææ Procurator, ab a. 52 usque ad a. 60 vel 61; cf. annot. XXIV, 2.

25. Versiculus plane deest in omnibus codd. græcis et in pluribus codd. manuscr. Vulgatæ. Est glossema, quod tamen optimam dat explicationem. — Accepturus : sententiarum ordo videtur postulare tempus præteritum *accepisset*.

26. Continentem hæc : περιεχουσαν τον τυπον τουτον : ergo ipsamet epistola, in forma ejus authentica, plenissime refertur; non solum substantia ejus, ut Vulgata forte innuere posset. — Optimo : honorifica vox quæ respondet græco κρατιστος, proprie *fortissimus;* cf. Luc. I, 3.

27. Incipientem interfici : μελλοντα, *quum in eo esset ut interficeretur.* — Cum exercitu : græce adest articulus, qui vim habet pronominis possessivi : cum militibus *meis*. Flandrice *met mijn krijgsvolk* (στρατευμα). Cognito quia Romanus est : mentitur tribunus, ut gratiam apud præsidem Romanum ineat de servato cive Romano; reticet etiam se, contra jus Romanum, præcepisse ut ille flagellis cæderetur.

30. In hoc versu textus *Receptus* plura habet verba, quæ in Vulgata non leguntur, quæque glossemata dicenda sunt.

31. Per noctem ; gr. cum art. *nocte illa eadem qua profecti sunt.* Antipatris 42 milliariis Romanis, i. e. circiter octo milliariis geographicis, seu 60 kilometris (15 leucis gallicis), Hierosolymis distabat; ideoque non ipsa nocte, sed tempore antemeridiano eo pervenire potuerunt. Dicitur tamen *per noctem*, quia hæc pars itineris præcipua fuit.

32. Reversi sunt, propterea quod in loco tam remoto a Jerusalem minus esset insidiarum periculum, atque ideo minor custodia deinceps requireretur.

equitibus ut cum eo irent, reversi sunt ad castra. * Qui cum 33
venissent Cæsaream, et tradidissent epistolam præsidi, statuerunt
ante illum et Paulum. * Cum legisset autem, et interrogasset de 34
qua provincia esset, et cognoscens quia de Cilicia : * Audiam te, 35
inquit, cum accusatores tui venerint. Jussitque in prætorio
Herodis custodiri eum.

§ 6. *Paulus, Cæsareæ, sub præsidibus Felice et Festo, in carcere detentus.* Cap. XXIV-XXVI.

I. Paulus coram præside Felice. Cap. XXIV.

Summarium. Paulus, ad tribunal Felicis adductus, seditionis et violati Templi accusatur (1-9). Hanc autem criminationem per sequentes rationes confutat: a/ a paucis diebus, inquit, Hierosolymam adveneram (10, 11); b/ nullum afferri potest factum quo accusatio contra me lata comprobetur (12-13); c/ tota vitæ meæ et doctrinæ ratio (14-16), quemadmodum et consilium ob quod urbem petii et Templum ingressus sum, ab omni seditione alienissima sunt (17-18); d/ accusatores mei præcipui se coram judice sistere non audent (19); tandem e/ quando ipsemet ego ad Synedrium adfui, nullius sceleris reus inventus fui, nisi assertæ doctrinæ de futura resurrectione (20,21). Judex autem sententiam differt (22). Interim Paulus, in laxioribus vinculis manens (23), Felici fidem prædicat (24), eumque exposita doctrina de judicio futuro perterret (25). Præses tamen, quum semper speret fore ut pecuniam ab eo accipiat, eum per biennium detinet, et successori suo Festo vinctum relinquit (16, 27).

---

34. Patriam ejus tantum inquirit, quia elogium nihil hac de re dicebat.

35. Audiam : διακουσομαι, *ad finem usque audiam te;* namque, ut ait lex (Dig. 48, 3) : " Qui cum elogio (cum testimonio scripto) mittuntur, ex integro audiendi sunt. " — Prætorio : græce πραιτωρίῳ, quæ vox origine latina est. Si sermo sit de Romana provincia, per *prætorium* intelligitur palatium, in quo provinciarum præsides (Proconsules vel Proprætores, cf. XIII, 7) habitabant et jus dicebant. Hic dicitur *prætorium Herodis*, quia Herodes Magnus palatium illud olim occupaverat, vel etiam ædificaverat. Igitur Paulus in carcerem ordinarium conjectus non fuit; fortasse ideo quod testimonium in literis Lysiæ de eo traditum satis benignum esset.

1 * Post quinque autem dies descendit princeps sacerdotum
Ananias, cum senioribus quibusdam, et Tertullo quodam oratore,
2 qui adierunt præsidem adversus Paulum. * Et citato Paulo,
cœpit accusare Tertullus, dicens : Cum in multa pace agamus per
3 te, et multa corrigantur per tuam providentiam, * semper et
ubique suscipimus, optime Felix, cum omni gratiarum actione.
4 * Ne diutius autem te protraham, oro, breviter audias nos pro tua
5 clementia. * Invenimus hunc hominem pestiferum, et concitantem
seditiones omnibus Judæis in universo orbe, et auctorem seditionis
6 sectæ Nazarenorum : * qui etiam templum violare conatus est, quem

---

1. Tertullus, *orator forensis* seu *causidicus* (ῥητωρ), qui certe jus Romanum noverat, et dicendi facultate vel linguæ latinæ peritia pollebat. Adierunt præsidem adversus Paulum : ενεφανισαν τῳ ἡγεμονι κατα του Παυλου : verbum εμφανιζειν sign. proprie *conspiciendum trado, coram oculis pono, præsentem sisto.* Hic oportet supplere regimen ἑαυτους, *se præsentes steterunt coram præside*, ut Paulum accusarent; vel verbum sensu neutro sumere : *indicium facere* adversus aliquem (germ. *Anzeige machen wider Paulus*).

2. Tertullus a turpi adulatione, qua præsidis benevolentiam captare vult, sermonem exorditur. *Quod*, inquit, *constanter fruamur* (dico *constanter* ut vim reddam participii præsentis τυγχανοντες) *magna pace, quodque multa corrigantur* in rebus publicis (διορθωματα cum ABE Sinait., quæ lectio melior est quam κατορθωματα *bona instituta*), *id semper et ubique agnoscimus* (αποδεχομεθα, hic *bene accipimus*, prædicamus, laudamus) *cum omni* (cum maxima) *gratiarum actione.* Totidem erant mendacia : nam 1° quod spectat ad res *correctas* in regimine ejus, Tacitus, *Hist.* lib. V, 9 : « *Felix*, ait, *per omnem sævitiam ac libidinem, jus regium servili ingenio exercuit in Judæa provincia.* » 2° De *pace* autem ab ipso stabilita lege rursum Tacitum, qui *Annal.* XII, 54, refert ipsum intempestivis remediis seditiones ac delicta accendisse. Porro 3° quod ad *gratum animum* jam attinet, novimus ex Jos. *Ant.* 20, 8, 9 sq., Judæos paulo post discessum ejus querelas adversus eum ad Cæsarem detulisse.

3. Semper et ubique, non solum in præsentia tua, sed etiam te absente id prædicamus.

4. Ne diutius autem te protraham, quippe qui maximis negotiis sis occupatissimus. Prætercurrit, inquit s. Chrys. ad h. l., et unum dicit, fingens se multa habere dicenda. — Pro tua clementia : επιεικεια, pro solita tua *humanitate.* Iterum impudens mendacium est, ut patet ex Taciti *Ann.* XII, 54.

5. Omnibus Judæis, apud omnes Judæos, in universo orbe, vel Romano, vel toto terrarum orbe : hyperbole manifesta. — Auctorem : προτοστατην, proprie *antesignanum, qui primus stat in re militari.* Seditionis, est glossema. Sectæ, της αἱρεσεως : vocabulum græcum aliquando in bonam partem, hic vero in malam partem sumitur.

6. Conatus est : supra cap. XXI, 28, Templi re ipsa profanati eum accu-

et apprehensum voluimus secundum legem nostram judicare. * Su- 7
perveniens autem tribunus Lysias cum vi magna eripuit eum de
manibus nostris, * jubens accusatores ejus ad te venire : a quo 8
poteris ipse judicans, de omnibus istis cognoscere, de quibus nos
accusamus eum. * Adjecerunt autem et Judæi, dicentes hæc ita 9
se habere.
* Respondit autem Paulus (annuente sibi Præside dicere) : Ex 10
multis annis te esse judicem genti huic sciens, bono animo pro
me satisfaciam. * Potes enim cognoscere quia non plus sunt 11

---

sabant. — Judicare : Judæis licebat quidem tribunalia erigere, judicia exercere et capitis damnare in re religiosa : at vero sententia confirmanda et perficienda erat a præside, seu Procuratore Romano. Cf. *Comm.* nostr. s. *Matth.*, 3ª ed. p. 119 et 1096, ubi de jure gladii Judæis erepto disputavimus.

7. Eripuit : innuit Judæorum jus, hac in re, fuisse læsum : non autem dicit Paulum per tumultum occidendum fuisse nisi Lysias supervenisset.

8. Ad te venire. In codd. ABCH et Sinait., in plurimis minusculis, in verss. copt. et sahid., imo vero in quibusdam codicibus Vulgatæ, v. 6-8 legitur solummodo : *qui etiam templum conatus est violare, quem etiam apprehendimus, a quo poteris ipse judicans* etc.; adeo ut haud pauca omittantur, quæ in nostra Vulgatæ editione habentur. Ista tamen leguntur in cod. E, in nonnullis codd. Vulgatæ, in vers. syr. utraque, et æthiop. (fere) et apud s. Chrys., Theoph., Œcum. etc. Et contexta quidem oratio hanc additionem postulare videtur, inquit Ill. Beelen, propterea quod, si verba deleantur, *a quo* referendum sit ad Paulum, quasi ipsius rei testimonium invocasset accusator, quod verisimile non est. Hoc autem argumentum firmum non est, quum Tertullus dicat tantum judicem posse veritatem factorum istorum plenius discere ex reo interrogato; quasi hoc sibi velit : ipsemet reus facta ista manifesta negare non audebit. Præterea, si *a quo* refertur ad Lysiam, *eum* etiam ad ipsum referri deberet. Ideo Bisping verba illa habet ut glossema (ita etiam *Tischend.).

10. Ex multis annis etc. : igitur scio mores Judæorum tibi plane perspectos esse, et proinde te non latere quid genus hominum sint accusatores mei; tales nimirum qui nullam mereantur fidem, præsertim in hisce rerum adjunctis. Jam a sex annis (sc. ab a. 52) Procurator Judææ erat Felix : quod quidem temporis spatium satis est diuturnum, habita ratione regiminis a Procuratoribus plerumque gesti. — Bono animo pro me satisfaciam, *eo confidentius causam meam defendo* (verbum est præsentis temporis in græco). Dum autem dicit se fidere judici suo, tamquam homini omnia rite edocto, simul innuens eum æquum esse, eumdem indirecte laudat, ejusque benevolentiam multa cum arte captat, absque ulla tamen adulatione.

11. Vide analysim initio hujus capitis. Primum tradit argumentum quo suam demonstret innocentiam : probabile non esse seditionem tam brevi

mihi dies quam duodecim, ex quo ascendi adorare in Jerusalem.
12 * Et neque in templo invenerunt me cum aliquo disputantem, aut
13 concursum facientem turbæ, neque in synagogis, * neque in
civitate: neque probare possunt tibi de quibus nunc me accu-
14 sant. * Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam
dicunt hæresim, sic deservio Patri, et Deo meo, credens omnibus,
15 quæ in Lege et Prophetis scripta sunt: * spem habens in Deum,
quam et hi ipsi exspectant, resurrectionem futuram justorum, et

---

temporis spatio ab ipso fuisse excogitatam et suscitatam, quippe quum antea debuisset conspiratores quærere etc.

DIES DUODECIM. Satis difficile est omnia, quæ de tempore a Pauli adventu in urbem transacto dicuntur, rite ordinare: atque ideo variæ sunt interpretum sententiæ. Ill. Beelen in computando tempore unum tantum diem itineri Jerosolymis Cæsaream adscribit: sed, quum inter illas civitates distantia esset circiter 100 kilometrorum, dies unus certe non sufficiebat. Nos vero hanc numerandi rationem sequimur: primo die Jerosolymam ingressus est; 2° Jacobum adiit; 3° votum Nazaræatus per 7 dies adhuc duraturi participavit; quinto die istius Nazaræatus (annumerato ipso die quo votum suscepit), ergo 7° die adventus in Urbem, Templum ingressus, comprehensus fuit; 8° coram Synedrio stetit; 9° vespere profectus est Cæsaream versus; 10° advenit Antipatridem, et 11° Cæsaream; dein exspectato adventu accusatorum usque ad diem 13m, qui simul est quintus ex quo Hierosolymis Cæsaream profectus fuerat (cf. XXIV, 1), stat nunc, cum accusatoribus suis, coram Felice.

12. DISPUTANTEM: διαλεγομενον, *loquentem, publice verba facientem*. CONCURSUM FACIENTEM, *excitantem*.

13. NEQUE IN CIVITATE, κατα την πολιν, *alicubi per urbem*.

14 et 15. Ostendit totam vitæ suæ rationem a seditione alienissimam esse, simulque respondet accusationi Tertulli, qui dixerat ipsum caput esse sectæ Nazarenorum, v. 5. SECUNDUM SECTAM: την ὁδον (cf. IX, 2 et XXII, 4), potius, *secundum religionem* illam *Nazarenorum*, i. e. secundum religionem christianam, QUAM adversarii mei falso DICUNT esse HÆRESIM seu *sectam* (v. 5). Versio Vulgatæ sensum omnino perturbat quum ὁδον vertat per *sectam*, quæ vox v. 5 fuit adhibita in accusatione. — PATRI ET DEO MEO: codd. omnes, omnesque antiquæ versiones legunt τῳ πατρωῳ Θεῳ, *patrio Deo*, Deo patrum nostrorum, Deo Abraham etc. — SIC DESERVIO... CREDENS, loco *ita colo... ut credam omnia et singula*, QUÆ SCRIPTA SUNT IN LEGE ET PROPHETIS, in omnibus libris sacris nostris: eadem designatio occurrit Matth. VII, 12; cf. annot. Act. XIII, 40. Si colat verum Judæorum Deum (*Deum patrium*), et credat omnia quæ in libris sacris Judæorum scripta sunt, et in specie (v. 15), si exspectet resurrectionem generalem, quam ipsimet Judæi (meliores saltem et digniores, sc. Pharisæi, qui soli nomine Judæorum digni sunt) exspectant: Nazareni illi, quorum antesignanus vocatur, non constituunt *sectam* seu partem et factionem schismaticam.

iniquorum. * In hoc et ipse studeo sine offendiculo conscientiam 16
habere ad Deum et ad homines semper. * Post annos autem 17
plures eleemosynas acturus in gentem meam, veni, et oblationes, et
vota. * In quibus invenerunt me purificatum in templo : non cum 18
turba, neque cum tumultu. * Quidam autem ex Asia Judæi, quos 19
oportebat apud te præsto esse, et accusare si quid haberent
adversum me : * aut hi ipsi dicant si quid invenerunt in me ini- 20
quitatis cum stem in concilio, * nisi de una hac solummodo voce, 21
qua clamavi inter eos stans : Quoniam de resurrectione mortuo-
rum ego judicor hodie a vobis.
* Distulit autem illos Felix, certissime sciens de via hac, dicens : 22

---

16. Paraphrasis : *ita animo comparatus, ego etiam*, quemadmodum alii, *studeo habere semper conscientiam nulli culpæ tam in Deum quam in homines obnoxiam :* aliis verbis, *studeo me plane irreprehensibilem exhibere.* In hoc, expressi in paraphrasi per *ita animo comparatus :* præpositio *in* significat statum interiorem in quo quis versatur : cf. Act. II, 46. Dictio *in hoc* posset etiam significare *propter hoc, propterea*, ut apud Joann. XVI, 30.

17. Accusatus fuerat tum seditionis (v. 5), quum violati Templi (v. 6); nunc jam respondet ad alterum hoc criminationis caput, simul tamen primum intermiscens. Post annos plures per quos ab urbe Hierosolyma absens fueram. Quatuor abhinc annis ultimum huc venerat, XVIII, 22 (saltem probabilius est ipsum tunc usque Hierosolymam perrexisse: vide ibi not.). Eleemosynas, de quibus cf. 1. Cor. XVI, 1 sq.; 2 Cor. VIII, 9: Rom. XV, 25. Et vota : hoc in nullo codice græco antiquitatis legitur. Paulo certe mens non fuit faciendi votum Nazaræatus, antequam Jacobus eum ad illud exhortatus est.

18. Me purificatum, *Nazaræatus voto consecratum :* vide cap. XXI, 24.

19. Quidam autem... Phrasis manet suspensa (nullum enim verbum est ad quod subjectum referatur) ; perfici debet ex cap. XXI, 27, 28 hoc modo : *tumultum illum in Templo fecerunt.* In nonnulis codd. deest particula δε (*autem*) ; secundum hanc lectionem, voces *quidam... Judæi* a verbo εὗρον (*invenerunt*) pendent. — Oportebat præsto esse : innuit falsam esse illorum accusationem, quum non audeant præsentes sese sistere ad eam asseverandam ac defendendam.

20. Aut, cum isti Asiani non se præsentes steterint, hi ipsi qui adsunt, sc. Synedristæ, etc. — Cum stem : melius *cum starem* coram Synedrio.

21. De una hac solummodo voce etc. Quum Synedristæ nullam adversus Paulum comprobare potuissent accusationem, dicendum erat hoc solum ei in scelus vertendum esse quod in medio cœtu verba illa alta voce protulisset. Secundum hanc explicationem, Apostolus cum aspera ironia orationem clausit.

22. Distulit. Textus *Receptus* voci *distulit* præponit ακουσας δε ταυτα, cum cod. G ; verum illud recte omittit Vulgata cum codd. ABCEH.

23 Cum tribunus Lysias descenderit, audiam vos. * Jussitque cen-
turioni custodire eum, et habere requiem, nec quemquam de
suis prohibere ministrare ei.
24 * Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla uxore sua,
quæ erat Judæa, vocavit Paulum, et audivit ab eo fidem, quæ est
25 in Christum Jesum. * Disputante autem illo de justitia, et casti-
tate, et de judicio futuro, tremefactus Felix respondit: Quod
nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accersam te:
26 * simul et sperans, quod pecunia ei daretur a Paulo, propter

---

CERTISSIME : ακριβεστερον, *accuratius* quam adversarii Pauli exposuerant, SCIENS DE VIA HAC, de religione christianorum (v. 14): male Erasmus per *viam* hic intelligit sectam Pharisæorum. Ergo, Felix, cum ex commoratione sua in Judæa et istius regionis gubernatione jam satis diuturna, forsitan ex testimonio christianorum Cæsareensium (olim jam inter milites ibi introducta fuerat nova illa religio, cap. X), quæ ad christianam doctrinam spectabant accuratius pleniusque quam ex audita ista causa (ex auditis accusatoribus et reo) scire potuisset, distulit sententiam : Paulum enim condemnare nolebat, quia facile videbat eum innocentem esse, neque etiam ipsum absolvere, ne Judæis displiceret. Moras quærens, speciem quamdam rationis affert, cum dicit se adventum et testimonium Lysiæ exspectare debere. — AUDIAM : διαγνωσομαι (δια auget vim) *plenius, perfectius cognoscam* (sensu forensi), *examinabo*.

23. HABERE REQUIEM : ανεσιν, *relaxationem*, i. e. jussit ut Paulus remissius haberetur in vinculis, ut custodia ejus esset minus dura, minus stricta; ideo permisit ut *sui*, i. e. amici, discipuli et cognati, ad eum libere accederent eique ministrarent. Verba ανεσιν εχειν non sign. eum *in custodia libera* fuisse, adeo ut absque vinculis per civitatem circuire libere potuisset; namque ex v. 27 colligitur ipsum in vinculis fuisse, et ex v. 23 eum in loco quodam detentum fuisse.

24. VENIENS, sc. in auditorium : cf. XXV, 23. — JUDÆA. Curiositate flagrans, virum certe incitavit, ut a Paulo peteret quænam esset nova illa religio, qua Judæi ad iram adeo commovebantur.

25. DISPUTANTE : διαγελομενου non semper importat significationem *disputandi, disceptandi*, sed sæpe, præsertim in hoc Act. libro, notat tantum *disserere, docere, loqui*. DE JUDICIO ET CASTITATE... Forte sciebat Felicem adulterum esse (Jos. *Ant.* 20, 7, 1 sq.), et injustum, tum in regimine Judææ (Tac. *Hist.* 5, 9), quum in munere judicis (v. 26 vult justitiam vendere). Quanta Apostoli intrepiditas! De istis disserere coram homine a quo sors sua pendet tota! — VADE. *Omnis*, ait Christus, *qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus*. Joann. III, 20.

26. PECUNIA DARETUR A PAULO, nempe, pecunia quam christiani, vel amici, vel cognati, Paulo præberent. Hic prodit se *servile* Felicis ingenium, quod

quod et frequenter accersens eum, loquebatur cum eo. * Biennio 27
autem expleto, accepit successorem Felix Portium Festum.
Volens autem gratiam præstare Judæis Felix, reliquit Paulum
vinctum.

II. Paulus coram præside Festo; Cæsarem appellat. Adventus regis Agrippæ. Cap. XXV.

Summarium. Festus, Felicis successor, rogatus a Judæis ut Paulum Hierosolymas arcessat, jubet ut ipsi potius Cæsaream eant, si illum accusare cupiant (1-5). Quod cum fecissent, causam e tribunali audit (5-8); dein frustra inducit Paulum, ut Hierosolymis velit judicari (9) : hic contra appellat Cæsarem (10,11), eique annuit præses (12). Interim, cum advenisset Agrippa rex, Festus totum negotium ei fuse exponit (13-21), et, secundum desiderium ejus, coram eo sistit Apostolum (22, 23), hanc prætendens causam, se velle accuratius cognoscere quid Romam scribendum sit (24-27).

* Festus ergo cum venisset in provinciam, post triduum ascen- 1
dit Jerosolymam a Cæsarea. * Adieruntque eum principes sacer- 2
dotum, et primi Judæorum adversus Paulum : et rogabant eum,
* postulantes gratiam adversus eum, ut juberet perduci eum in 3
Jerusalem, insidias tendentes ut interficerent eum in via.
* Festus autem respondit servari Paulum in Cæsarea : se autem 4
maturius profecturum. * Qui ergo in vobis (ait) potentes sunt, 5
descendentes simul, si quod est in viro crimen, accusent eum.

Tacitus *Hist.* 5, 9 ei adscribit. Miramur ubique accuratissimam Lucæ veracitatem.

27. Biennio expleto, nempe ab eo tempore quo Paulus in carcerem missus fuerat. Gratiam tamen non adeo præstitit Judæis, ut impedierit quominus nonnulli ex istis cum ipso Cæsarea Romam ierint eum apud Cæsarem accusaturi: Jos. *Ant.* 20, 8, 9.

1. Ergo, sicut conveniebat ut præses recens institutus urbem principem provinciæ suæ quamprimum inviseret.

3. Insidias tendentes, ut Paulum, sicariorum opera, in via (flandr. *langs den weg*) interficerent.

4. Profecturum, Cæsaream rediturum.

5. Potentes: οἱ δυνατοί, qui inter vos auctoritate præstant, quique propter munus suum nomine totius gentis agere possunt. Nota verba Procuratoris Romani concisa et (ut fieri solebat) cum imperio superbiente prolata.

6 * Demoratus autem inter eos dies non amplius quam octo, aut
decem, descendit Cæsaream, et altera die sedit pro tribunali, et
7 jussit Paulum adduci. * Qui cum perductus esset, circumsteterunt
eum qui ab Jerosolyma descenderant Judæi, multas et graves
8 causas objicientes, quas non poterant probare, * Paulo rationem
reddente: quoniam neque in legem Judæorum, neque in tem-
9 plum, neque in Cæsarem quidquam peccavi. * Festus autem volens
gratiam præstare Judæis, respondens Paulo, dixit: Vis Jeroso-
10 lymam ascendere, et ibi de his judicari apud me? * Dixit autem
Paulus: ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet judicari: Judæis
11 non nocui, sicut tu melius nosti. * Si enim nocui, aut dignum
morte aliquid feci, non recuso mori: si vero nihil est eorum,
quæ hi accusant me, nemo potest me illis donare, Cæsarem

---

6. NON AMPLIUS QUAM OCTO AUT DECEM: græce in textu *Recepto* legitur *amplius quam decem;* sed longe melior est lectio Vulgatæ.

8. NEQUE IN LEGEM, prædicando Christum ejusque legem Evangelicam; NEQUE IN TEMPLUM, illud profanando (sc. per hoc quod Trophimum virum ethnicum in illud introduxisset); tandem NEQUE IN CÆSAREM, movendo seditionem. Paulus igitur ad tria capita revocat accusationes illas multas et graves, quas (ut dicitur v. 7) contra ipsum tulerant. Animadvertisse juvat Judæos duabus prioribus accusationibus (XXI, 28; XXIV, 5 sq.) tertiam nunc adjecisse de Læsa-Majestate Cæsaris: sicut olim in Jesum fecerant (Joan. XIX, 12), hic in Paulum faciem politicam rei adscribere volunt, ut animum Procuratoris efficientius commoveant.

9. VIS ASCENDERE? Civis Romanus quum esset, jus ei erat tribunal Romanum postulandi, atque invitus cogi non poterat se coram Synedrio sistere. JUDICARI APUD ME: a Synedrio quidem, sed me præsente, ne quid iniquius de te statuatur.

10. PAULUS, memor insidiarum, quas antea jam struxerant Judæi (XXIII, 15), dixit: Hic, apud te, Cæsaris Procuratorem, *sto coram tribunali Cæsaris:* hic me, civem Romanum, oportet judicari; nec de jure meo recedo. — MELIUS quam noscere fingis, *melius* quam tua illa interrogatio indicare videtur. Paulus, sua fretus innocentia, cum sancta loquitur audacia, innuens Festum tale quid ab ipso petere non debuisse.

11. DONARE, χαρισασθαι, germ. *preisgeben*: nota vim haud parvam esse in hoc verbo: agitur *jus* et *justitia* hic, non *gratia* Judæis præstanda; intelligisne, Feste? Verumtamen, cum Paulus timeat ne præses, iniquus ille judex, id perficiat, aperte et solemni ratione Cæsarem appellat. Appellatio autem scriptis vel voce fieri poterat: „Si apud acta appellaverit, satis est si dicat: Appello! (Mac. L. 49, tit. 1, 2).“ Cæsarem autem appellare in tali casu licebat per leges Romanas, quia vetitum erat civem Romanum invitum provincialibus hominibus tradere judicandum.

appello. * Tunc Festus cum concilio locutus, respondit: Cæsarem 12
appellasti? ad Cæsarem ibis.
* Et cum dies aliquot transacti essent, Agrippa rex et 13
Bernice descenderunt Cæsaream ad salutandum Festum. * Et 14
cum dies plures ibi demorarentur, Festus regi indicavit de
Paulo, dicens: Vir quidam est derelictus a Felice vinctus,
* de quo cum essem Jerosolymis, adierunt me principes sacer- 15
dotum, et seniores Judæorum, postulantes adversus illum da-
mnationem. * Ad quos respondi: Quia non est Romanis consuetudo 16
damnare aliquem hominem priusquam is, qui accusatur, præsen-
tes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda
crimina. * Cum ergo huc convenissent sine ulla dilatione, 17
sequenti die sedens pro tribunali, jussi adduci virum. * De quo, 18
cum stetissent accusatores, nullam causam deferebant, de quibus
ego suspicabar malum: * quæstiones vero quasdam de sua 19
superstitione habebant adversus eum, et de quodam Jesu de-

Ill. Beelen, post *Grotium, putat appellationem Pauli factam fuisse sub conditione: Si Synedrii judicio me permittere velis. Sed præfero verba sumere ut jacent, de appellatione absoluta. Apostolus causam cum Procuratoribus, coram Judæis et in Judæa (ubi semper insidiæ timendæ erant), jam satis nimiumque egerat, ut tandem cuperet ab istis sese liberare; satis diu etiam in carcere detentus fuerat et a labore sacro impeditus, ut exoptaret conditionis mutationem, velletque sortem suam in alterutram partem, vel per absolutionem vel per condemnationem, decerni. Præterea, novimus ipsum aliunde desiderare Romam ire: diu jam spem illam nutriebat (XIX, 21), et eam implendam esse expresse ei promiserat Dominus (XXIII, 11).

12. Ibis. Appellans, si certo jure usus fuerat, Romam mittendus erat, paucis tantum exceptis casibus, v. gr. seditionis vel sceleris ipso facto deprehensi. Igitur Præses, postquam de Pauli negotio per momentum cum conciliariis suis deliberasset, respondit: Cæsarem etc.

13. Agrippa, sc. II, filius Herodis Agrippæ de quo cap. XII. Vide schema ad XII, 1. Bernice, vel *Berenix*, soror Agrippæ, quocum parum caste vivebat, secundum multorum suspicionem (Jos. *Ant.* 20, 7, 3).

16. Damnare: χαριζεσθαι, damnare ut gratia alicui præstetur (proprie *donare*).

18. De quibus ego suspicabar malum. *Malum* videtur glossema; codd. AC habent πονηραν *malam;* vero BE πονηρων *malorum*. Igitur deleta voce *malum*, sensus est: *de quibus ego suspicabar eum accusandum fore.*

19. Superstitione: δεισιδαιμονια; coram rege Judæo callide utitur voce quadam ambigua, quæ bono vel malo sensu sumi potest: cf. cap. XVII, 22. —

20 functo, quem affirmabat Paulus vivere. * Hæsitans autem ego de
hujusmodi quæstione, dicebam si vellet ire Jerosolymam, et ibi
21 judicari de istis. * Paulo autem appellante ut servaretur ad
Augusti cognitionem, jussi servari eum, donec mittam eum ad
22 Cæsarem. * Agrippa autem dixit ad Festum: Volebam et ipse
hominem audire. Cras, inquit, audies eum.
23 * Altera autem die, cum venisset Agrippa et Bernice cum
multa ambitione, et introissent in auditorium cum tribunis, et
viris principalibus civitatis, jubente Festo, adductus est Paulus.
24 * Et dicit Festus: Agrippa rex, et omnes, qui simul adestis
nobiscum viri, videtis hunc, de quo omnis multitudo Judæorum
interpellavit me Jerosolymis, petentes et acclamantes non opor-
25 tere eum vivere amplius. * Ego vero comperi nihil dignum morte
eum admisisse. Ipso autem hoc appellante ad Augustum, judicavi
26 mittere. * De quo quid certum scribam domino, non habeo.
Propter quod produxi eum ad vos, et maxime ad te, rex Agrippa,
27 ut interrogatione facta habeam quid scribam. * Sine ratione
enim mihi videtur mittere vinctum, et causas ejus non significare.

III. Paulus coram Agrippa causam dicit: cap. XXVI.

Summarium. Oratio Pauli apologetica, qua probat se non esse Legis inimicum. In exordio, benevolam Agrippæ attentionem captat (2, 3). Se jam defendit, 1° narrando vitam suam religiosam (4-8); 2° suas contra christianos persecutiones (9-11); 3° miraculosam conversionem (12-18); 4° deinde prædicationem Evan-

---

Vivere sc. a mortuis revocatum. Ex verbis Festi colligimus, in præcedentibus actis sermonem factum fuisse de rebus plurimis quas Lucas non retulit.

20. Veram rei causam fateri non audet iste.

21. Servari in custodia. — Mittam pro *mitterem*: ab oratione indirecta ad directam transit. Ejusmodi constructio apud s. Lucam sæpe occurrit.

22. Volebam: εβουλομην, *vellem*, si fieri posset. Imperfectum illud indicativi, quod sæpe in tali casu adjunctum habet αν, non plane idem significat atque optativum βουλοιμην αν, quod vertendum esset *velim*, et diceretur de re quam certo fieri posse crederemus. Videsis Beelen, *Gramm. græc. N. T.* § 42, 2.

23. Ambitione, φαντασια, *ostentatione*; et hoc quidem in eadem illa civitate, in qua, 18 circiter annis antea pater eorum tam misere mortuus erat (XII, 23): inde prodit se eorum levitas ac vanæ gloriæ cupiditas.

26. Domino, Imperatori: hoc autem honoris nomen proprie diis tantum dabatur (Tac. *Ann.* 2, 87); ideo ab Augusto et a Tiberio assumptum non fuit umquam, bene vero ab eorum successoribus.

gelicam (19-21): qua non destruitur, sed perficitur lex Mosaica (22, 23). Festus exclamat eum insanire (24); sed Paulus, id negans, Agrippam compellat (25-27), qui quæstionem fugitat (28, 29). Omnes tamen Pauli innocentiam agnoscunt (30-32).

* Agrippa vero ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro 1
temetipso. Tunc Paulus extensa manu cœpit rationem reddere.
* De omnibus quibus accusor a Judæis, rex Agrippa, æstimo 2
me beatum apud te cum sim defensurus me hodie, * maxime te 3
sciente omnia, et quæ apud Judæos sunt consuetudines, et
quæstiones: propter quod obsecro patienter me audias. * Et 4
quidem vitam meam a juventute, quæ ab initio fuit in gente
mea in Jerosolymis, noverunt omnes Judæi : * præscientes me ab 5
initio (si vellent testimonium perhibere) quoniam secundum
sectam certissimam nostræ religionis vixi Pharisæus. * Et nunc in
spe, quæ ad patres nostros repromissionis facta est a Deo, sto judicio

---

1. Permittitur tibi : prudenter et callide dictum fuit, loco *Ego tibi permitto*, quod Procuratorem offendere potuisset.

2. Nunc primum eventu confirmatur quod Jesus Paulo prædixit, fore ut coram *regibus* (IX, 15) nomen suum prædicaret. Oratio vere regalis, animum nobilem, fortem, generosum et fere lætum spirans tota.

3. Captat benevolentiam, sine adulatione tamen aut mendacio, namque Agrippa ob accuratam legis notitiam etiam in Talmude laudatur.

4. Quidem : μεν ουν transeuntis particulæ : a prooemio ad ipsam sui defensionem jam transit Apostolus; quasi diceret : nunc antem, ut ad rem veniam, etc.

5. Præscientes : προγινωσκοντες, *scientes jam dudum* (προ) videlicet ab initio vitæ (Fl. *Mij vooraf gekend hebbende van in het begin mijns levens*). Ex his colligimus Paulum a teneris annis Hierosolymis educatum fuisse : cf. XXII, 3. — Si vellent, potius *si velint* (θελωσιν) : hoc addit, quia eos parum sinceros esse satis jam expertus erat. — Quoniam, pendet a *noverunt*, hoc modo : noverunt quod... vixerim. — Certissimam : ακριβεστατην, *accuratissimam, rigidissimam*, i. e. quæ legem Mosaicam religiosissime interpretatur atque observat.

6, 7. Paraphrasis. *Et nunc sto judicio subjectus propter spem* (*in spe*, gr. επι cum dat., cf. Matth. XIX, 9) *venturi Messiæ, qui olim a Deo majoribus nostris fuit promissus, in cujus adventum omnes Israelitæ sperant, et ob cujus exspectationem in cultu Dei constanter perseverant. Et ego accusor a Judæis, quia Messiam illum jam venisse doceo, dum Jesum a mortuis suscitatum verum Messiam profiteor.*

In spe quæ ad patres etc. Quidam interpretes hoc de *spe resurrectionis* explicant, quasi Apostolus velit ostendere, dogma de carnis resurrectione,

7 subjectus : * in quam duodecim tribus nostræ, nocte ac die
deservientes, sperant devenire. De qua spe accusor a Judæis,
8 rex. * Quid incredibile judicatur apud vos, si Deus mortuos
9 suscitat? * Et ego quidem existimaveram, me adversus nomen
10 Jesu Nazareni debere multa contraria agere. * Quod et feci

---

de quo principaliter accusabatur (cf. XXIV, 21), non sibi suæque sectæ proprium, sed toti genti commune et fide omnino dignum esse, utpote ab ipso Deo in Scripturis assertum. Sed huic sententiæ obstat, doctrinam de resurrectione non adeo perspicue in vetere Testamento exponi, ut tanta sermonis vi de ea mentio fieret. Hoc tamen moneo, duplex doctrinæ caput, de Jesu Messia et de mortuorum resurrectione, quorum prius omnibus Judæis, posterius vero Sadducæis adversabatur, in Paulina prædicatione arcte connexum, quum Jesum ut verum Messiam nuntiare non potuerit, nisi prius eum a mortuis surrexisse affirmaverit et demonstraverit.

Repromissionis, junge cum voce *spe.* — A Judæis : quæ quidem verba in fine phraseos vim habent magnam : *Judæi* me accusant de re quæ *Judæis* omnibus semper optatissima fuit!

8. Quum Paulus nuntiabat Israelis spem impletam esse, Messiamque advenisse, nempe Jesum Nazarenum, simul affirmabat hunc Jesum ad vitam rediisse; ob hoc autem ultimum doctrinæ caput accusabatur, et ab omnibus Judæis, qui veritatem facti negabant, et specialiter a Sadducæis qui factum illud *a priori impossibile* habebant : imo vero ethnici, quotquot erant ibi in cœtu, Sadducæis certe assentiebantur, et prædicatam illam Jesu resurrectionem irridebant. Ideo Apostolus omnes præsentes (vos) interpellat fidenter, atque cum vi sermonis concitata quasi triumphans exclamat : Quid incredibile etc.? Beelen quidem conjicit hæc verba dirigi ad accusatores Pauli Sadducæos: sed obstat pron. vos, sensu obvio et naturali intellectum; loquitur enim ad regem, præsidem ceterosque præsentes, neque accusatores Pauli videntur huc fuisse convocati. Præterea, nusquam dicitur ejus accusatores jam *solos* fuisse Sadducæos; quin imo contrarium potius innuitur (XXV, 2, 15, 24). Verum quidem est Pharisæos in casu quodam particulari (XXIII, 6 et 7) Paulum defendisse, sed tunc tantum quando adversus Sadducæos pugnabant : mox utraque secta contra inimicum communem (contra Paulum et contra christianam religionem quam ille prædicabat) conspiravit, sicut fieri solet inter homines malos, et sicut contra Jesum factum fuisse abunde testatur Evangelium. Ergo *quid incredibile judicatur apud vos?* referimus ad omnes ibi adstantes, quasi diceret Paulus : Quis ex vobis, quiscumque sit, Judæus vel Romanus, contendere ausit Deo potestatem non esse mortuos suscitandi si velit? Dicit *suscitat* in temp. præs., quia non cogitat aliquod factum in specie, sed de potentia Deo propria loquitur, ergo veritatem generalem exprimit.

9. Contraria, hostilia.

10. Sanctorum, christianorum, qui in novo Testamento passim dicuntur

Jerosolymis, et multos sanctorum ego in carceribus inclusi,
a principibus sacerdotum potestate accepta: et cum occiderentur,
detuli sententiam. * Et per omnes synagogas frequenter puniens 11
eos, compellebam blasphemare: et amplius insaniens in eos,
persequebar usque in exteras civitates. * In quibus dum irem 12
Damascum, cum potestate et permissu principum sacerdotum,
* die media, in via vidi, rex, de cœlo supra splendorem solis 13
circumfulsisse me lumen, et eos, qui mecum simul erant. * O- 14
mnesque nos cum decidissemus in terram, audivi vocem loquentem
mihi Hebraica lingua: Saule, Saule, quid me persequeris? durum
est tibi contra stimulum calcitrare. * Ego autem dixi: Quis es, 15
Domine? Dominus autem dixit: Ego sum Jesus, quem tu perse-
queris. * Sed exsurge, et sta super pedes tuos: ad hoc enim 16
apparui tibi, ut constituam te ministrum, et testem eorum, quæ

---

sancti, quia per Baptismum sanctificati, vi nempe gratiæ sanctificantis quam acceperunt, ad vitam sanctam vocantur, et ad eam per gratias actuales adjuvantur, ut tandem *Sancti* κατ' εξοχην in cœlesti gloria evadant.

Et cum occiderentur: sunt qui ex plurali concludant alios christianos præter s. Stephanum tunc occisos fuisse; sed certo legitima non est conclusio. Etenim forsitan pluralis est qui vocatur *genericus* seu *categoricus*, de uno tantum Stephano: hujusmodi pluralis adhibetur, quando scriptor *generatim* loquitur, et *genus* rerum aut personarum magis quam *numerum* attendit. Ex. vide Matth. II, 20. — Detuli sententiam, *ψηφον*, *calculum, suffragium;* quod proprie de judicibus dicitur; sed hic, per catachresin, sign. *consentiebam* ημην συνευδοκων, ut ait ipse Paulus cap. XXII, 20.

11. Omnes synagogas: plurimæ enim erant Hierosolymis, ut ex cap. VI, 9 erui potest. Puniens, nempe flagellis eos cædi jubens. Compellebam blasphemare adversus Jesum Nazarenum.

12. In quibus rebus quum essem etc.; cf. XXIV, 18. — Historiam conversionis s. Pauli cap. IX, 3-9 explicavimus.

14. Hebraica lingua: innuitur, quod per se et aliunde veri omnino simile est, Paulum hic græce locutum fuisse.

16. Ut constituam te ministrum etc.: quæ Dominus Saulo de vocatione ejus apostolica per Ananiam nuntiavit (XXII, 14 sq., coll. IX, 15 sq.), hæc sibi a Jesu in apparitione prima directe dicta fuisse hic refert Paulus, quia res ita exposita ethnicos magis movere nata erat (coram Judæis melius erat loqui de interposita persona viri Judæo-christiani piissimi: cf. XXII, 1): veritatem tamen minime lædit, quia Ananias nomine Jesu, a quo ipse *immediatam* acceperat revelationem, loquebatur. — Et eorum quibus: *quibus* loco *propter quæ*, per græcismum: nam græce est ὧν pro ἁ, pro δι ἁ. Apparebo tibi: ergo novæ ei promittuntur revelationes: cf. IX, 23 coll. 2 Cor. XII, 1 sq.

17 vidisti, et eorum, quibus apparebo tibi, * eripiens te de populo,
18 et gentibus, in quas nunc ego mitto te, * aperire oculos eorum,
ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate satanæ ad
Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter
19 sanctos per fidem, quæ est in me. * Unde, rex Agrippa, non fui
20 incredulus cœlesti visioni : * sed his, qui sunt Damasci primum,
et Jerosolymis, et in omnem regionem Judææ, et Gentibus
annunciabam, ut pœnitentiam agerent, et converterentur ad
21 Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. * Hac ex causa me
Judæi, cum essem in templo, comprehensum tentabant interfi-
22 cere. * Auxilio autem adjutus Dei, usque in hodiernum diem sto,
testificans minori atque majori nihil extra dicens, quam ea, quæ
23 Prophetæ locuti sunt futura esse, et Moyses, * si passibilis
Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annun-
ciaturus est populo, et Gentibus.
24 * Hæc loquente eo, et rationem reddente, Festus magna voce

---

17. Eripiens te, ubi opus fuerit, e morte, non e periculis et persecutionibus.

19. Non fui incredulus, απειθης: ergo potuisset, si voluisset, non obedire voci Domini: ergo gratia, quantumvis efficax, neminem cogit nec liberum hominis arbitrium tollit.

20. Annuntiabam ut pœnitentiam agerent. Clarius ex græco: *annuntiabam oportere ut pœnitentiam agerent*, i. e. resipiscerent, animi pravitatem mutarent (μετανοειν). Animadverte in hujusmodi Scripturæ locis, in quibus injungitur *pœnitentia*, proprie non significari corpus per voluntariam afflictationem castigandum esse, sed a peccatis operibusque malis abstinendum.

22. Sto, incolumis subsisto, testificans, i. e. assidue prædicans Evangelium minori atque majori, sine discrimine omnibus; nihil *docens* extra ea quæ etc. — Testificans, μαρτυρομενος (verbum medium): ita legimus cum ABGH Sin., Vulg. etc. Recedimus igitur a lectione textus *Recepti*, qui habet μαρτυρουμενος; quod sic explicatur a quibusdam: *a minore et majore mihi redditur testimonium*; sed huic obstat dat. τῳ μικρῳ; si enim in sensu passivo adhibitum fuisset verbum, Lucas scripsisset ὑπο του μικρου.

23. Si passibilis (ει pro ὁτι *quod*, ut supra v. 8 huj. cap.) etc.: docens Christum secundum prophetarum oracula pati debuisse, eumdemque *primum* a mortuis surrexisse (*primum*, quo sensu, cf. annot. nostr. in Col. I, 18 et 1 Cor. XV, 23), et veritatis *lumen* Judæis gentilibusque *nuntiasse*. — Passibilis: παθητος, melius *passionibus subditus, qui passurus est*. Populo, Judæis.

24. Festus, utpote ethnicus, hæc (præsertim quæ dixit Paulus de cœlesti

dixit: Insanis, Paule: multæ te litteræ ad insaniam convertunt.
* Et Paulus: Non insanio (inquit), optime Feste, sed veritatis, et 25
sobrietatis verba loquor. * Scit enim de his rex, ad quem et 26
constanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror. Neque
enim in angulo quidquam horum gestum est. * Credis rex 27
Agrippa prophetis? Scio quia credis. * Agrippa autem ad 28

---

apparitione, et de viro a morte revocato) tamquam deliramenta habuit (cf. 1 Cor. I, 23), et orationem interrupit. INSANIS etc.: Festus serio loquitur (ut vel ex additis verbis *magna voce* colligitur), non per ironiam. LITERÆ: sensus non est *multi libri quos legisti*, sed *multa tua doctrina et scientia*, germ. *Gelehrsamkeit.*

25. OPTIME: κρατιστε, nomen honorificum: *illustris, præstantissime, nobilissime vir:* germ. *hochedler.* Cum reverentia quidem, sed firmo simul modo respondet. SOBRIETATIS: σωφροσυνης, *sanæ mentis.*

26. SCIT ENIM *ista* REX, AD QUEM ideo *etiam*, minime metuens ne me pro insano habeat, CONSTANTER, *fidente animo* (παρρησιαζομενος, flandrice *vrijmoedig*) LOQUOR, tamquam ad eum, qui novit me vera dicere; *nam persuadere mihi non possum eum latere quidquam eorum* quæ narro, nempe de Jesu morti tradito et ad vitam revocato; NEQUE ENIM *res* IN ANGULO *est*, sed Hierosolymis, in propatulo.

27. Interrogat ex abrupto, cum impetu et pernicitate: CREDISNE, REX AGRIPPA, PROPHETIS? (obiter nota nomen *rex* in hac oratione a Paulo sæpissime adhiberi, quasi sancte glorietur se posse Jesum prædicare regibus). Statimque ipsemet interrogationi respondet, velut triumphans: *Scio te credere.* Vult fortasse eum inducere ad agnoscendum Jesum tamquam Messiam a Prophetis prædictum; sed, quum responsum fugitet Agrippa, Apostoli ratiocinatio imperfecta manet.

28. IN MODICO: εν ολιγῳ idem ac επ' ογιγον, vel παρ' ολιγον, i. e. *propemodum, parum abest quominus* etc. (s. Chrysost.); alii supplent λογῳ, *in modico sermone* (ut Ephes. III, 3), *paucis verbis*; aliqui opinantur mente reticeri vocabulum χρονῳ, *tempore*, hoc sensu: *pauco tempore* SUADES ME CHRISTIANUM FIERI! Verum hæc ultima explicatio non valet, quia versu sequente legendum est, testibus AB Sin., Vulg. etc., μεγαλῳ, non autem πολλῳ ut habet textus *Receptus:* atqui, si Lucas de tempore loqui voluisset, scripsisset πολλῳ.

Hæc serio et recto animo dicta non fuerunt, ut patet tum ex nomine *christianus*, quod, ut supra XI, 26 diximus, tunc in malam partem sumebatur, atque in ore viri Judæi *sectam* indicabat; tum etiam ex eo quod Agrippa statim profectus sit (v. 30). Multi vident hic acerbam ironiam a rege ideo adhibitam quod Pauli inopinatam interpellationem, coram tot adstantibus, qui potuissent eum habere minus alienum ab ignominioso christianorum nomine, factam, ægre tulerit. Ego vero opiner verba illa dicta fuisse in eumdem fere finem, in quem Pilatus ad similem Jesu sermonem respondit: *Quid est veritas?* Nempe voluit Agrippa per verba quædam leviter

29 Paulum: In modico suades me christianum fieri. * Et Paulus:
Opto apud Deum, et in modico et in magno, non tantum te, sed
etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis et ego sum,
exceptis vinculis his.
30 * Et exurrexit rex, et præses et Bernice. et qui assidebant
31 eis. * Et cum secessissent, loquebantur ad invicem, dicentes:
Quia nihil morte aut vinculis dignum quid fecit homo iste.
32 * Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non
appellasset Cæsarem.

§ 7. *Paulus Romam captivus ducitur, ibique per biennium detinetur.* Cap. XXVII-XXVIII.

I. Navigatio in Cretam. Tempestas sævissima. Naufragium prope insulam Melitam. Cap. XXVII.

Summarium. Paulus, in Italiam cum aliis captivis navigans, Sidonem vehitur (1-3), unde ad latus Cypri deducitur Myram; postmodum in Cretam (4-8), ubi suadet exspectare tempus quo navigatio minus periculosa sit (9, 10). Solvunt nihilominus (11, 12), sed mox, orta tempestate, in extremo periculo versantur (13-20). Omnes animat Apostolus, prædicens naufragium quidem futurum esse, neminem vero periturum (21-26). Postquam ventorum impetu diu abrepti fuissent, terræ appropinquantes, anchoras

---

contumeliosa a se removere effectum quem ex vehementi illa Pauli interrogatione expertus fuerat, simulque auditoribus ostendere se novæ religioni haud favere; ac tandem per istam animadversionem paululum jocosam finem imponere sermonibus Pauli, quippe qui satis periculosi et pungentes fierent.

29. Opto apud Deum: ευξαιμην αν τῳ Θεῳ, *Deum precari velim, ut,* sive parum sive multum nunc absit (vel, secundum aliorum explicationem, *sive paucis, sive multis verbis ad id opus sit*) etc. Festivum sane atque lepidum Pauli responsum, ex animo fortissimo elicitum! Ex eo etiam duo colligimus Apostoli sensa præclara: hinc quidem quam intima et quam firma esset ejus persuasio de veritate fidei christianæ; illinc vero, quam vehemens quamque generosus esset amor ejus in proximum, et quantopere cuperet animas salvare.

31. Fecit: vera lectio habet tempus præsens πρασσει, quod agendi rationem Pauli universam indicat: fl. *die man doet niets dat straf verdient.*

32. Causa per appellationem ad superiorem devolvitur, cui integra servanda est negotii cognitio: quare, facta semel appellatione, reus a judice inferiore damnari aut absolvi jam non potest.

mittunt (27-29). Impedit Paulus ne nautæ cum scapha aufugiant (30-32); deinde hortatur omnes ut cibum capiant (33-38). Navis in loco arenoso illiditur (39-41). Quum autem milites captivos occidere statuant (42), consilium illud prohibet centurio (43). Omnes, partim natando, partim tabulis utendo, ad terram incolumes evadunt (44).

* Ut autem judicatum est navigare eum in Italiam, et tradi 1
Paulum cum reliquis custodiis centurioni nomine Julio, cohortis
Augustæ, * ascendentes navem Adrumetinam, incipientes navi- 2
gare circa Asiæ loca, sustulimus, perseverante nobiscum Ari-

---

1. Paraphr. *Quando autem decretum fuit ut navigaremus* (loco *eum*, in omnibus codicibus græcis legitur ἡμας, *nos*) *in Italiam*, i. e. quando definitum fuit quo tempore et qua opportunitate institueretur iter quod in Italiam facere oportebat, *tradiderunt Paulum, cum quibusdam aliis vinctis* etc. Græce τινας ἑτερους δεσμωτας: nota ἑτερους non αλλους, ergo *alterius generis*, non christianos. Veri admodum simile est vinctos fuisse plurimos (certe expectabatur donec plures simul Romam mittendi essent), inter quos facile suspicamur fuisse nonnullos Sicariorum duces aliosve insignes seditiosos, Læsæ-Majestatis reos (historia Palæstinæ ista ætate hoc menti suggerit).

S. Lucas, qui, dum Paulus Cæsareæ captivus tenebatur, Hierosolymis vel saltem in urbis vicinia remansit (XXI, 15), jam rursum Apostolo comitem se adjunxerat (*navigare nos*). — Cohortis Augustæ. Variæ sunt interpretum sententiæ circa illam cohortem *Augustam*. Plures putant Julium fuisse centurionem cohortis *Augustanorum* proprie dictæ, quæ Romæ ipsam Imperatorum personam custodiebat; eumque ob causam ignotam in Judæam missum fuisse, Festum autem opportuno ejus reditu in Urbem usum fuisse ut vinctos ad Cæsarem mitteret. Alii censent in unaquaque legione unam fuisse cohortem quæ honoris causa nomen *Augustæ* gereret. Alii aliter.

2. Navem. In illa ætate non erant naves quæ statis temporibus iter Italiam inter et Asiam conficerent; ideoque oportebat exspectare opportunam occasionem navis mercatoriæ vel onerariæ: jam vero, Cæsaream nunc advenerat navis Adrumetina, ait Vulgata, i. e. ex Adrumeto, in litore Africæ. Vera autem lectio est *Adramyttenam*, ex Adramyttio, civitate maritima Mysiæ, in imo sinu, contra insulam Lesbum, sita. Ista autem navis *debebat navigare* (πλοιῳ μελλοντι πλειν, vera lectio AB Sin., syr. etc.): Vulgata legit μελλοντες cum GH et s. Chrys., sed non omnino accurate vertit circa Asiæ loca. — πλειν τους κατα την Ασιαν τοπους (πλειν verb. transit.), *navigando attingere loca quæ sunt secus Asiam*, secus litus Asiæ-Minoris. Igitur navis Adramyttium, in patriam suam, redibat, et vinctos illos, qui Romam petebant, adductura erat in portus varios Syriæ et Asiæ-Minoris (erat enim

3 starcho Macedone Thessalonicensi. * Sequenti autem die devenimus Sidonem. Humano autem tractans Julius Paulum, permisit
4 ad amicos ire, et curam sui agere. * Et inde cum sustulissemus, subnavigavimus Cyprum, propterea quod essent venti contrarii.
5 * Et pelagus Ciliciæ et Pamphyliæ navigantes, venimus Lystram,
6 quæ est Lyciæ: * et ibi inveniens centurio navem Alexandrinam
7 navigantem in Italiam, transposuit nos in eam. * Et cum multis

---

navis circumvectionis, *un bateau de cabotage*), ubi veri similiter inveniretur alia navis major (gall. *un vaisseau de long cours*), quæ commercium cum Italia exerceret. Quod quidem, ut videbimus v. 6, eventu confirmatum fuit. Navigatio autem ad finem æstatis incepta fuit, adeo quidem ut ante hiemem Romam advenire sperarent : hoc ex v. 9 huj. cap. colligitur. — Aristarcho, de quo Act. XIX, 29; XX, 4; Philem. 24; Col. 4, 10.

3. Julius humane tractavit Paulum, quem statim novit ab aliis vinctis longe diversum esse, de quo etiam verisimiliter Procurator Festus bonum testimonium dederat. Ad amicos ire, certe ad christianos : ipsum tamen absque dubio comitabatur miles tamquam custos. Navis sane in illa civitate merces quasdam deponere vel accipere debebat, ac Paulo licentia concessa fuit ut interea temporis apud amicos sese reficeret. Curam sui agere, επιμελειας τυχειν, potius : *eorumque cura frui.*

4. Subnavigavimus Cyprum : juxta oram insulæ orientalem navigavimus, eam ad lævam nostram relinquentes (flandrice : *wij vaarden onder Cyprus heen*); cum debuissent, si venti non fuissent contrarii, altum mare tenere, recta petentes Myram, adeoque ad oram Cypri meridionalem appropinquantes, eamque insulam deinde ad dextram relinquentes. Venti isti flabant ex occidente et ex cauro (*Nord Ouest*), qui ad finem æstatis ibi sunt frequentes : ergo plane contrarii erant. Cum autem subnavigarent Cypram, eam ad sinistram habentes, aliquatenus tutati erant adversus ventos istos. Deinde in mari Ciliciæ et Pamphyliæ secunda aqua ferebantur (*le courant était avec eux*).

5. Pelagus Ciliciæ, το κατα την Κιλικίαν, mare quod est contra (*langs*) Ciliciam. — Lystram. Tenenda est lectio *Myram* cum codd. CB, et vers., syriac. utraq., et Chrys , Hier., Theoph.; nam *Lystra* (quæ legitur in cod. A et Sinait., et vers. copt.) non ad maris litus, sed procul a mari, in Lycaonia sita erat : cf. XIV, 6. Myra autem erat quidem 20 stadiis (3,700^{m}) a mari remota, sed sita erat ad ripam fluvii qui navigia patiebatur.

6. Ibi inveniens etc. Myra, cum portu suo *Andriace*, videtur fuisse statio consueta navium Alexandrinarum, quæ, Italiam petentes propter commercium (frumenti præsertim), per ventos contrarios a recta via deflectere debebant.

7. *Paraphr.* Quum ventus (*le vent du Nord-Ouest*) non permitteret ut inde (a peninsula Gnido vel Cnido, *la pointe Sud Ouest de la Carie*) recta via iter pergeremus occidentem versus (ibi enim perdebant beneficium aquæ secun-

diebus tarde navigaremus, et vix devenissemus contra Gnidum,
prohibente nos vento, adnavigavimus Cretæ juxta Salmonem:
* et vix juxta navigantes, venimus in locum quemdam, qui vo- 8
catur Boniportus, cui juxta erat civitas Thalassa.

* Multo autem tempore peracto, et cum jam non esset tuta 9
navigatio, eo quod et jejunium jam præteriisset, consolabatur eos
Paulus, * dicens eis: Viri, video quoniam cum injuria, et multo 10
damno non solum oneris, et navis, sed etiam animarum nostra-
rum incipit esse navigatio. * Centurio autem gubernatori et 11
nauclero magis credebat, quam his, quæ a Paulo dicebantur.

---

dæ, *l'avantage du courant*, et, in apertum mare Ægæum intrantes, omnem vim venti adversi patiebantur) : coacti sumus descendere ad meridiem, et præterlegimus promontorium orientale Cretæ, quod *Salmone* vocatur.

8. Boniportus : hodiedum vocatur Λιμεονες Καλους. Thalassa, corrupte, ut jam testatus est s. Hier. (*De loc. Hebr.*) pro *Lasea* (cod. B, vers. copt.), vel *Lasœa* (cod. GH, vers. syr. philox., Chrys., Theoph.), vel *Lassœa* ut habet textus *Receptus*. Civitas est ceteroquin ignota, ad litus orientale Cretæ.

9. Multo tempore peracto, vel ibi in Boniportu (ubi diu manserunt, quia, si progressi fuissent, et promontorium *Matalæ* præteriissent, omnem vim venti contrarii *cauri* experti fuissent); vel, secundum opinionem aliorum, multo tempore peracto ab initio navigationis : et re quidem vera, a Sidone usque ad Cnidum facile transiit unus mensis, et a Cnido usque ad Boniportum hebdomas una.

Jejunium. Judæis mos erat ut certa anni tempora a diebus festis celebrioribus indicarent : quod hic etiam facit s. Lucas. Jejunium autem intelligitur κατ'ἐξοχην, seu *Magnum*, quod dicebatur etiam *dies expiationis*, quodque in decimum diem mensis septimi seu *Tischri* incidebat. Porro, mensis ille apud nos respondet dimidiæ parti Septembris et Octobris : ergo æquinoctium autumni jam præterierat : qua quidem anni tempestate veteres navigationem sistere solebant usque ad medium mensem Martium, propter maris pericula. — Cf. Levit. XVI, 29 sq. et XXIII, 27 sq. ubi de die expiationis : pariter apud Jos. *Ant.* 17, 6, 4.

Consolabatur : παρῃνει, *admonebat*; significatio *consolari* hic non est ad rem.

10. Injuria tempestatum. — Animarum, vitarum nostrarum. Incipit esse : μελλειν εσεσθαι, *jam futura sit.* Paulus certe loquebatur ex divino quodam instinctu, ac præterea ex multa experientia *periculorum in mari* (2 Cor. XI, 26). Ceterum, cum viro vincto permitteretur ut in re tanti momenti suum daret consilium, satis liquet ipsum apud omnes socios jam summam adeptum fuisse auctoritatem.

11. Nauclero (a ναυς, *navis* et κληρος, *sors, hereditas, possessio*), navis domino.

12 * Et cum aptus portus non esset ad hiemandum, plurimi statuerunt consilium navigare inde, si quomodo possent, devenientes Phœnicen, hiemare, portum Cretæ respicientem ad africum, et
13 ad corum. * Aspirante autem austro, æstimantes propositum se
14 tenere cum sustulissent de Asson, legebant Cretam. * Non post
multum autem misit se contra ipsam ventus typhonicus, qui

---

12. Plurimi : οἱ πλειους, melius *plerique, la plupart.* — Ad africum et ad corum : gall. *vers le Sud-Ouest et le Nord-Ouest.* Sed difficultas est in eo quod portus ille non videatur fuisse aptus ad hiemandum, si expositus fuisset vento africo et vento coro. Ideo *W. Smith, (*N. T. history*) verba *respicientem ad africum et ad corum* sumit quasi dicta a nautis (a quibus Lucas istud certe audierit), qui, si e nave respiciunt portum illum, ventum africum et ventum corum in faciem suam excipiunt; vel, qui ad africum et corum oculos convertere debent, cum portum illum intueri volunt : ergo sensus esset, portum Phœnicem tutatum fuisse contra ventum africum et corum. Tunc, ait, situs illius portus plane convenit cum hodierno *Lutro*, ubi tantum, ex tota ora Cretæ meridionali, statio est quæ nautis semper tuta sit (utpote adversus ventus occidentales protecta).

13. Paraphrasis : *cum leniter flare cœpisset auster* (ὑποπνειν, *leniter flare*, vel, ut Vulgata, *aspirare, secundus esse*), *rati se propositum suum posse exequi, sublatis anchoris, Cretæ oram propius* (*propius* quam fieri solet : ασσον, comparativi rarior forma ab αγχι seu εγγυς, *prope;* interpres autem noster putavit esse nomen proprium loci, *Asson*) *legebant.* Ergo ventus, qui hactenus e coro flaverat (*du Nord-Ouest*), jam mutatus erat in austrum. — *Phœnix*, cujus portum petebant, erat occidentem versus (proprie *au Nord-Ouest*); ideoque ventus ille meridionalis, secundus erat potius quam contrarius.

14. Misit se contra ipsam (Cretam) : επεβαλε κατ'αυτης, quod melius vertitur : *ruit a litore* insulæ (certe a monte Ida descendens, ut hodiedum fit) *ad navem*, adeo ut eam in altum mare propelleret : κατα cum genit. *a, ab*, ut Matth. VIII, 32. Ventus enim euroaquilo non poterat *se mittere contra* litus insulæ meridionale. Ventus typhonicus, *turbulentus, procellosus* (a τυφων, *turbo*), qui vocatur Euroaquilo (flandrice *de noord-Oost storm;* strictius, sec. Bisp., *Ost-Nord-Ostwind*). Loco *Euroaquilo*, quod est in codd. AB* et Sinait., legitur *Euroclydo* (ευρυς *latus* et κλυδων *fluctus*, qui latos fluctus movet) in codd. GHB**, et in verss. syr. utraq., apud Chrys., Theoph. etc. De cetero, nec voc. ευροακυλων, neque ευροκλυδων, apud ullum alium antiquitatis scriptorem reperitur.

Quæ narrat s. Lucas de vento isto Euroaquilone, subito irruente, diu persistente (der 14 dies v. 27), per modum typhonis (germ. *Wirbelsturm*, fl. *draaiwind, de varende vrouw*) flante, et post ventum meridionalem excitato; similiter ea quæ refert de cœlo per tantum temporis spatium nubibus densissimis cooperto (v. 20) et de pluvia gravissima qua absoluta fuit tempestas : hæc omnia et singula a navigatoribus nostræ ætatis, qui istum maris tractum frequentes percurrerunt, mirabili ratione confirmantur.

vocatur Euroaquilo. * Cumque arrepta esset navis, et non posset 15
conari in ventum, data nave flatibus, ferebamur. * In insulam 16
autem quamdam decurrentes, quæ vocatur Cauda, potuimus vix
obtinere scapham. * Qua sublata, adjutoriis utebantur, accingen- 17
tes navem, timentes ne in Syrtim inciderent, summisso vase sic

---

15. CONARI IN VENTUM, αντοφθαλμειν τῳ ανεμῳ, proprie *aspicere contra ventum*, i. e. resistere vento (confer gallic. *faire face à...*, ital. *far fronte a*), DATA NAVE, navem vento permittentes, FEREBAMUR quo tempestatis vis nos abriperet. Nihil autem, primis illis turbinis irruentis momentis efficere potuerunt ad resistendum ventis vel ad navis cursum dirigendum, propterea quod ex improviso per subitum typhonem abrepti fuerant; et tanta erat ventorum vis, ut omnis labor nauticus esset impeditus, donec post unam horam vel vel paulo plus (*à une distance de 6 lieues env.*) infra insulam quamdam pervenissent, ut explicabimus v. seq.

16. DECURRENTES : ὑποδραμοντες, *devecti infra parvam aliquam insulam* (νησιον τι); flandrice *onder een eilandje geloopen zijnde :* vi tempestatis infra oram meridionalem istius insulæ propulsi fuerunt; atque ibi, cum a vento Euroaquilone aliquantulum tuti essent, SCAPHAM, quæ ad puppim alligata erat et in mari fluctuabat, in navem sustulerunt (qua in re vectores nautas adjuverint : *potuimus*), non certe sine magna difficultate (ut solet in simili casu), eo vel magis quod scapha verisimiliter esset aquis repleta (POTUIMUS VIX OBTINERE). Nautæ, cum sperassent facile et brevi attingere Phœnicen, scapham in mari natantem reliquerant : nunc autem necesse omnino erat eam in navem attollere, ne propter nimiam tempestatem perderetur. Navis autem ista, quæ satis magna erat (276 homines portabat, præter onus frumentarium), videtur nonnisi unam habuisse scapham : quod sane mirum dici debet.

CAUDA, ut legitur in cod. B, in vers. syr., apud s. Hier., vel *Clauda*, ut in AGH, syr. philox., s. Chrys. etc. Apud auctores profanos utrumque nomen reperitur. Hæc autem insula admodum parva, prope Cretam, ad angulum lateris ejus australis et occidentalis, 20 milliariis a litore Cretæ, sita est.

17. ADJUTORIIS : hæc quænam fuerint, dicitur verbis ACCINGENTES NAVEM, ὑποζωννυντες το πλοιον, quorum sensus est : funibus vel catenis navem succingentes et alligantes (*de babord a tribord en passant sous la quille*), ad eam firmandam ne vi ventorum et fluctuum dissiliret. Nota veterum naves non tam solide quam nostras exstructas fuisse; deinde periculum ne earum compages frangeretur majus fuisse, propterea quod unus tantum in eis esset malus, cum velo quadrato et ingenti. Imprimis timendum erat ne tabulæ trabesque confringerentur, si navis in tractum arenosum incideret. Ideo addit Lucas : φοβουμενοι τε etc.

TIMENTES NE IN SYRTIM INCIDERENT, nimirum *Africanam* : nam græce est articulus την Συρτιν. *Syrtis* (a συρω, *traho;* vel, secundum alios, *a sert*, voce Arabica quæ significat *desertum*) est tractus maris arenosus (flandr. *zand-*

18 ferebantur. * Valida autem nobis tempestate jactatis, sequenti

---

bank). In litore Africæ duæ erant *Syrtes* valde periculosæ (apud veteres poetas *in Syrtim incidere* per figuram et quasi per proverbium dicebatur de summo periculo), quarum prior a Creta venientibus obvia, *Major* dicebatur.

SUMISSO VASE, το σκευος. *Vas* posset intelligi de quavis suppellectili nautica (vide not. Act. X, 11 de sensu lato vocis *vas*); hic autem absque dubio de velo dictum est, ut censet s. Chrys. qui interpretatur ιστια (flandr. *het zeilgetuig*). Porro velum summiserunt, ut navis lentius procederet, eamque minore vi abriperet ventus turbidinosus : hic enim, cum ab euroaquilone flaret, eam recta via in *Syrtim Majorem* propulisset.

SIC FEREBANTUR. Cave ne intelligas navem, sine ullo gubernaculorum usu aut nautarum conatu, segniter et stulte vento permissam fuisse; namque, ut statim monebam, in Syrtim recta delata fuisset : hoc sciebant nautæ et certe impedire conati sunt, quantum potuerunt. Igitur admittendum est navem in latus dextrum (ventum versus) inclinatam fuisse ope veli cujusdam quale in tempestatibus adhibetur, atque ejus proram ab Africa omnino aversam fuisse, utpote conversam fere ad septentrionem (angl. 1 *point W. of N. or N. by W.;* ergo 7 *points* seu 78 $^3/_4$ ° *of the wind E. N. E.*) : quo posito, sub impetu venti euroaquilonis navis ferebatur fere ad occidentem (proprie angl. *W. by N.*, gall. *O.* $^1/_2$ *N. O.*), ergo via rectissima in insulam Melitam (*Malte est juste à l'ouest* $^1/_2$ *nord-ouest de Cauda*). In hac autem positione navis facile processerit sesqui-milliarium ($^1/_2$ *lieue*) singulis horis, seu 36 mill. (12 *lieues*) singulis diebus, atque adeo post 14 dies ad litus Maltæ advenerit. Sed nautæ istud prævidere aut computare non poterant, quia nullum ipsis erat subsidium quo certam cœli regionem atque adeo meliorem directionem discernerent (vide v. 20) : ergo SIC FEREBANTUR sign. *incerti ferebantur quo eos impelleret ventus;* ab initio tamen istius cursus vitare conati fuerant ne in Africam projicerentur, eam videlicet adhibentes rationem quam statim explicavi.

18. JACTUM FECERUNT, non solum rerum omnium, quibus carere facile poterant, nempe supellectilis universæ, mensarum, scamnorum, lectorum etc.; sed etiam, quod probabilius est, jactum fecerunt mercium (gall. *la cargaison)* ad navem levandam, ne in arenas aut loca parum profunda impingeret. Sunt qui putent merces seu onus navis fuisse frumentum, idque tantum v. 38 ejectum fuisse; nunc autem intelligi res omnes quæ minus essent necessariæ. Sed hoc non admittimus: vide v. 38. Omnes prudentiæ regulæ requirebant ut primum projicerent rem inutilem seu supellectilem, deinde onus gravissimum, scil. merces, quibus navis erat onusta: ad vitam hominum salvandam solent res istæ facile relinqui. Quum tempestas persisteret, imo forte cresceret, die sequenti (v. 19) *navis armamenta* (ut malum, velum magnum cum antenna) projecerunt : hæc autem instrumenta, navigationi prorsus necessaria, servaverunt quamdiu potuerunt, seu quamdiu spes manebat fore ut, sedata procella, iter suum repetere vel in aliquem portum confugere possent.

die jactum fererunt : * et tertia de suis manibus armamenta navis 19
projecerunt. * Neque autem sole, neque sideribus apparentibus 20
per plures dies, et tempestate non exigua imminente, jam ablata
erat spes omnis salutis nostræ.
* Et cum multa jejunatio fuisset, tunc stans Paulus in medio 21
eorum, dixit : Oportebat quidem, o viri, audito me, non tollere
a Creta, lucrique facere injuriam hanc, et jacturam. * Et nunc 22
suadeo vobis bono animo esse : amissio enim nullius animæ erit
ex vobis, præterquam navis. * Astitit enim mihi hac nocte ange- 23
lus Dei, cujus sum ego, et cui deservio. * dicens : Ne timeas 24

---

19. ARMAMENTA NAVIS: την σκευην. Intelligimus, ut statim diximus, omnia instrumenta majora, quæ ad navem impellendam et dirigendam necessaria sunt, malum majorem, velum illud magnum cum antenna sua funibusque de quo v. 17 (non anchoras, ut ait Beel. in vers. flandrica, obstant v. 29 et 30): ita Vulgata, ut videtur. Sunt qui putent hic designari *navis suppellectilem*, puta *mensas*, *scamna*, *lectos* etc. Verum, ut v. 18 notabam, opiner ego ista, utpote minus cara minusque utilia, die præcedente jam ejecta fuisse.

PROJECERUNT, ut ABC et Sinait.; præfero tamen lectionem *projecimus* (GH, copt., syr. utraq., s. Chrys.), ideo præsertim quod additur αυτοχειρεις, *propriis manibus*. Auxilium vectorum certe requirebatur ad magnam illam antennam cum velo suo, de qua statim mentionem fecimus, projiciendam.

20. Quum nauticam pixidem acu magnetica instructam (gall. *la boussole*) non cognoscerent veteres, solis sideribus viam regere poterant. TEMPESTATE NON EXIGUA (*litotes*) *gravissima*, IMMINENTE, επικειμενον, *constanter incumbente*.

21. MULTA JEJUNATIO: in tali casu cibi pro more præpari ac statutis horis sumi nequeunt: nautæ die nocteque laborare debent, præsertim ut aquas hauriant. Præterea, terror magnus atque animi mœror causa sunt quare vectores a cibo abstineant, vel parum cibi sumant. — OPORTEBAT: flandrice loco imperfecti adhiberemus plusquamperfectum: *men had mijnen raad moeten volgen, en van Kreta niet afvaren.* — LUCRIFACERE HANC INJURIAM ET JACTURAM, *eas vitare*. Hæc autem dicit, non ut eos accuset et reprehendat, sed ut demonstret suis consiliis merito fidendum esse.

22. AMISSIO NULLIUS ANIMÆ ERIT EX VOBIS. *Animæ*, vitæ: nemo ex vobis peribit. — NAVIS (supple) *amissio*.

23. CUJUS SUM EGO ET CUI SERVIO: nota *cujus* et *cui* et *ego*; cum Paulus coram ethnicis loquatur, *suum* Deum singulariter significat, seque devotissimum ipsius cultorem, adeoque amicum, prædicat, eo certe fine ut majorem auditoribus ingerat fiduciam.

24. CÆSARI ASSISTERE: Καισαρι παραστηναι, *stare coram Cæsare*. Repetit Deus promissionem quam olim jam (XXII, 11) fecerat, eamque magis definit; ibi dicebatur: *Oportet te et Romæ testificari*, nunc additur testimo-

Paule, Cæsari te oportet assistere: et ecce donavit tibi Deus
25 omnes qui navigant tecum. * Propter quod bono animo estote,
viri: credo enim Deo, quia sic erit, quemadmodum dictum est
26 mihi. * In insulam autem quamdam oportet nos devenire.
27 * Sed posteaquam quartadecima nox supervenit, navigantibus
nobis in Adria, circa mediam noctem, suspicabantur nautæ
28 apparere sibi aliquam regionem. * Qui et summittentes boli-
dem invenerunt passus viginti : et pusillum inde separati,
29 invenerunt passus quindecim. * Timentes autem ne in aspera

---

nium illud *coram ipso Cæsare* faciendum esse. — Donavit tibi Deus omnes, omnes tui causa servabit. Inde discimus propinquitatem viri sancti causam esse felicitatis, ejusque preces valde utiles esse. Veri admodum simile est Paulum pro ipsorum salute Deum precatum fuisse.

26. Devenire: *εκπεσειν, incidere, impingere;* cf. supra v. 17. Hoc sane per divinam revelationem in visione illa didicerat.

27. Adria. Non intelligitur *sinus Adriaticus*, Italiam inter et Dalmatiam, qui nunc *mare Adriaticum* nominatur; sed, ex more loquendi veterum, ita vocatur mare inter Græciam, Italiam et Africam (Josephus *Vit.* 3 in eodem mari naufragium fecit). — Suspicabantur nautæ (quorum aures in istis rebus tam acres sunt et delicatæ) apparere sibi aliquam regionem; in plerisque codd. *προσαγειν τινα αυτοις χωραν, ipsis appropinquare continentem aliquam terram*: quod propter quoddam oculorum ludibrium dicitur. Hoc certe suspicantur ex audito strepitu fluctuum in litus ruentium. *Suspicari* eos ait Lucas, non *sperare*, quia litoris propinquitas noctu ipsis valde periculosa erat. Nota verbum *apparere*, quod nulla codicum auctoritate nititur, haud recte poni in Vulgata: namque nox erat et tenebræ.

28. Ut autem scirent num verum esset quod suspicarentur, summiserunt bolidem, perpendiculum nauticum (gall. *la sonde;* flandrice *het dieplood*); in hunc nempe finem ut viderent an profunditas maris minueretur, quod indicium est terræ propinquantis. — Passus (a *pando.* spatium pedibus expansis determinatum: *passus* ordinarie valet 5 pedes Romanos): græce *οργυιας*, ab *ορεγω expando*, spatium quantum expansis brachiis, ab extremitate digiti medii unius manus, usque ad extremitatem alterius manus, comprehenditur: gall. *brasse;* flandr. *vadem.* Valet 6 pedes. — Separati: *διαστησαντες, digressi.*

29. Quum maris altitudo tam cito decresceret, quumque ventus procellosus eos semper impelleret, timebant, et merito quidem, ne in rupes inciderent navisque confringeretur mediis in noctis tenebris: ideo conantur cursum navis sistere, mittendo quatuor anchoras a puppi. Veteres plures anchoras quam nos, at certe minores, habere solebant (earum ultimam vocabant *sacram*, utpote spem ultimam). Eas autem a *puppi* mittunt, quia sic melius retinebatur navis, et facilius erat postea, eis abscissis, ad litus accedere.

loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor optabant
diem fieri. * Nautis vero quærentibus fugere de navi, cum misis- 30
sent scapham in mare, sub obtentu quasi inciperent a prora
anchoras extendere, * dixit Paulus centurioni, et militibus : Nisi 31
hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis. * Tunc absci- 32
derunt milites funes saphæ, et passi sunt eam excidere.
* Et cum lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere 33
cibum, dicens : Quartadecima die hodie exspectantes jejuni per-
manetis, nihil accipientes. * Propter quod rogo vos accipere 34
cibum pro salute vestra : quia nullius vestrum capillus de capite

---

30. Nautis quærentibus fugere, quia ipsi probe sciebant nullam aut parvam spem esse in anchoris, cum navis esset sub vento prope litus, et in tanta quidem procella. Quasi inciperent etc.: quasi anchoras quasdam (αγκυρας sine art., ergo alias quam v. 29) essent missuri a parte proræ. Scapham in mare mittebant, quasi vellent paululum a navigio recedere, ut anchoras in mare projicerent.

31. Paulus, pro sua in rebus nauticis experientia atque etiam innato mentis acumine, statim fraudem detegit, et de ea monet centurionem militesque ejus (non *gubernatorem* et *nauclerum*, quia isti cum ceteris nautis conspirabant; non *vectores* generatim, quia hi fugam impedire non potuissent). Nisi in navi manserint: namque ad labores nauticos mane suscipiendos (de quibus infra v. 40 et 41) omnino necessarii erant nautæ, qui soli rerum istarum periti erant. Deus quidem Paulo notum fecerat neminem periturum esse, sed sub hac tacita conditione ut, quod per se patet, subsidia humana adhiberentur omnia.

32. Nautæ inde didicerunt firmam esse militum mentem, adeoque aut cum vectoribus pereundum esse, aut cum ipsis vitam servandam.

33. Et cum lux inciperet fieri : græce *usquedum autem dies in eo erat ut fieret* seu *ut inciperet* (flandrice *tot dat het dag ging worden*), *Paulus* constanter *adhortabatur* (imperf. notat actum sæpe iteratum) *omnes ut cibum caperent*. Igitur, per totum illud temporis spatium, quod effluxit ante primam auroræ lucem (quo momento incipiendi erant ultimi conatus pro effugio), Apostolus, summa illa usus auctoritate quam apud omnes obtinuerat, animos eis addebat et hortabatur eos imprimis ut cibum sumerent. — Nihil accipientes: non ad literam intelligendum est, sed, ut aiunt, cum *grano salis*, hoc sensu quod vix quidquam alimenti cepissent.

34. Pro salute vestra: jam animadverti ad v. 31, nequaquam potuisse omitti quæ humana suadebat prudentia: oportebat autem ut vires reficerentur pro duro labore mox suscipiendo. — Nullius vestrum capillus de capite peribit: proverbium est : nullum patiemini damnum in corporibus vestris; prorsus incolumes evadetis omnes.

35 peribit. * Et cum hæc dixisset, sumens panem gratias egit Deo
36 in conspectu omnium : et cum fregisset cœpit manducare. * Ani-
37 mæquiores autem facti omnes, et ipsi sumpserunt cibum. * Era-
mus vero universæ animæ in navi ducentæ septuaginta sex.
38 * Et satiati cibo alleviabant navem, jactantes triticum in mare.
39 * Cum autem dies factus esset, terram non agnoscebant:
sinum vero quemdam considerabant habentem littus, in quem
40 cogitabant, si possent, ejicere navem. * Et cum anchoras sustu-

---

35. Paulus, quasi patrisfamilias vices gerens, secundum morem Judæorum et ad exemplum Servatoris (Joann. VI, 11; Matth. XIV, 19), clara voce coram omnibus preces seu gratiarum actionem ante cibum recitat. Sunt qui putent ss. Eucharistiam ab Apostolo fuisse consecratam (*W. Smith, l. c.) : sed hæc est conjectura.

36. ANIMÆQUIORES FACTI: ευθυμοι γενομενοι, *bono et hilari animo quum facti essent, cum animum recepissent;* flandr. *welgemoed* (ευ·θυμος) *geworden zijnde.*

38. ALLEVIABANT NAVEM, ut eam propius ad terram appellere possent. — JACTANTES TRITICUM: τον σιτον. Nonnulli per σιτον intelligunt *frumentum,* quo, aiunt, onusta erat navis, commercii causa: verum, ut dicitur v. 18, jam diu ejectum fuerat onus navis, quod et prudentiæ regulæ omnes suadere debuerunt. Ideo σιτον sumo sensu magis generali, cum cl. Bisping, de *cibaria annona,* quæ sane pro 276 viris satis ampla erat, quaque deinceps, postquam saturati essent, non indigebant ante navis appulsum ad litus. Hanc sententiam suadent verba *satiati cibo,* quippe quæ proxime præcedant et causam videantur indicare eorum quæ sequuntur.

39. DIES FACTUS ESSET: quoddam enim temporis spatium transactum erat in cibo sumendo et in allevanda navi. Tunc nautæ litus suo commodo examinare poterant. — *Sinus* ille hodiedum vocatur Sinus s. Pauli, *St. Paul's Bay* (*sur la côte N. E. de l'île*). Ante ingressum illius sinus maris altitudo talis plane est qualis statuitur v. 28. — LITUS: αιγιαλον, *litus arenosum et planum,* non vero ακτην quod sign. *litus præruptis rupibus instructum:* quare opportunus erat locus ad appellendum. *Litus* hic flandrice, valet *strand,* quod proprie sign. *een vlakke en zandige oever* (cf. *Weiland, Nederduitsch Woordenboek*). Noli proinde verba græca κολπον δε τινα κατενοουν εχοντα αιγιαλον vertere cum *Kuinœl *animadvertebant litus habens sinum quemdam.* Litus autem illud planum et arenosum, quod conspiciebant, erat parvula insula *Salmonetta* (*qui forme comme la pointe N. E. de la baie*), quam a loco ubi erant habere debebant tamquam terræ insulæ Melitæ adjunctam.

40. CUM ANCHORAS SUSTULISSENT, περιελοντες (a περι *circum* et αιρεω *capio, tollo*) *cum undequaque anchoras abstulissent* (*undequaque,* nam quatuor anchoræ puppim circumdabant, v. 29), i. e. secundum Vulgatam, *cum eas in navem elevassent* (fland. *opgenomen, gelicht hebbende*); sed propter verba sequentia præfero hunc sensum : *cum anchoras ab omni parte abscidissent*; gallice *ayant ôté les ancres de tous côtés.* COMMITTEBANT SE MARI, ειων (ab εαω) εις την θαλασσαν.

lissent, committebant se mari, simul laxantes juncturas gubernaculorum : et levato artemone, secundum auræ flatum tendebant ad littus. * Et cum incidissemus in locum dithalassum, impegerunt navem : et prora quidem fixa manebat immobilis, puppis 41

Vulgatæ auctor vertit, quasi scriptum fuisset: εων το πλοιον ιεναι εις την θαλασσαν, *siverunt navem ire in mare.* Verum probabilior videtur sententia eorum qui verba græca ita reddunt : *cum anchoras abscidissent, eas* (anchoras) *siverunt ire in mare :* flandr. *zij kapten de ankers rondom af, en lieten ze in de zee zinken.*

Laxantes juncturas gubernaculorum. Antequam v. 29 anchoræ quatuor de puppi mitterentur, necesse fuerat gubernacula, quæ ab utroque latere puppis erant (ita apud veteres), paululum attollere eaque ad oram navis funibus ligare, ne per istas anchoras læderentur. Nunc vero *laxant* seu solvunt juncturas illas, seu potius *vincula* illa gubernaculorum, ut hæc jam consuetum statum suum, seu positionem quam inter navigandum habere solent, obtineant; nempe ut profundius in aquas descendant, atque adeo adhiberi possint ad navem dirigendam, eamque pondere suo retineant, quominus a ventis evertatur. *Gubernacula* autem dicit Lucas, numero usus plurali, quia in navibus majoribus veterum duo erant gubernacula, quorum unum erat in latere puppis dextro, alterum vero in latere ejus sinistro : eorum autem forma similis erat palæ cuidam vel remo largiori (fl. *als eene roeispaan met breed blad*). Id novimus ex imaginibus antiquitatis, v. gr. ex sculpturis columnæ Trajanæ.

Et levato artemone. Videtur intelligendum velum quod in prora navis protendebatur (angl. *a topsail on a foremast raking over the bow*), quodque imprimis necessarium erat ad navem vertendam : parvus malus istius veli conspicitur in imaginibus antiquis. In historia nostra velum istud ad navem in litus ejiciendam adhibitum fuit, ut navis majore vi propulsa ulterius progrederetur.

Ista tria : anchoras abscindere, gubernacula demittere et artemonem levare, *simul* facta fuerunt, et apte quidem : ceterum, magnus certe erat in navi tam ingenti nautarum numerus, adeo ut illa omnia eodem tempore perfici potuerint.

41. Dithalassum, vox græca, quam interpres noster servare maluit quam transferre : διθαλασσον, *bimarem.* Multi intelligunt partem terræ continentis in mare protensam, quæ utrimque mari alluitur : gallice *une langue de terre.* In hac autem sententia oportet admittere terram illam, contra quam impegerunt navem, sub fluctibus aliquantulum latuisse : nondum enim erant ad litus, ut colligitur ex v. 43, 44. Alii dicunt locum *bimarem* esse parvum fretum (gall. *un détroit*). Et re quidem vera, ibi habetur, ut supra jam notavimus, parvissima insula *Salmonetta,* quæ a litore Maltæ separatur per fretum angustum. Ad fauces hujusce freti navem impegerunt, putantes se pervenisse ad interiorem partem sinus.

Prora fixa, ερεισασα, *postquam in litus arenosum vel in vadum fuisset*

42 vero solvebatur a vi maris. * Militum autem consilium fuit ut custo-
43 dias occiderent, ne quis, cum enatasset, effugeret. * Centurio
autem volens servare Paulum, prohibuit fieri : jussitque eos, qui
possent natare, emittere se primos, et evadere et ad terram
44 exire : * et ceteros alios in tabulis ferebant : quosdam super ea
quæ de navi erant. Et sic factum est, ut ommes animæ evaderent
ad terram.

II. Paulus in insula Melita; Romam advenit, ubi per biennium in vinculis retinetur. Cap. XXVIII.

Summarium. Naufragi in insula Melita humaniter excipiuntur (1, 2). Paulus, a vipera morsus, nihil mali patitur (3-6). Multa

---

impacta, MANEBAT IMMOBILIS; PUPPIS VERO SOLVEBATUR : ideo brevi penitus fragenda erat navis; nihilque jam supererat, nisi ut, natando, aut tabulæ alicui inhærendo, suæ quisque vitæ consuleret.

42. Ecce, novum jam oritur periculum : veram dramatis speciem præ se fert tota illa historia. OCCIDERENT, quia sub pœna mortis pro vinctis suis spondebant : cf. supra XII, 19 et XVI, 27.

43. PRIMOS, ut, data opportunitate, ceteris auxilium ferrent.

44. ET CETEROS, qui natare non possent, jussit in terram se recipere, *partim in tabulis* (flandrice *op planken*), *partim in aliis navis reliquiis* (*επι τινων απο του πλοιου*, flandr. *op iets van het schip*). Talis est sensus verborum græcorum. Vulgata autem minus accurata est : namque addit *ferebant,* et omittit *partim, partim,* hoc sensu : *Quant aux autres, on les fit passer sur des planches.*

Nota. Tota narratio de navigatione et naufragio s. Pauli mirabilissimum veritatis atque accuritatis specimen usque in rebus minoris momenti (*jusque dans les plus petits détails*) præ se fert, ut diligenter demonstrare conati sumus; ideoque authentiam hujus Actuum libri veracitatemque auctoris haud mediocriter confirmat (vide supra Introd. p. 16) : eadem hæc itineris descriptio probat Lucam mira scientiæ nauticæ notitia instructum fuisse; idque, nonnullis abhinc annis, dedita opera et præclare probavit scriptor Anglus, hac in re peritissimus, **Alex. Smith*, in opere : *The voyage and shipwreck of s. Paul.* London 1848.

Naufragium illud inter ea de quibus loquitur s. Paulus 2 Cor. XI, 25 numerari non potest; siquidem antea jam scripta erat hæc epistola. Ex isto loco 2 Cor. colligimus naufragium, a s. Luca hic narratum, *quartum* jam esse quod Paulus hactenus subiit.

Notatu quoque dignum videtur Flavium Josephum quatuor annis postea, quum etiam Romam peteret, in eodem mari, quod pariter vocat *Adriaticum,* naufragium fecisse. Ipse autem natando salvatus fuit, cum in navem Cyrenaicam, quæ illac transibat, receptus fuerat. Idem, sicut Paulus, Puteolos in Italia appulit. Cf. ejus *Vitam,* c. 3.

facit miracula (7-10). Proficiscitur Romam, iter faciens per Syracusas, Rhegium, Puteolos, Appii Forum et Tres Tabernas (11-15). Romæ, non in carcere, sed in domo privata manet (16). Primoribus Judæorum exponit cur captivus sit et Cæsarem appellaverit (17-22); dein Evangelium nuntiat Judæis, quorum alii credunt, alii vero, secundum Isaiæ prædictionem, fidem respuunt (23-29). Per biennium, Christum omnibus, tam gentilibus quam Judæis, qui ad ejus domum veniunt, libere prædicat (30,31).

* Et cum evasissemus, tunc cognovimus quia Melita insula 1
vocabatur. Barbari vero præstabant non modicam humanitatem
nobis. * Accensa enim pyra, reficiebant nos omnes propter 2
imbrem, qui imminebat, et frigus. * Cum congregasset autem 3
Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, et imposuisset

---

1. MELITA, nunc *Malta*, prope Siciliam; nequaquam vero intelligitur insula *Melitene* aut *Meleda*, quæ Italiam inter et Illyricum sita est. Id quidem opinati sunt interpretes nonnulli, post cod. B*, vers. syr. philox., et armen., et s. Hier.; sed in errorem ducti sunt, propterea quod *Adria*, de qua XXVII, 27 mentio fit, existimaverint idem esse mare quod nunc *Adriaticum* appellamus.

BARBARI : hoc nomine nulla significatur diritas aut immanitas : etenim *barbari* a Græcis et Romanis vocabantur gentes omnes quæ græce aut latine non loquebantur, adeoque Græcæ aut Romanæ non erant. Incolæ autem Melitæ Punicæ erant originis : ista ætate sub Romanorum dominatione erant; insula enim ad Provinciam Siciliæ pertinebat.

2. ACCENSA PYRA : πυρα, proprie *strues lignorum accensorum;* flandrice *zij ontstaken een houtvuur.* REFICIEBANT NOS OMNES : προσελαβοντο, *nos sibi assumpserunt*, sibi adjunxerunt, in domicilium suum receperunt. Ergo, in magnam aliquam domum, ibi forte obviam, ducti fuerunt isti 276 naufragi, ibique siccati ac calefacti sunt per ignem ex accensis lignis. — PROPTER IMBREM... hæc junge cum *accensa pyra* : quædam enim verborum trajectio est. QUI IMMINEBAT : τον εφεστωτα (propter imbrem) *adstantem*, præsentem, constanter cadentem : flandrice *om den aanhoudenden regen.*

3. PAULUS indolem suam, nempe indefessam alacritatem, humanitatem et humilitatem, egregie ostendit. VIPERA, quæ inter illa sarmenta frigore torpebat. Sed, aiunt, viperæ venenosæ non sunt hodiedum in insula Melita. Resp. Facile fieri potuit ut post Pauli tempora deletæ fuerint, cum numerus incolarum increvit silvæque erutæ sunt : ex. c. quando equites celeberrimi *S. Joannis* dicti, insulam occuparunt. INVASIT : καθηψε της χειρος, proprie *adhæsit ejus manui :* certe eam *mordens* adhæsit ei; si enim circa manum tantum se volvisset, incolæ non exspectassent (v. 6) Pauli corpus intumescendum esse.

super ignem, vipera a calore cum processisset, invasit manum
4 ejus. * Ut vero viderunt Barbari pendentem bestiam de manu
ejus, ad invicem dicebant: Utique homicida est homo hic, qui
5 cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere. * Et ille quidem
6 excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. * At illi
existimabant eum in tumorem convertendum, et subito casurum,
et mori. Diu autem illis expectantibus, et videntibus nihil mali
in eo fieri, convertentes se, dicebant eum esse Deum.
7 * In locis autem illis erant prædia principis insulæ, nomine
8 Publii, qui nos suscipiens, triduo benigne exhibuit. * Contigit
autem patrem Publii febribus et dysenteria vexatum jacere. Ad
quem Paulus intravit: et cum orasset, et imposuisset ei manus,
9 salvavit eum. * Quo facto, omnes qui in insula habebant infirmita-
10 tes, accedebant, et curabantur : * qui etiam multis honoribus nos
honoraverunt, et navigantibus imposuerunt quæ necessaria erant.
11 * Post menses autem tres navigavimus in navi Alexandrina,

---

4. Homo hic : absque dubio videbant eum esse vinctum, atque ideo talem suspicionem facile admiserunt. Ultio : scribe cum litera majuscula : ἡ Δικη, ultrix Justitia, ultionis Dea, *Nemesis*, gallice *La déesse de la vengeance, ou la Vengeance divine*. Sinit : εια σεν in aor. *sivit, permisit :* ergo morsura ut certo mortifera habetur.

5. Nihil mali passus est : ita eventu confirmata fuit prædictio Christi Marc. XVI, 18 *Serpentes tollent*.

6. In tumorem convertendum : πιμπρασθαι, *intumescendum;* flandrice *dat hij zou opzwellen*. — Convertentes se : μεταϐαλλομενοι, *mutata sententia*.

7. Principis : τῳ πρωτῳ, *primi magistratus :* intelligitur legatus prætoris Siciliæ. *Publius* autem ille, secundum antiquam traditionem, factus est primus Melitæ episcopus. Vide *Martyrol. Roman.* ad 21 Jan. — Nos, scil. Paulum, Lucam et Aristarchum; forte etiam centurionem. Pronomen *nos* ad omnes naufragos (ut v. 2) non refero; nam vix probabile est 276 viros a Publio hospitio receptos fuisse; præterea, si res ita se habuisset, Lucas sane addidisset παντας, ut v. 2. Animadvertendum etiam v. 10 nos de Paulo ejusque sociis dici.

8. Dysenteria, tormina intestinorum.

9. Probabile est hac occasione fidem eis prædicatam fuisse.

10. Imposuerunt navi quæ ad iter pergendum necessaria erant : certe hæc non referuntur ad omnes nautas et vectores, sed ad Paulum ejusque socios, ut innuit verbum *honoraverunt*.

11. Post tres menses : puta, medio Februario ; videntur enim in Melitam advenisse circa medium Novembris (XXVII, 9, 27). Ergo solito maturius; namque apud veteres navigatio nonnisi Martio ineunte incipiebat.

quæ in insula hiemaverat, cui erat insigne Castorum. * Et cum 12
venissemus Syracusam, mansimus ibi triduo. * Inde circumle- 13
gentes devenimus Rhegium: et post unum diem flante austro,
secunda die venimus Puteolos: * ubi inventis fratribus rogati 14
sumus manere apud eos dies septem: et sic venimus Romam.
* Et inde, cum audissent fratres, occurrerunt nobis usque ad 15

INSIGNE CASTORUM, Castoris et Pollucis, qui erant solita nautarum numina: Hor. *Carm.* 1, 3, 2. Veterum naves sub deorum tutela poni solebant, quorum imago erat sculpta in capite proræ (ita apud Phœnices), vel ab utroque latere puppis picta aut sculpta (apud Alexandrinos).

13. CIRCUMLEGENTES: περιελθοντες, quod significat etymologice: *cum circumivissemus*, supple *plagam Siciliæ orientalem ;* ita Vulgata quæ vertit *circumlegentes.* Sed difficultas est in eo quod, qui Syracusis Rhegium petit, istam plagam non *circumeat*, sed eam legat fere in linea recta. Ideo Bretschn. (in *Lex.*) vertit *oberrantes:* quasi navis, forte ob ventum contrarium, non recta via, ut debuisset fieri, Rhegium devenerit. Melius autem solvitur difficultas hac animadversione: quum statim notet Lucas eos per unum diem iter stetisse Rhegii, certe ut ventum secundum expectarent, et deinde statim ac ventus auster ortus fuit eos Rhegium reliquisse, sat verisimile est alium ventum, igitur contrarium, flavisse dum iter Syracusis Rhegium facerent; certe ventum caurum *(du Nord-Ouest)*, ob quem jam coacti fuerant Syracusis manere per tres dies (v. 12). Ut autem vim istius venti minus paterentur, litus Siciliæ legebant propius quam fieri solet, et omnes litoris flexus seu anfractus sequebantur ; igitur omnia promontoria *circumlegebant* secus litus, donec Rhegium pervenirent.

PUTEOLOS altera die appulerunt, itinere veloci (ut patet ex tabula geographica inspecta), propter ventum secundissimum. Portus Puteolorum ista ætate celeberrimus erat, adeo quidem ut sinus ille, qui nunc *Neapolitanus* vocatur (*baie de Naples*), tunc *Puteolanus* diceretur. Eum igitur portum petebant plerumque qui ex Oriente in Italiam veniebant (Jos. *Vit.* 3); præsertim naves onerariæ, quæ frumentum ex Alexandria asportabant, teste Seneca *Ep.* 77, et Suetonio *Octav.* 98.

14. Ibi erant multi Judæi (Jos. *Ant.* 17, 12, 1), certe ob mercaturam haud mediocrem in portu illo peractam. Nihil igitur mirum in hoc quod Paulus ibi statim post adventum suum invenerit *fratres*, i. e. Judæos ad Christum conversos. ROGATI SUMUS MANERE DIES SEPTEM. Apostolus centurionem ad dilectionem et fiduciam haud exiguam sane perduxerat, siquidem tamdiu ibi manere potuit. — SIC VENIMUS ROMAM, per prolepsin dicitur, seu potius nomen *Romæ* scriptoris menti suggerit factum quoddam adhuc narrandum.

15. CUM AUDISSENT FRATRES: Paulus 7 dies Puteolis manserat, atque adeo nuntius de proximo ejus adventu Romam facile pervenerat. OCCURRERUNT: diu jam cupiebant videre magnum illum Apostolum, a quo tribus fere annis antea tam præclaram acceperant epistolam ; sed non putaverant (olim

Appii forum, ac tres Tabernas. Quos cum vidisset Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam.
16 * Cum autem venissemus Romam, permissum est Paulo manere

---

nempe, ante acceptum ultimum nuntium) eum catenis ligatum venturum esse. Hac occasione monere liceat, ea quæ s. Lucas narrat (hic a v. 15 usque ad fin. libri), de Romanorum et Pauli mutua agendi ratione, et de labore Apostoli evangelico magnisque difficultatibus ipsi occurrentibus, plenius intelligi ex *Epistola* illa *ad Romanos:* cujus ideo lectionem hic commendo.

Appii forum, Italiæ oppidulum, ad viam Appiam situm, quod ab Urbe Roma 43 milliaria Romana (14 ferme leucas nostratium) distabat. *Via Appia* una erat e celeberrimis illis viis Romanis, quarum vestigia, usque in hodiernum diem integra, omnium animos admiratione commovent, quæque prægrandibus stratæ lapidibus quadratis, plurimorum adhuc seculorum injurias superabunt. Appia autem via Roma Capuam ducebat (ubi alia via Brundusium, alia vero Puteolos pergebat), nomen præ se ferens Appii Claudii, ejus exstructoris. — *Tres Tabernæ* erant hospitium aliquod, secus eamdem viam Appiam, non procul ab Appii Foro, 33 milliariis ab urbe distans (circiter 11 leucis), in quod viatores devertere solebant, præsertim ditiores, qui ibi commodius, quam in Appii Foro hospitabantur (Cic., *Attic.* 2, 11 et 13).

16. Romam. In textu *Recepto*, in codd. GH, vers. arab. polygl. Par., slavon., et apud Theoph., additur *Centurio tradidit captivos suos præfecto Prætorii.* Verum tenenda est, teste *Tischend. 7ª ed., lectio Vulgatæ, quæ verba ista omittit, cum codd. ABJ Sinait., verss. copt., syr. peschito, syr. philox. prima manu, armen., arab. Erpen., et s. Chrys. Verba illa explicationis gratia a librario addita videntur.

Ceterum, veri admodum simile est, rem factam esse sicut in isto glossemate refertur: solebant enim vincti, qui coram Cæsaris foro stare debebant, *præfecto Prætorii* tradi (Jos. *Ant.* 18, 6, 6), vel, ut alii voc. *στρατοπεδαρχος* intelligunt, *præfecto castrorum (du camp prétorien)*. Ex eo autem quod Paulus huic præfecto traditus fuisset, non consequitur ipsum commoratum fuisse in castris prætorianis, aut in ea palatii imperatorii parte in qua habitabant milites prætoriani, quibus custodia ipsius Cæsaris proxime commissa erat. Traditio Romana conductum Pauli collocat in ecclesia *s. Mariæ-in-via-Lata*, in via dicta *Corso*. Utut ista se habeant, Apostoli prædicationem in Prætorium cum fructu penetrasse, colligitur ex Phil. I, 12: *Quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii, ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio.*

Manere sibimet: *καθ' ἑαυτον, seorsum a ceteris captivis, domi suæ,* flandrice *op zijn eigen woonen.* Singularem autem illam benignamque licentiam accepit, certe quia testimonia procuratoris Festi et Julii centurionis ipsi æquissima erant. Forte etiam plures jam inveniebantur in palatio Neronis qui christianis favebant: saltem videmus Paulum mox amicitia conjunctum

sibimet cum custodiente se milite. * Post tertium autem diem 17
convocavit primos Judæorum. Cumque convenissent, dicebat eis :
Ego, viri fratres, nihil adversus plebem faciens, aut morem pater-
num, vinctus ab Jerosolymis traditus sum in manus Romanorum,
* qui cum interrogationem de me habuissent, voluerunt me 18
dimittere, eo quod nulla esset causa mortis in me. * Contradi- 19
centibus autem Judæis, coactus sum appellare Cæsarem, non
quasi gentem meam habens aliquid accusare. * Propter hanc 20

---

cum iis, *qui de domo Cœsaris erant* (Phil. IV, 22). Prius videtur habitasse apud amicum quemdam aut christianum, a quo hospitium obtinuerat, v. 23; usquedum habitationem sibi conduxit, v. 30. Amicus ille fortasse fuit *Aquila*, apud quem olim habitaverat Corinthi Act. XVIII, 3, et qui Romam ante adventum Pauli redierat, Rom. XVI, 3, cujusque domus facta erat ecclesia, ib.

CUM MILITE, *qui eum custodiret*, cujus brachium dexterum, more Romano, Pauli brachio sinistro catena alligatum erat : hæc erat *custodia militaris*, ut vocabatur ; atque hæc imponebatur viris etiam illustrissimo loco natis, v. gr. Agrippæ sub Tiberio. De *catena* sua Apostolus haud semel locutus est : Act. XXVIII, 20 ; Eph. III, 1 ; IV, 1 ; VI,20 ; Philem. X, 13.

17. *Tres* priores *dies* certe dedit christianis, qui ipsum tam amanter receperant (v. 15), et quibus frui tantopere cupierat (Rom. I, 11 sq.) : verum, quum eorum ecclesia a Petro jam satis ordinata fuisset, primum suum laborem apostolicum Judæis impendit, ut solebat facere (Act. IX, 15; XIII, 5, 14). Præterea, utile erat Judæos statim adire, quia hi in lite et judicio Pauli intervenire poterant. Quum autem Apostolus a Synagoga petenda prohiberetur (iis enim qui in *custodia militari* erant, e domo libere egredi non licebat), CONVOCAVIT PRIMOS JUDÆORUM ad conductum suum (v. 30), nempe Synagogarum præfectos et capita præcipuarum familiarum, verbo, eos omnes qui Judæis præerant tum dignitate, quum auctoritate, v. 21.

Eos autem alloqui exoptat, in hunc finem ut obstacula, quæ eorum conversionem impedire possint, prudenter removeat, per hoc nempe quod præjudicatas opiniones, quas certe contra ipsum habeant, diluat, suamque conditionem singularem, Judæis sane invisam, explicet. Ideo tria præsertim rerum capita attingit : 1° se vinctum non esse ob aliquod scelus contra gentem Judaicam admissum (v. 17); 2° coactum se fuisse appellare Cæsarem (v. 18, 17); 3° tandem, se animo benevolo erga eos affectum esse, et velle cum ipsis consilia communicare concordiamque inire (v. 20).

ADVERSUS PLEBEM, τῳ λαῳ, *gentem nostram* (nota art.). — MOREM PATERNUM : τοις εθεσιν τοις πατρωοις, potius *instituta patria*.

19. NON QUASI haberem, de quo populares meos apud Cæsarem accusarem, sed tantum mei defendendi causa.

20. PROPTER HANC CAUSAM, ut significem me non esse legis Mosaicæ adver-

igitur causam, rogavi vos videre, et alloqui. Propter spem enim
21 Israel catena hac circumdatus sum. * At illi dixerunt ad eum :
Nos neque litteras accepimus de te a Judæa, neque adveniens
aliquis fratrum nunciavit, aut locutus est quid de te malum.
22 * Rogamus autem a te audire quæ sentis : nam de secta hac
23 notum est nobis, quia ubique ei contradicitur. * Cum constituis-
sent autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi,
quibus exponebat testificans regnum Dei, suadensque eis de Jesu
ex Lege Moysi et Prophetis, a mane usque ad vesperam.
24 * Et quidam credebant his, quæ dicebantur: quidam vero non cre-
25 debant. * Cumque invicem non essent consentientes, discedebant,

---

sarium, quemadmodum forsitan audistis me Hierosolymis fuisse accusatum; neque ullius alius sceleris esse reum; imo vero, me non meditari quidquam ultionis aut criminationis contra populares meos. Hæc, ut supra dixi, voluit Apostolus præmonere, ne suæ essent obstacula prædicationi. — PROPTER SPEM ISRAEL, a me nuntiatam : non alia de causa, quam quod docuerim *spem Israel*, i. e. Messiam, quem Israelitæ tamdiu expectarunt, advenisse, scilicet Jesum Nazarenum.

21. Suspicatus erat Paulus calumniam contra se sparsam fuisse, aut falsam criminis famam ad illos fortasse pervenisse : ex hoc responso patet id non accidisse.

22. DE SECTA HAC, cujus tu te præconem profiteris (v. 20). Cf. supra XXIV, 14. Veritas historica hujusce responsi nostra ætate a Rationalistis impugnata fuit, et duplici quidem argumento. *a*) Probabile non est, aiunt, ad Judæos Romæ habitantes nullum pervenisse rumorem de Paulo ejusque labore apostolico. Respondetur hoc non dici apud Lucam, sed notitiam authenticam de causa Pauli (*de son procès*) nec scripto nec viva voce acceptam fuisse. Et certe, post appellationem a Paulo factam, notitia ante Apostolum Romam pervenire non potuit, quia ipse prima occasione data iter fecit. Ante appellationem autem, Judæi Palæstinenses non præviderunt eam faciendam esse, atque ideo de causa ista Romam non retulerunt authentice (*ils ne songèrent guère à envoyer un rapport officiel*). Utique, dum Paulus Cæsareæ in carcere erat, Romæ de ipso inter Judæos multa narrata fuisse verisimile est; sed de privata hujusmodi notitia hic non loquuntur primores Judæorum : nunc autem, oblata occasione, volunt ab ipso Paulo audire quid sentiat. — *b*) Quis credet, aiunt iterum Rationalistæ, Judæos nihil novisse de christianis, nisi eos ab omnibus repelli ? R. Id ex eorum verbis minime consequitur: loquuntur cum contemptu, sed nolunt longius progredi, ex calliditate, potius ducentes Pauli explicationes exspectare.

23. PLURIMI: πλειονες, *plures* quam antea. — TESTIFICANS : διαμαρτυρομενος *adductis testimoniis probans.*

25. UNUM VERBUM: post tot verba explicationis ac demonstrationis per

dicente Paulo unum verbum: Quia bene Spiritus sanctus locutus
est per Isaiam prophetam ad patres nostros, * dicens: Vade ad 26
populum istum, et dic ad eos: Aure audietis, et non intelligetis:
et videntes videbitis, et non perspicietis. * Incrassatum est 27
enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos
suos compresserunt: ne forte videant oculis, et auribus audiant,
et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos. * Notum 28
ergo sit vobis, quoniam Gentibus missum est hoc salutare Dei, et
ipsi audient. * Et cum hæc dixisset, exierunt ab eo Judæi multam 29
habentes inter se quæstionem.

* Mansit autem biennio toto in suo conducto: et suscipiebat 30

---

totum diem prolata, adhuc *unum verbum*, ultimum nempe et gravissimum, dixit.

27. Incrassatum est cor: factum est crassum, obesum; inde, per metaphoram, factum est ineptum, tardum; aliis verbis, mens illorum facta est hebes, stupida etc.; intelligentia et voluntas eorum corruptæ sunt ac depravatæ. — Graviter audierunt, *obsurduerunt*. Hoc Isaiæ VI, 9, 10 oraculum, quod, pro more suo, Lucas secundum versionem 70 Interpretum fere iisdem verbis recitat, quodque pluries adducunt Evangelistæ (v. gr. Matth. XIII, 14), sensu literali refertur ad antiquos Judæos, Isaiæ æquales; a Christo autem et ab apostolo ad Judæos contumaces suæ ætatis, qui majorum malitiam imitabantur, merito accommodatum fuit; nimirum sensu typico, quatenus veteres Judæi perversi figuram quamdam seu typum præ se ferunt, cujus antitypus in Judæis impiis tempore Christi exprimitur. In isto autem loco Deus prædicit fore ut Israelitæ plurimi seipsos in malo obdurent, prava sua voluntate, neque ad pœnitentiam velint se convertere; adeo quidem ut gratiis, quas Deus ipsis ad resipiscentiam et salutem largitur, directe et pessime resistant.

28. Hoc salutare Dei, hoc verbum salutis, Evangelii prædicatio.

29. Hic versiculus in ABE Sinait., plerisque Vulgatæ manuscriptis, et pluribus versionibus antiquis omittitur. Legitur autem in GH, in quibusdam versionib. antiquis, apud s. Chrys., Theoph., Œcum. etc.; pariter in textu *Recepto*. Cl. Bisping censet esse glossema.

30. Conductum hoc, secundum opinionem quorumdam, idem intelligitur ac *hospitium* de quo v. 23; sed id gratis affirmatur: verba diversa diversas significant res. — Isto autem biennio ad finem vergente, scriptæ fuerunt quatuor (et forte quinque) ex Pauli Epistolis: sc. Epistola AD PHILIPPENSES, in qua dicit se sperare proximam suam liberationem (Phil. 1,25); et paulo post Epistolæ AD COLOSSENSES, AD PHILEMONEM et AD EPHESIOS, quæ tres simul missæ sunt, et ubi (Philem. 20) petit jam sibi præparari hospitium. Quibus quatuor verisimiliter addenda est, secundum multorum sententiam, EPISTOLA AD HEBRÆOS. Omnino

31 omnes, qui ingrediebantur ad eum, * prædicans regnum Dei, et docens quæ sunt de Domino Jesu Christo cum omni fiducia, sine prohibitione.

---

suadeo lectori studioso ut omnes illas Epistolas attenta percurrat mente; ex iis enim Paulum, heroem hujusce Actuum libri, perfectius cognoscet, et præsertim discet quibus sensibus et affectibus animatus esset, eo tempore quo Romæ in vinculis maneret. Ceterum, opinio est communis Paulum coram ipso Nerone imperatore stetisse (a. 63), atque ab eo absolutum (Nero nonnisi postea, anno sequenti, sc. 64, christianorum persecutor factus est acerrimus), et in libertatem missum fuisse post biennalem carcerem.

31. REGNUM DEI: cf. I, 3. — DOCENS CUM OMNI FIDUCIA: μετα πασης παρρησιας, quod significat *cum summa loquendi libertate.*

Conclusio hæc verborum numeros et pompam orationis præ se fert (nota præsertim duo participia), atque eatenus similitudinem quamdam habet cum fine Evangelii secundum Lucam. Vel ex hoc solo demonstratur librum Actorum integrum esse ac completum; igitur falsum esse quod nonnulli Rationalistæ contendant, ultimam libri partem periisse, vel auctorem ab absolvendo opere impeditum fuisse.

APPENDIX.

DISSERTATIONES SCRIPTURISTICÆ
IN LOCA ACTUUM SELECTA.

DISSERTATIO PRIMA.
DE DIACONIS ET DIACONISSIS.

(Ad Act. Apost. VI, 1-6).

Consulantur THOMASSINUS, *De vetere et nova disciplina Eccl.* p. 1, l. 2; PETAVIUS, *Dissert. Ecclesiastic.* l. 2, c. 1; CARD. BONA, *Rerum liturgic.* l. 1, c. 25, cum notis *Salæ*; LUCIUS FERRARIS, *Biblioth.* ed. Migne; BERGIER, *Dict. Théol.*; WETZER ET WELTE. *Dict. encycl. de la théol. cath.*; BILLUART, in tract. de Ordine; THEOL. WIRCEBURGENSIS, in tract. de Ordine etc.; PERRONE; *Prælect. theol.*, in tract. de Ordine.

DIACONUS, secundum sensum vocis græcæ (a δια quod vim auget, et κονεω *servio : in-servire,* flandrice *be-dienen*), est 1° proprie *minister, famulus* in genere; sic Matth. XX, 26 *Quicumque... sit vester minister* (διακονος). 2° In specie *minister mensæ;* ut apud Matth. XXII, 13 *Dixit rex ministris* (convivii nuptialis, τοις διακονοις). 3° *Minister sacer* cujuscumque ordinis, quicumque munere quodam religioso fungitur; 2 Cor. VI, 4 *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros.* 4° Minister sacer singularis ordinis, vere *sacer* sensu strictiore, nimirum qui ritu aliquo exteriore ad certum officium religiosum deputatur. In primitiva Ecclesia, tales erant *Diaconissæ,* de quibus statim dicemus. Tandem 5° magis adhuc speciatim *Diaconus* sensu *strictissimo* vocatur, qui per sacramentalem Ordinationem, ab episcopo factam, ad ministerium divinum in Ecclesia consecratur, et Ordine illo sacro, qui sacerdotio inferior est, insignitur. De his diaconis proprie dictis loquitur s. Lucas Act. Apost. VI, 1-6; pariter s. Paulus 1 Tim. III, 8 sqq., ubi indicat dotes virtutesque in eis requisitas; eos quoque salutat Philipp. I, 1.

Ordinis autem *Diaconatus* functiones præcipuæ sunt tres (secundum *Pontificale Romanum*) : ministrare ad altare, baptizare et prædicare. Diaconi enim ad altare ministrant in missa solemni, et s. Eucharistiam tamquam ministri extraordinarii distribuunt ; baptizant publice, item ut ministri extraordinarii ; in ecclesiis verbum Dei populo prædicant, ex episcopi delegatione. Olim vero, jure ordinario, sanguinem Domini in s. Communione fidelibus præbebant, s. Eucharistiam ad infirmos deferebant, omnia quæ in ecclesia fiebant circumspiciebant ordinabantque, carceres obibant ut christianis spiritualiter et corporaliter opitularentur, etc.

Diaconorum autem stricte dictorum institutionem Act. Ap. VI, 1-6 narrari strenue affirmamus, contra Protestantes plerosque (*plerosque*, inquam, nam, teste Perrone, *Præl. Theol.*, tract. de Ordine, n° 59, aliqui ex ipsis, v. gr. Pearsonius, Beveregius et Grotius, nobiscum faciunt) et contra catholicos nonnullos, qui contendunt *Diaconos* ibi electos ad ministerium tantum profanum et laicum deputatos fuisse : nempe ut mensis inservirent, eleemosynas dispertirent, ægrotos inviserent etc. : vel saltem, si ad spirituale quoddam munus assumpti fuerint, nulla tamen Ordinatione proprie dicta eos consecratos fuisse, ideoque eos inter viros fuisse id ipsum quod *Diaconissæ* inter feminas essent.

Fide quidem *certum* non est diaconos suscipere Sacramentum Ordinis proprie dictum, quamvis illud tamquam *theologice certum* plerumque admittatur. Attamen de *fide* est, ad hierarchiam, divina ordinatione institutam, in Ecclesia catholica, præter episcopos et presbyteros etiam pertinere *ministros* (ex defin. conc. Trid., sess. 23, cap. 4 et can. 6), utique saltem *diaconos*.

His præmissis, paucis ostendamus oportet in Act. Ap. VI, 1-6 de ministris sacris, secundum Christi institutionem ordinatis, sermonem haberi. Quem in finem sequentia adducimus argumenta.

1° Apostoli ipsis manus imponunt cum orationibus, quemadmodum fit cum episcopi et presbyteri consecrantur. 2° Inter virtutes, quæ in ordinandis requiruntur, numerantur *plenitudo Spiritus sancti, sapientia* etc. : quæ sane ad functiones profanas adeo necessariæ non essent. 3° Post ordinationem ministri illi sacra officia mox exercent : Stephanus enim prædicat, Philippus (cap. VIII) baptizat etc. 4° Quotiescumque s. Paulus in epistolis suis de diaconis loquitur, eos cum episcopis semper conjungit, ab eisque magnam postulat sanctitatem et perfectionem.

5° SS. Patres antiquissimi, qui apostolorum ætati proximi erant, diaconos sacrorum ministros fuisse aperte testantur (cf. Perr., tract. cit. n° 58) : atqui diaconos tunc existentes diaconis Act. VI institutis successisse omnia suadent.

Objicitur, s. Chrysostomum, teste conc. Trullano, censuisse septem viros, de quibus in Act. Ap. VI, non tales fuisse qui Mysteriis servirent, sed quibus concredita esset dispensatio profana. — Respondetur : auctoritatem concilii Trullani ab Ecclesia non recipi ; sanctum vero Chrysostomum valde obscurum esse in hom. ad h. l.

Itaque, diaconi isti vere habendi sunt ut ministri sacri, per Ordinationem ab episcopo factam consecrati, quamvis s. Lucas id aperte non significet. Ipse enim plenam non tradit *diaconatus* notitiam, sed occasionem narrat, propter quam apostoli, diaconos instituentes et ordinantes, perfecerunt id quod Christus ipsis injunxerat. Quamobrem dicendum est ministerium mensæ, præsertim erga viduas et pauperes, fuisse institutionis *occasionem*, nequaquam vero unicum aut præcipuum munus cui diaconi destinati essent.

De Diaconissis. Multum similitudinis cum diaconatus ordine habet antiquum *diaconissarum* institutum. Hac de causa, et ut variis novi Testamenti locis lux afferatur, pauca de *diaconissis* addimus.

Ante omnia animadvertimus, illas in laicorum censu habendas esse, ideoque eas hac ratione a *diaconis* maxime differre (contra Morinum, in Comment. de sacris Ordinationibus, part. 3, exerc. 16).

In novo autem Testamento sæpius mentio fit de piis mulieribus, quæ Evangelicæ prædicationi variis modis operam navabant. Sic ex. gr. quædam mulieres sanctæ Jesum (Luc. VIII, 2, 3) et Apostolos (1 Cor. IX, 5) sequebantur, ut eis ministrarent. Aliæ eligebantur ut christianis feminei sexus præponerentur, easque certis in rebus, quæ ad religionem spectant, adjuvarent. His ultimis nomen *Diaconissarum* mox tributum fuit, earumque functiones ad quinque capita sequentia reduci possunt.

Diaconissarum functiones. 1° Episcopo vel presbytero præsto erant, quando Baptismus per *immersionem* feminis administrabatur, ut decenter istud fieret ; 2° catechumenas in doctrina christiana privatim instituebant ; 3° mulieres infirmas aut in

carceribus inclusas invisebant; 4° in ecclesiis, ubi propria erat feminarum janua, ostiariæ erant, et unicuique suum assignabant locum; omnia etiam, quæ ad ceremonias religiosas pertinebant, rite disponebant inter feminas, quemadmodum diaconi inter viros; tandem 5° viduabus et feminis pauperibus eleemosynas distribuebant.

Porro, dotes in diaconissis requisitas enumerat s. Paulus 1 Tim. III, 11. Incertum autem est utrum de diaconissis proprie dictis sermo fiat 1 Tim. V, 9 : cf. annot. nostr. in ill. loc. Phœbe, de qua Rom. XVI, 1, videtur fuisse Diaconissa.

Diaconissarum institutum non diu perseverasse in Gallia, ex conc. Aurel. II, ann. 533 colligimus : et octavo jam seculo ubique in occidente abolitum erat. Diutius vero exstitit in ecclesia græca. Primis Ecclesiæ temporibus, ad illud munus assumebantur præsertim viduæ (unde institutum dicebatur *Viduatus*), et provectioris quidem ætatis; non tamen videtur dicendum solas viduas *sexagenarias* (cf. 1 Tim. V, 9) fuisse electas; etenim conc. Chalcedon. ann. 451 ætatem statuit quadraginta annorum. Virgines etiam, quæ sese Deo consecraverant, in *Viduatum* seu inter diaconissas nonnumquam recipiebantur, ut testantur Tertull. (*De veland. Virg.* c. 9) et s. Greg. Nyss. (*Vita Macrinæ*).

DISSERTATIO SECUNDA.

DE THEOPHANIIS, SUB VETERE TESTAMENTO.

(Ad Act. Apost. VII, 38, 53)

I. *Status quæstionis.* Quæritur utrum ille, qui, sub vetere Testamento, Moysi aliisque per miraculum videndum se præbuit, fuerit *angelus proprie dictus*, spiritus aliquis creatus, qui *Deus* dicatur, quia Dei personam gereret, an vero fuerit ipse Deus, secunda nempe ss. Trinitatis persona, Filius seu Verbum Dei, qui conspiciendum se dederit sub forma quadam corporea : quam quidem formam assumpserit seu cui se conjunxerit (non *hypostatice*, ut in *Incarnatione*, sed tamquam motor corporis interior) ad actiones sibi proprias efficiendas.

II. *Duæ sententiæ.* Hac in re duæ præcipuæ sunt apud catholicos sententiæ, quæ ambæ firmis nituntur argumentis. (1).

(1) Tertia vero sententia, a nonnullis Protestantibus proposita: v. gr. a Rosenmüller in Exod. XXIII, 20, Angelum Dei fuisse causam naturalem, vel signum

Prior sententia, quam theologi scholastici, post *s. Thomam* (*Summ. th.* 1ª, 2ᵃᵉ, q. 98, a 3) et *s. Augustinum* (in libro *De ss. Trin.*; verum alteri sententiæ videtur favere in libro *De videndo Deo*), fere omnes amplexi sunt, tenet apparitiones omnes veteris Testamenti angelo cuidam creato adscribendas esse. Hanc autem sententiam dedita opera et fuse tuetur P. SMITS, *Prol. ad Exod.*

Altera sententia, quam plures profitentur ss. Patres præsertim antiquissimi (sequentes enumerat cl. *Danko :* Justinum, Irenæum, Clem. Alex., Tertull., Cyprian., Euseb. Cæs., Athanas., Hilar. Pictav., Ambros., Cyrill. Alex., Chrys. et Augustinum [?]), sicut et major pars priscorum Rabbinorum, negat in omnibus apparitionibus, quas vetus Testamentum refert, angelum proprie dictum visum fuisse ; sed quasdam saltem ex eis ipsimet Deo seu Λογῳ Θεου tribuendas esse affirmat. Imo vero, interpretes nonnulli eousque extendunt hanc sententiam, ut doceant de *Deo* ipso intelligendas esse apparitiones omnes, in quibus ille qui sese ostendit et *Deus* et *Angelus* vocatur, vel tamquam Deus exhibetur quamvis *Angelus Dei* nominetur. Auctores autem illi censent Deum, qui ad homines sub forma aspectabili accessit, fuisse Filium seu Verbum, secundam ss. Trinitatis personam ; ex quo recte concludunt apparitiones sub vetere Testamento factas ipsi Incarnationi, quæ in plenitudine temporis contigit, mirifice prolusisse. Hanc autem sententiam dedita opera propugnavit *Vandenbroeck,* Doctor Lovaniensis, in Dissert. inaugurali quæ inscribitur : *De Theophaniis sub vetere Testamento ;* eidem etiam adstipulantur auctores sequentes : *Bossuet, Elévat. sur les myst.* 10ᵉ Sem. 6ᵉ Elévat. *Ill. Beelen,* in *Comment.* ad Act. Ap. VII. *Danko, Historia revelationis divinæ vet. Test.,* p. 220. Vindob. 1862. *Reinke, Dissert. de divina Messiæ natura,* adjecta *Exegesi critica in Isaiæ LII.* Monast. 1836. R. P. *Gagarin* in miscell. *Etudes religieuses* etc. Paris 1862, p. 843. Hujus autem ultimi verba citare juvat : *A présent les interprètes de l'Ecriture sainte et la plupart des théologiens soutiennent, avec les Pères des premiers siècles, que ces Angélophanies sont dans le fond des Théophanies, et nous présentent la seconde Personne de la sainte Trinité apparaissant aux Patriarches.* Adde *R. P. Patrizi, De interpret. oraculorum ad Christum pertinentium* (Romæ 1853) ; Comment. 2, c. 3.

exterius quo Deus præsentiam suam declararet, adeo vim verbis infert ut serio defendi minime possit.

III. *Quæstionis utilitas.* 1° Interpretatio sacræ Scripturæ multis in locis a solutione hujusce quæstionis pendet. Præterea 2°, inde colligitur quanta sit vis argumenti illius, quo antiqui Ecclesiæ Patres pluralitatem personarum in Deo ex eo probabant, quod ille, qui in vetere Testamento visus fuisse legitur, dicatur *Deus,* et distinguatur ab alio, qui etiam est *Deus.* 3° Eadem quæstio statuit numquid in s. Scriptura nomen et attributa Dei naturæ cuidam creatæ quandoque accommodata fuerint (nempe in *Theophaniis) :* an contra, semper et ubique ut *verus Deus* habendus sit ille, cui nomen Dei et attributa divina in vetere Testamento tribuantur ; unde confirmaretur Jesu divinitas, quæ ex novo Testamento demonstratur per illud, quod nomen Dei et attributa divina Christo adscribantur.

His vero, procemii loco dictis, præcipua utriusque sententiæ argumenta quæ e divinis Literis desumuntur, jam indicabimus circumscripte.

IV. *Argumenta scripturistica prioris sententiæ.*

1° Baruch III, 38 *Post hæc in terris visus est* (Deus) *et cum hominibus conversatus est.* Hoc ad tempus novi Testamenti referendum est: unde concludimus Deum in terris antea non apparuisse, adeoque *angelum* stricte dictum, Dei legatum, Moysi aliisque visum fuisse.

2° Ad Hebr. I, 1 *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Ergo per Filium locutus non est sub vetere Testamento.

3° Hebr. XIII, 2 hospitalitas ob hanc imprimis causam commendatur quod quidam olim *angelos* receperint, putantes se homines excipere (apostolus respicit ad Gen. XVIII) : atqui, si Deus ipse inter homines quondam descendisset, s. Paulus potius et ad finem suum aptius scripsisset : *Angelos, imo ipsum Deum, hospitio receperunt.*

4° Hebr. II, 2 et 3 coll. 1, 2: *Si enim qui per angelos dictus est sermo,* etc.: fit comparatio veterem inter et novam legem: illa dicitur minus perfecta quia data fuit per *angelos,* hæc autem excellentior, quia per *Filium* Dei nuntiata fuit. Ergo ille, qui legem dedit Moysi, non erat *Filius Dei.*

5° Secundum Gal. III, 19 lex Mosaica *ordinata fuit per angelos.*

6° Act. VII, 53 *Accepistis Legem in dispositione angelorum.*

7° Act. VII, 38 (*Angelus*) *loquebatur ei* (Moysi) *in monte Sina, et cum patribus nostris.*

8° Et conveniens quidem fuit ut Deus angelo tunc uteretur, secundum effatum s. Dionysii (?) : *Per superiora* (per angelos) *hæc inferiora* (homines) *illuminantur et administrantur.*

9° Eo vel magis quod, ut ait s. Thomas, mos sit ut princeps per semetipsum agat quæ perfectiora sunt (qualis est lex nova), per suos autem *ministros* quæ ad perfectionem ultimam tantummodo disponunt (scil., ea omnia quæ ad vetus Testamentum pertinent).

10° In s. Scriptura Filius Dei nomine *angeli* nude posito non designatur, sed *Angelus testamenti* (Malach. III, 1), *Angelus Jehovæ* (Zach. I, 11, 12) dicitur : atqui, in plurimis veteris Testamenti locis, ille qui sub hominum aspectum per miraculum cadit, vocatur *angelus* tantum (nihil addito : ergo iis in locis non intelligendus est *Filius Dei*).

11° *Angelus*, i. e. *nuntius, minister*, appellari nequit Filius Dei, nisi ratione *Incarnationis* ; atqui, in istis veteris Testamenti narrationibus de Christo incarnato neutiquam habetur sermo.

12° Absonum videtur, ipsum Dei Filium cum patriarcha Jacobo luctatum esse (Gen. XXXII, 24) ; ob eamque causam Oseas XII, 3 aperte affirmat Jacobum contra *angelum* pugnavisse.

13° Certe res fuisset minus decens, si Filius Dei populum per regionem desertam ipse duxisset, eorumque agmini sub forma aspectabili constanter anteivisset.

14° Exod. XXIII, 20, ille, qui in Sinai de cœlis descendit, ait : *Ecce ego, mittam Angelum meum qui præcedat te* etc. Ergo, saltem hic, angelus fuit diversus a Filio Dei a quo dicitur mittendus (in sententia eorum qui contendunt ipsum Dei Filium in Sinai legem dedisse) ; attamen angelus ille pluries vocatur *Deus.*

Concludunt patroni prioris sententiæ angelum proprie dictum ubique visum fuisse, qui, quum personam Dei gereret, Dei nomen ferebat; quia, ut s. Aug. : « Quando, ait, verba judicis « præco pronuntiat, non scribitur in gestis : Ille præco dixit, « sed ille judex. »

V. *Argumenta scripturistica alterius sententiæ.*

In vetere Testamento loca reperiuntur plurima atque luculentissima, e quibus ipsum Deum ab hominibus conspectum fuisse concluditur.

Et 1° quidem, ille qui videtur se ipse aperte *Deum* vocat: Exod. III, 6 *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham* etc.

2° Alibi vero, idem ille qui apparet ab auctore sacro pluries dicitur *Deus*, et quidem *Jehovah*, quod est nomen Deo ita proprium ut alii nemini dari possit (nomen, ut aiunt, *incommunicabile*): Exod. III, 16 *Deus patrum vestrorum apparuit mihi.* Exod. XIX, 18, 20 narratur *Jehovam in Sinai descendisse ;* Exod. XX, 1, *locutum fuisse* ad Israelitas; Deut. IV, 12, 15 *ejus vocem auditam fuisse* etc.

3° Jehovæ ipsi adscribitur quod de angeli apparitione refertur: sic Gen. XVI, 13 Agar, qui angelum conspexerat, affirmat se *Deum* vidisse.

4° Deut. XXXIII, 16, Moyses apprecatur benedictionem *illius qui apparuit in rubo:* utique benedictionem *Dei*, non *angeli.*

5° Deus *facie ad faciem locutus est in monte* (Deut. V, 4), seu *ore ad os* (Num. XII, 8; Exod. XXXIII, 11); inde consequitur, Deum inter et Moysen nullum fuisse sequestrem et medium, atque adeo ibi *Deum ipsum* non *Angelum* apparuisse; quod et s. Thomas admittit, qui, auctoritatem s. Augustini adducens, docet (*Summ. th.* 2ª 2ªᵉ, q. 174, a. 4) ipsam essentiam divinam a Moyse visam fuisse, Num. XII, 6-8. Obiter nota s. Thomam et s. Augustinum non tam certo patrocinari contrariæ sententiæ.

5° Exod. XXXIII, 2-17, Deus minatur, non se, sed angelum (1) ducem populi in posterum futurum esse: quod Moyses precibus avertit, adeo ut v. 14 sq. Deus aperte promittat se coram populo incessurum.

7° Isai. LXIII, 9, apud 70 Interpretes : *Neque legatus, neque angelus, sed ipse Deus salvavit eos,* sc. quando eos ex Ægypto per loca deserta Arabiæ duxit. Verum, fateor, hebræus sensum hunc non adeo clare exprimit; habet enim sequentia : *Angelus faciei ejus salvos fecit eos: propter dilectionem suam... ipse redemit eos.*

8° Hebr. XII, 25, *Qui super terram loquebatur* (utique in lege Sinaitica), non alius est quam ille qui *de cœlis loquitur,* scilicet Jesus Christus, ut ex toto orationis contextu patet.

9° 1 Cor. X, 9 Judæi dicuntur in deserto tentasse *Christum.*

(1) *Angelus* hic intelligitur *proprie dictus*, adeoque diversus ab eo qui excellentiore modo vocatur *Angelus Jehovæ*, cui attributa divina adscribuntur, quique aperte loquitur ut Deus, cf. Exod. XXIII, 20, 21.

10⁰ Act. VII, 2 ille qui Abrahæ apparuit, *Deus gloriæ* appellatur.

11⁰ Secundum s. Judam, epist. v. 5, ipsemet *Jesus Christus* Israelitas ex Ægypto salvavit, idemque postmodum eos, cum facti essent contumaces, perdidit (tacite respicit ad Num. XIV, 37).

Tandem 12⁰ Ecclesia ita precatur in antiph. O, tempore Adventus : « *O Adonai..., qui Moysi in igne flammæ rubi apparuisti, et ei in Sina legem dedisti...* » Nec censet eum Moysi apparuisse per ministerium *angelorum*, namque die festo s. Catharinæ hanc recitat orationem : « *Deus, qui dedisti legem Moysi in Sinai, et ibidem per s. angelos corpus Catharinæ collocasti...* »

VI. *Respondetur ad argumenta prioris sententiæ.*

Ad 1ᵐ. Sub novo Testamento Deus visus est in natura humana quæ divinæ naturæ *hypostatice* conjuncta erat : sub vetere autem Testamento apparuerat tantum in corpore quodam alieno, quod ad actiones exteriores assumpserat, eadem ferme ratione, qua angeli in specie humana quandoque visi sunt.

Ad 2ᵐ. Revelationes, quas olim Deus per Prophetas fecit, opponuntur revelationi ultimæ per Filium traditæ.

Ad 3ᵐ. Argumentum in adversarios rejicere licet, nempe : Apostolum, hoc posito, scribere debuisse : *Imo receperunt unum* (angelum) *qui ipsius Dei personam referebat.* Itaque probabilis est conjectura, s. Paulum loqui tantum de *angelis*, quia coram oculis habet alia ss. Literarum exempla, ubi *angeli* proprie dicti recepti sunt, v. gr. in libro Tobiæ.

Ad 4ᵐ. Comparatio est, non inter eos qui legem promulgarunt, sed inter ea quæ ab ipsis promulgata sunt. *Per angelos* est quasi adjectivum, quo vox *sermo* propius definitur, et quo indicatur, intelligendam esse legem Sinaiticam, utpote quæ *in angelorum præsentia* data fuerit.

Ad 5ᵐ. *Ordinata* ibi significat *lata*, non *promulgata ;* atqui dici nequit legem ab *angelis latam* fuisse ; ergo *per angelos* idem est ac *præsentibus angelis.* Agmina autem angelorum reipsa adfuisse, quando in monte Sinai lex a Deo data fuit, novimus ex Deut. XXXIII, 2 (1).

(1) Fateor tamen incertum esse utrum locus hic Deuteronomii in hebræo de angelis intelligendus sit ; nam ibi habetur : *Venit (Jehovah) de* vel *a myriadibus sanctitatis*, quod potest significare : venit de solio suo cœlesti, quod angelorum myriadibus est

Ad 6m. Eodem modo respondetur.

Ad 7m. Filius vocatur *Angelus* sensu quodam eminentiore et excellentiore, tamquam Dei Patris nuntius et interpres apud homines : cf. Malach. III, 1 et Zachar. I, 11, 12 ; III, 1.

Ad 8 et 9m. Hoc generaliter verum non est. Deus enim per seipsum, non vere per *angelos*, homines redemit, nec per *angelos* creavit mundum irrationalem. Dein sufficiens gradatio in eo reperitur quod lex nova data sit per Filium *Incarnatum*, lex autem vetus per Filium in corpore *alieno apparentem*.

Ad 10m. Sed in illis locis, qui nominatur *Angelus*, idem etiam vocatur *Dominus Deus*, ut Act. VII, 31, 32.

Ad 11m. Vox *angelus* per se non includit solam notionem *ministrandi*, sed sensum tantum habet *nuntiandi* : Filius autem, seu Verbum, Deum hominibus *nuntiavit* ac notum fecit. *Dicitur proprie Verbum*, ait s. Thom., *secundum quod est angelus, id est nuntius intelligentiæ* (*Summ. Theol.* p. 1, q. 34, a. 1).

Ad. 12m et 13m. Prorsus negamus quidquam absurdi istis factis inesse; etenim in luctatione Dei cum Jacob magnum latet mysterium, quo futurum populi Israelitici robur significatur et quasi prædicitur; deinde, in eo quod Deus ipse populum suum duxerit, indicium est præclarissimum divinæ bonitatis et providentiæ.

Ad objectionem 14m, locum Exodi XXIII, 20 in adversarios convertere licet, hoc modo : ille qui in Sinai apparuit et missurus erat angelum suum, certe fuit ipsemet Deus, non autem spiritus aliquis creatus. Haud facile est illam objectionem directe diluere, nisi dicamus ita locutum fuisse Deum Patrem; adeoque primam ss. Trinitatis personam in Sinai descendisse legemque Moysi dedisse : hoc autem cum illis locis ubi Filius apparuisse legitur, seu potius cum sententia illa communi, theophanias 2ae Personæ abscribendas esse, conciliari nequit. Quidam dicunt in illo Exodi loco Filium de se ipsum locutum fuisse in tertia persona, hoc sensu: Ego veniam in corpore assumpto, seu apparebo tibi in humana specie (quemadmodum nunc me conspicis), et præcedam te etc. Isti auctores verba v. 21 *est nomen meum in illo* hoc sensu explicant: idem est qui ego. Verum hæc ultima interpretatio vim verbis infert magnam.

circumdatum. Præterea, verba epistolæ ad Galatas sensu obvio et naturali non sumuntur, si *per Angelos* idem dicatur ac *præsentibus Angelis*.

Conclusio. Igitur utraque sententia sua habet argumenta suasque difficultates. Si loca veteris Testamenti inspiciamus, longe probabilius nobis videtur ipsum Deum apparuisse : verumtamen in novo Testamento haud pauca sunt quæ, si sensu obvio sumantur, alteri sententia magis favent. Unusquisque eam eligat opinionem quæ sibi magis arriserit.

DISSERTATIO TERTIA.

DE SUPPLICIO LAPIDATIONIS APUD JUDÆOS.

(Ad Act. Ap. VII, 37).

Supplicium lapidationis frequentissimum erat apud Judæos : cf. Deut. XIII, 10; XVII, 7; Jos. VII, 25; Joann. VIII, 7. Extra castra, tempore quo Israelitæ in locis desertis Arabiæ vagabantur, et postmodum extra civitates ducebatur reus, Lev. XXIV, 14 et 23; Num. XV, 36; 3 Reg. XXI, 10; Act. VII, 57; uno excepto crimine de quo Deut. XXII, 21. Testes autem primos in eum projiciebant lapides : hoc expresse statuitur in casu idololatriæ, Deut. XIII, 9 et XVII, 7; imo conjicere licet in aliis casibus illud etiam factum esse; cf. Act, VII, 58; atque ad morem illum respicere quoque videtur Joannes VIII, 7. Præscriptio autem illa in hunc certe finem lata fuit, ut, qui judicium suis manibus essent consummaturi, a falso testimonio ferendo magis abhorrerent. Post testes lapidationem pergebat universus populus.

Rabbini Thalmudici sequenti modo illud describunt supplicium in Mishna, tract. Sanhedrin, Perek 6. Reus, inquiunt, ex aliquo loco, v. gr. e. contabulato satis alto, ab uno testium projicitur seu detruditur, nempe ita ut in lumbos cadat super submissum lapidem aliquem ingentem. Si adhuc vivat (quod certe plerumque fiebat), alter testium tollit magnum illum lapidem in quem reus projectus est, eumque in pectus ejus dat. Tandem, si animam nondum efflaverit, ab universo populo lapidatur (cf. Beel. ad Act. VII, 60). Hujus autem rei nullum indicium certum in s. Scriptura reperitur, ideoque a pluribus auctoribus tamquam commentum habetur : sed non video rationem hanc sufficientem esse ut traditio illa respuenda sit.

Porro, post illatam mortem, cadaver sub ingenti saxorum acervo, cui cum transiret quivis lapidem adjiciebat in odium criminis, ignominiæ causa sepultum quandoque manebat : cf. Jos. VII, 26.

Lapidationis pœna decernebatur:

1⁰ Generatim in eos omnes qui contra honorem Jehovæ debitum graviter peccabant: videlicet a/ in falsorum numinum cultores, Lev. XX, 2; Deut. XVII. 2. sqq.; atque b/ in eos qui ad impium istum cultum alios pertrahere conabantur, Deut. XXIII, 6 sqq.; c/ in blasphemos, Lev. XXIV, 10 sqq. Act. VII, 56; d/ in eos qui sabbatum violarant, Num. XV, 32; e/ in divinatores et pythonicos, Lev. XX, 27; pariter in pseudoprophetas (qui populum a veri Dei cultu abducebant), Deut. XIII, 1 sqq., f/ in eos qui *anathema* non servabant, Jos. VII, 25.

2⁰ Præterea in filios qui parentibus in re gravi obedire recusabant, Deut. XXI, 18 sqq.

3⁰ In puellam, quæ, cum matrimonium inibat, virginitatem suam corrupisse deprehendebatur, Deut. XXII, 20 sqq.; et in puellam desponsatam, quæ intra muros civitatis concubitum habuerat cum altero viro, et in hunc etiam virum, Deut. XXII, 23 et 24.

4⁰ Probabiliter lapidandi erant etiam isti in quos Lev. XX, 9 sqq. mors in genere (sine definitione modi) decernitur: sic Joann. VIII, 5 in historia mulieris adulteræ mentio fit de supplicio lapidationis, quamvis in Lev. XX, 10 et Deut. XXII, 22 contra crimen adulterii statuatur generatim pœna mortis. Hoc autem non admittunt Rabbini, quippe qui contendant semper intelligendam esse strangulationem, quando species supplicii non indicatur in lege. Qui Rabbinis concinunt, verba Joan. VIII, 5 debent explicare de sponsa quæ cum alio peccaverat.

5⁰ Tandem lapidibus obruendus erat bos qui cornu occiderat hominem, Exod. XXI, 28.

Lapidatio aliquando fiebat absque consueta legitimi judicii forma, per *judicium zeli*, ut vocatur, vel per tumultuariam populi commotionem; nimirum, quando turba, subito Legis studio arrepta, vel furore incensa, virum scelestum lapidabat in ipso loco, ubicumque esset: cf. Ex. XVII, 4; 1 Reg. XXX, 6; 2 Paral. XXIV, 21; 2 Mach. I, 16; Matth. XXI, 35; Luc. XX, 6; Joann. X, 31 et XI, 8; Act. V, 26; XIV, 5, 18; 2 Cor. XI, 25. Inde explicatur, Jesum in templo jussisse ut in mulierem adulteram primus lapidem jaceret qui sine crimine esset, Joann. VIII, 7. Parum abfuit quin ipse ibidem, in iisdem rerum adjunctis (Joann. VIII, 59), et postmodum in casu fere simili (Joann. X, 31), a populo lapidibus obrutus fuerit.

In cap. autem VII, 59 Actuum Apostolorum de hujusmodi lapidatione extra-judiciali sermo non habetur; nam coram synedrio tamquam reus stetit Stephanus. Illud tamen notandum est, omnes judicii regularis formas haudquaquam fuisse observatas, quum sententia a judicibus lata non fuerit; et, etiamsi fuisset, Judæi non potuissent, sine Romanorum licentia, reum ultimo afficere supplicio (Joann. XVIII, 31), propterea quod ea tempestate *jus gladii,* quo sententiam capitalem perficerent, eis ademptum esset.

DISSERTATIO QUARTA.

QUÆSTIO SCRIPTURISTICA DE MAGIA.

(Ad Act. Apost. VIII, 9-11).

Cf. CALMET. *dissert.* spec. ad Exod. — DANKO, *Hist. revel, v. Testam.* p. 121. — BERGIER, *Dict. th.*, art. *Magie.* — WETZER *et* WELTE, *Dict. encycl.* art. *Magie* (trad. de Goschler). — PERRONE, in tract. de Angelis.

Magia generatim dici potest: *ars operandi quædam mira per causas insolitas.* Dividitur in a/ *naturalem,* quæ causis occultis, sed naturalibus, utitur, absque ope dæmonis; et b/ *diabolicam* seu *superstitiosam,* quæ magia est proprie dicta, quæque definitur: *ars mirabilia producendi per dæmonis potestatem.* Hæc itaque existere nequit sine *commercio* quodam perverso hominis cum diabolo; quod quidem commercium, per nudam *invocationem* spiritus mali, vel per *pactum* cum ipso, saltem *tacitum,* initur.

Ante omnia observandum est, *magos,* de quibus mentio fit in s. Scriptura, non semper intelligi viros *magiæ* deditos. Etenim Matth. II, 1 (cf. *Comm.* nostrum *s. Matth.* 3ª ed., et annot. in Act. Ap. VIII, 9) *magi* vocantur, nomine a Persis deducto, viri sapientes, qui astronomiæ et artis medicæ periti erant, quique, religioni præpositi, magno in honore antiquitus habebantur.

Præcipuæ autem *magiæ* species, quas s. Literæ memorant, sunt sequentes: 1⁰ *Necromantia* (νεκρος *mortuus,* et μαντεια divinatio), seu mortuorum evocatio, cf. 1 Reg. XXVIII, 7 sqq. 2⁰ *Serpentum incantatio,* cf. Ps. LVII, 6 (videsis *Comm.* nostr. *in libr. Psalm.*, ad ill. l.), et Jerem. VIII, 17. 3⁰ *Astrologia,* seu ars definiendi hominum fata e siderum in hora natali dispositione, cf. Is. XLVII, 13. 4⁰ *Divinatio* seu *Pythonismus* (a *Pythone,* quod nomen est serpentis, ab Apolline oraculorum auctore interfecti),

seu rei futuræ contingentis prædictio per vaticinationes a dæmone inditas, vel per somnia ab ipso immissa, cf. Act. Ap. XVI, 16; vel per scyphi (Gen. XLIV, 5) aut extorum (Ezech. XXI, 21) inspectionem; vel per sagittarum commixtionem (ib.) etc. Asserere tamen nolim in illis omnibus, quæ narrant sacræ Paginæ, veram fuisse magiam diabolicam: eam autem aliquando exstitisse, persuasum habeo.

Quamvis enim multa eorum, quæ de magiis narrantur, fraudes aut commenta censenda sint, nec leviter umquam istiusmodi prodigiis diabolicis fides adhiberi possit: attamen certum esse opinamur, magiam stricte dictam seu diabolicam vere exstitisse olim, atque hodiedum existere; adeoque Ecclesiam catholicam, quando exorcismos instituit, aut artem magicam severe damnavit, præjudicatis ac superstitiosis vulgi opinionibus haudquaquam se accommodasse (1). Veram autem magiæ existentiam ex ipsa s. Scriptura docemur (contra *Bergier* in *Dict. th.*, art. *Magie*, et contra *Aberle* in *Dict. encycl. de Wetzer et Welte*); neque audiendi sunt ii interpretes, qui contendunt omnia prodigia magica, de quibus divinæ Literæ loquuntur, per humanam industriam atque fallacem solertiam peracta fuisse. Quam quidem thesim nostram ut demonstremus, loca quædam insigniora e s. Literis recensebimus.

Antea tamen monemus tria esse principia, quæ prævio sunt admittenda, quæque a theologis dogmaticis comprobantur:

a/ Vere existere quosdam spiritus nequam, quos *dæmones* vocamus;

b/ Eosque magna præditos esse potestate, qua valeant, si Deus permittat, in homines mortales et in creaturas irrationales hujus mundi agere, atque talia perficere quæ vires nostras valde superent;

c/ Nihil autem obstare quominus Deus possit, si velit, permit-

(1) Neque Ecclesiæ exorcismos explicare licet eo sensu quem tradit cl. *Aberle* (in *Dict. encycl. de Wetzer et Welte*, art. *Magie*), scil. : ex iis solummodo concludi posse, dæmones in hominem vim habere, non autem vim illam ab alterius hominis invocatione seu conjuratione pendere : quod, ait iste, requiritur ut *vera* sit magia. Hanc sententiam rejicimus, quia in Rituali Romano, Tit. X, monetur exorcista ut *jubeat dæmonem dicere an teneatur in illo corpore ob aliquam operationem magicam aut malefica signa* etc. Deinde, veram magiæ existentiam ab Ecclesia admitti, manifeste patet ex Constitutionibus contra magiam editis, v. gr. ex Const. Sixti V, *Cœli et terræ* (cit. apud *Luc. Ferraris*, *Prompta bibl.*, art. *Superstitio*).

tere ut dæmones mira quædam in hoc mundo operentur; igitur, neque sanæ hominum rationi, neque Dei attributis ullis repugnare prodigia quædam a diabolo, ob fines Deo probatos, perfici.

His præmissis, præcipua facta, quæ in s. Libris narrantur, jam exquiramus.

1° Ad magiam veram referimus, contra BERGIER (*Dictionnaire théologique*, art. *Magie*) et contra ABERLE (in op. *Kirchen-Lexicon von Wetzer und Welte*, ubi de Magia), ea quæ Exodi VII et VIII leguntur de *magis Pharaonis*. Prodigia enim, quæ ad imitationem Moysis fecerunt isti, non arte quadam naturali, aut solertia, aut fraude, explicari possunt. Etenim a/ ipsa Scriptura aperte dicit ea facta fuisse *per incantationes Ægyptiacas et arcana quædam*. b/ Tanta erant ac talia, ut per industriam humanam minime perfici posse videantur; saltem quin Moyses fraudem detexisset, eamque Pharaoni explicasset. c/ Ita censent s. Aug. (*Quæst* 21 *in Exod.*) et s. Thom. (*Summ. th.* p. 1, q. 114, a. 4).

2° *Pythonissa ex Endor* legitur veram exercuisse *necromantiam*, 1 Reg. XXVIII. Etenim Samuel (vel saltem manes ejus) re ipsa conspiciendum se præbuit, et per operam quidem diaboli: quod multis demonstratur argumentis. a/ Scriptura s. id arti magicæ aperte tribuit; b/ conqueritur Samuel se inquietari, quod sane non fecisset si a Deo excitatus fuisset. c/ Deinde, hoc posito, Deus dicendus esset favisse superstitioni, quam severe damnaverat: tandem d/, Sauli licite petenti jam responsum negaverat: idque certe non dedisset superstitiose postulanti. Aliunde nihil sanæ rationi repugnat in eo quod mortui, volente vel permittente Deo, appareant vivis. Neque incredibile videtur animam Samuelis, tanti prophetæ, incantationi pythonissæ et diaboli potestati subjectam fuisse; etenim et in ipsum Christum Dominum quamdam Satanas potestatem habuit, cum in loco deserto eum tentavit.

3° Act. Apost. XVI, 16, sermo fit de puella habente spiritum *Pythonem*, cujus ope artem exercebat *divinatoriam*, quæ species *magiæ* est. — Porro, ex iisdem Actis Ap. XIX, 19 novimus artem magicam frequentissime usitatam fuisse Ephesi, ætate s. Pauli, multosque libros magicos ibidem vulgatos fuisse.

4° Deut. XIII, 2, Moyses tamquam rem certam ponit prodigia fieri posse in gratiam pseudoprophetarum, simulque innuit illa a dæmone patrari.

5° Cum Judæi, Christum calumniantes, contenderent miracula ejus per Beelzebub, dæmoniorum principem, perfici (Matth. IX, 34 et XII, 24), Servator non respondit prodigia a diabolo fieri non posse.

6° Quin etiam ipsemet Jesus contrarium innuit, quando, Matth. XXIV, 24: *Surgent,* inquit, *pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia.*

7° Huic concinit Apostolus, ubi 2 Thessal. II, 9 de Anti-Christo: *Cujus est adventus,* ait, *secundum operationem Satanæ in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus.*

8° Huc etiam pertinet Apoc. XIII, 13 et XVI, 14.

9° Tandem in s. Bibliis sæpe leguntur historiæ, quæ, quamvis *magicæ* proprie dictæ accensendæ non sint, prodigiosam tamen dæmonum potestatem comprobant: v. gr. a/ mala Jobo illata; b/ Christus a diabolo eum tentante vi arreptus (Matth. IV, 1); c/ *energumeni* seu *dæmoniaci* pluries memorati in novo Testamento, quibus *Pythonismus* aliquando tribuitur.

Ex his omnibus concludere fas est, in divinis Eloquiis affirmari veram *diabolicæ magiæ* existentiam; quam ideo tantum negarunt pseudo-philosophi, quod contenderent nullos esse spiritus nequam; aut falso putarent insolitas istas dæmonum actiones attributis Dei, hominisque sanæ rationi, repugnare.

Absit tamen ut dicamus s. Literas, dum talia facta narrant, animum plebis credulum superstitiosumque excitasse. Contra, ea reprehendunt ubique tamquam gravissima peccata, adversus quæ maximæ statutæ sunt pœnæ. Sufficiat hanc unicam recitasse prohibitionem, quæ in lege Mosaica habetur, Deut. XVIII, 18: *Non inveniantur in te... qui sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem.* Cf. Exod. XXII, 18 et Lev. XX, 27.

Obiter notemus, facta extraordinaria, quæ nostris temporibus narrantur (*tables tournantes, esprits frappeurs, magnétisme animal, mediums, communication avec les esprits* etc.,), secundum testimonia virorum gravissimorum, non esse omnia oculorum ludibria aut mendacia; verum plurima id genus prodigia dæmonum potestati adscribenda esse, atque ideo licitum haudquaquam esse ista peragere aut eis interesse. Cf. *Ill. Pie, episc. Pictav., Disc. et instr. past.* T. 3, p. 43; et *R. P. Matignon S. J., Les morts et les vivants;* et *La question du surnaturel, ou la Grâce, le merveilleux et le Spiritisme au* 19[me] *siècle.*

Superest ut ostendamus, qua ratione prodigia diabolica a veris miraculis, quæ Deus in s. Libris legitur toties patrasse, differant, et quomodo illorum vim dogmaticam non enervent. Quem in finem sint sequentia doctrinæ capita breviter proposita.

1⁰ *Aliter*, ait s. Aug. (cit. apud s. Thom., *Summ. theol.* 2a 2æ, q. 178, a. 2), *magi faciunt miracula, aliter boni christiani, aliter mali.* Etenim *magi* per dæmonem faciunt miracula improprie et late dicta: *boni* christiani, per potentiam divinam, vera et stricte dicta operantur miracula, qualia *mali* quoque possunt patrare ad confirmationem veritatis, quando veram fidem nuntiant nomenque Christi invocant. Cf. Matth. VII, 22 *Nonne in nomine tuo prophetavimus, et... dæmonia ejecimus, et.... virtutes multas fecimus?* quibus tamen respondebit Judex : *Discedite a me* etc.

2⁰ Itaque *magicis artibus*, ut rursum ait s. Aug. (cit. apud eumdem s. Thom., *Summ. theol.* p. 1, q. 104, a. 4), *fiunt miracula plerumque similia illis miraculis quæ fiunt per servos Dei.* Nota dici *similia*, non *æqualia*, videlicet quæ hominum facultatem et cognitionem excedunt (in quantum tamen Deus id permittat); non vero quæ ordinem totius naturæ creatæ superant; hæc enim, quum a Deo solo perfici possint, miracula sunt proprie dicta.

3⁰ Nihilominus, opera illa dæmonum mirabilia possunt esse veræ res, non nuda phantasmata; modo res ipsa sub viribus naturæ creatæ cadat: ex gr., probabile est veros fuisse serpentes quos magi Ægyptiaci exhibuerunt. Secus vero dicendum, si agitur de re quæ creaturarum vires superet; v. gr. de homine mortuo ad vitam revocando: tunc operatio dæmonis non est secundum rei veritatem, sed secundum falsam speciem tantum, aut vanam imaginem; atque ideo ista efficitur per mutatam hominis phantasiam (adeo ut videatur esse quod a parte rei non est), vel per interjectum corpus aliquod phantasticum, puta, ex aere aliave materia subtilissima formatum.

4⁰ Vim demonstrativam, quam in re dogmatica præbent vera s. Scripturæ miracula, enervare non valent falsa diaboli miracula. Namque e s. Literis constat, miracula fuisse a Deo electa tamquam indicium certum, quo divina voluntas hominibus declaretur, atque vera religio a falsis dignoscatur, ut eruitur ex Joann. X, 24, 25 : *Si tu es Christus,* aiunt Judæi, *dic nobis palam. Respondit eis Jesus : Loquor vobis et non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Et v. 38,

Si mihi non vultis credere, operibus credite. Eodem modo, Matth. IX, 6, Jesus, cum sanat paralyticum, testatur se id facere ut scirent Judæi, *quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata;* ideoque ut certo scirent ipsum esse Messiam a Deo missum, ejusque doctrinam tamquam divinam amplectendam esse. Nunc autem, si Deus miracula nobis dedit ad veritatem a falsitate discernendam, attributa Dei moralia, ejus bonitas, veracitas, sanctitas etc., necessario postulant ut non permittat nos insuperabili vi in errorem duci per falsa diaboli miracula. Itaque quæcumque dæmonibus adscribatur potentia, certum est omnes rerum adjunctas rationes tali modo a Deo ordinandas esse, ut facile possimus judicare cuinam potestati, Deine an diaboli, tribuenda sint prodigia.

Exempli gratia, magi Pharaonis ipsi coacti sunt prodere diabolum auctorem suorum operum, cum ultra tertium signum progredi non potuerint, et longe superiorem in Moyse potestatem agnoverint, exclamantes: *Digitus Dei est hic!* Quibus verbis fassi sunt, in suis signis non adesse digitum Dei, sed tantummodo dæmonis mendacium.

Ita quoque, in Act. Apost. VIII, 9-11, falsa Simonis Magi portenta majoribus superata fuerunt miraculis Philippi; adeo ut præstigiator iste stupens admiraretur signa et virtutes maximas, quæ videbat a Philippo patrari (Act. VIII, 13), eique adhæserit in eum finem ut disceret eadem prodigia facere; quemadmodum v. 18 et 19 legimus ipsum ab apostolis voluisse emere potestatem dandi Spiritum sanctum ejusque charismata miraculosa. Tandem, ex antiqua traditione novimus, eumdem Simonem, arte magica in sublimem aerem elevatum, orante s. Petro in terram delapsum fuisse: quod apertum erat indicium, portentosa ejus facta dæmoni abscribenda esse, atque ea a veris Dei miraculis certo discerni potuisse.

Ampliorem autem hujus quæstionis tractationem videsis in theologia dogmatica.

DISSERTATIO QUINTA.

HEBRAISMI IN VOCIBUS MENTALIBUS PRO REALIBUS.

(Ad Act. Apost. VIII, 21).

Versio latina Vulgata, quemadmodum et versio græca Septuaginta Interpretum, frequenter utitur hebraismis in quibus verba

mentalia pro *realibus* ponuntur, i. e. in quibus vocabula, quæ actum interiorem aut ore tantum expressum designant, adhibentur pro vocabulis quæ actum exteriorem aut rem *concretam* significant.

Quum autem innumera veteris novique Testamenti loca rite intelligi nequeant ab eo cui modus ille loquendi, Hebræis imprimis proprius, perspectus non sit, utile ducimus hic, per modum excursus, varia hujusmodi idiotismi exempla proponere.

Act. Apost. VIII, 21 *sermo* adhibetur pro *re*, per metaphoram quam ibid. notavimus. Id ipsum animadvertimus Marc. I, 45: (leprosus) *cœpit... diffamare sermonem*, cœpit divulgare id quod fecerat Jesus. 2 Reg. XII, 21 *Quis est sermo quem fecisti?* quid est quod fecisti? 3 Reg. XV, 5 David dicitur fuisse fidelis Domino in omnibus, *excepto sermone Uriæ*, excepto illo quod contra Uriam commisit.

Eodem modo adhibetur vox *verbum*. Liber Paralipomenon hebraice inscribitur: *Verba dierum*, h. e. res gestæ (*verba*) secundum temporum seriem (*dierum*) ordinatæ, seu historia temporis, chronicon. Luc. I, 37 angelus dixit ad Mariam: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum;* sensus est: nihil erit impossibile Deo.

Huc spectat etiam *loqui* pro *facere, agere*. Gen. XXXI, 24 Deus dicit Laban: *Cave ne quidquam aspere loquaris contra Jacob*, ne quid mali *agas* contra ipsum. Hunc autem esse verum verborum sensum, patet ex v. 29 ubi Laban dicit Jacobo: *Valet manus mea reddere tibi malum, sed Deus patris vestri heri dixit mihi: Cave ne loquaris contra Jacob quidquam durius.*

Inde *silere, tacere*, quandoque significat *non agere, quiescere, sistere:* 1 Machab. 1, 3 terra dicitur *siluisse* ante conspectum Alexandri Magni, quasi non ausa fuerit *se movere, nec minimum quid adversus ipsum hostiliter peragere.* Sic prodigiosa jussio, quam Josue soli dedit, quum illum sistere fecit, hoc modo exprimitur in hebræo: *Sol, in Gabaon sile!* Thren. seu Lament. Jerem. II, 18 *Neque taceat pupilla oculi tui*, ne flere desinas*:* cf. Jerem. XIV, 17.

Secundum idem sententiarum genus, *mendacium* aliquando idem est ac *res falsa, vana, mala, iniqua.* Ps. IV, 3 *quærere mendacium*, i. e. res malas seu iniquitatem perquirere, male agere. Apoc. XXI, 27 *facere mendacia*, facere malum, peccare. Sæpius

etiam *mendacium* dicitur pro *re falsa et iniqua* κατ' ἐξοχήν, nempe pro falso numine (gall. *une idole*): ex. sit Is. XXVIII, 15 *Posuimus mendacium spem nostram et mendacio protecti sumus,* aiunt impii, idololatriæ dediti. Cf. Rom. I, 25 *Commutaverunt veritatem Dei in mendacium.*

Inde *mendax* vocatur *qui male vivit, qui non facit opera consentanea veritati,* i. e. justitiæ et sanctitati: quod est mendacium quoddam *practicum* (sit venia verbi), non verborum, sed operum. Apoc. XXI, 8: *Execratis, et homicidis,... et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti.*

Vicissim, *veritas* in s. Literis sæpe sign. *æquitatem, fidelitatem, rectam ac sanctam agendi rationem,* potius quam *veracitatem in verbis,* vel probitatem atque innocentiam *in cogitationibus.* Intelligitur itaque veritas ad actum deducta (gall. *pratique*), quæ vitam et mores recte ordinat, secundum normam boni et justi. Ita frequenter s. Joannes; v. gr. cap. III, 21 *Qui... facit veritatem, venit ad lucem.* Pariter Ps. XI, 2 *Defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum:* noli autem cum nonnullis concionatoribus sacris, aut vitæ asceticæ scriptoribus, ista Psalmorum verba interpretari de *veritatibus æternis,* hoc sensu: quia pauci eas meditantur, ideo sancti sunt pauci. Hæc quidem sententia in se verissima est, sed ibi non dicitur; hoc enim sibi vult auctor sacer: *nulla pœne fidelitas, sanctitas, justitia inter homines reperitur, fere omnes a via recta deflexerunt*; quapropter pergit: *Vana* (perversa) *locuti sunt* (fecerunt) *unusquisque ad proximum suum* etc. Cf. Rom. II, 6 sq. *Reddet* (Deus) *unicuique secundum opera ejus...: iis qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira* (erit) *et indignatio.*

Similiter, *intelligens, sapiens* etc., haud raro dicitur loco *probus:* Rom. III, 11: *Non est justus quisquam; non est intelligens; non est requirens* (recte colens) *Deum.* Huc accedit Ps. XL, 2 *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem,* i. e. qui benignus et misericors est erga pauperem. Sensus non est : *heureux l'homme qui a l'intelligence de l'aumône, qui comprend la bonne manière de la faire. Lux* etiam seu *lumen* ponitur pro *re clara, præclara, bona, sancta.* Per antithesim autem *tenebræ* designant *malitiam, peccata* etc. Act. XXVI, 18 *Convertantur a tenebris ad lucem* etc.

Tandem, eodem sensu figurato usurpantur quandoque verba *vocare* et *nomen.* Ex. gr. *Domus mea domus orationis vocabitur,*

i. e. erit. De Messia prædictum fuit fore ut *vocaretur* Emmanuel, Deus Fortis, Pater futuri seculi etc., quo significabatur ipsum futurum fuisse Emmanuelem, seu nobiscum Deum, Fortem etc. Luc. I, 32 *Erit magnus et Filius Altissimi vocabitur*, erit. Luc. I, 76 *Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis*, eris. Similiter *nomen rei* vel *personæ* ponitur pro *re ipsa* vel *ipsa persona*. Exempla sint: Act. Apost. X, 43 *Per nomen ejus* (*Jesu*) *remissionem peccatorum accipere*, tantum valet ac: per Jesum, per ejus merita. Joann. I, 12 *Credere in nomine ejus* (Verbi), græce εις το ονομα, sign. credere in ipsum, credere ipsum esse Dei Filium, hominum Salvatorem. In hisce orationis Dominicæ verbis *Sanctificetur nomen tuum*, per *nomen* Dei, ipse Deus intelligitur, uti bene explicat Cathechismus noster Mechliniensis, Lect. 17: *Wat verstaat gij door den naam Gods? — God zelven, en al wat men God toeschrijft, als zijne Almogendheid, Goedheid, Liefde enz.*

Ex his observationibus circa morem Hebræorum, qui frequentius quam Latini Græcique adhibent vocabula *mentalia* et *abstracta* loco *realium* et *concretorum*, innumera fere loca s. Scripturæ, alias satis difficilia, clara plane faciliaque evadent.

DISSERTATIO SEXTA.

DE CONSUETUDINE JUDÆORUM CUM GENTILIBUS.

(Ad Act. Apost. X, 28)

1⁰ Prohibitio conversandi cum gentilibus, de qua loquitur s. Petrus Act. X, 28, non exstat in Lege Moysis.

2⁰ Contra, magnam erga gentiles peregrinos, qui apud Israelitas commorabantur, humanitatem, imo vero et hospitalitatem Lex illa commendat, in Exod. XXII, 21; XXIII, 9; Lev. XIX, 33; Deut. X, 18; adeo quidem ut peregrini plurimas pauperum Hebræorum prærogativas participarent, v. gr. circa prandia festiva, Deut. XIV, 29; XVI, 11; spicarum uvarumque collectionem, Lev. XIX, 10; XXIII, 22; Deut. XXIV, 19; et messem in anno jubilæi, Lev. XXV, 6. In judiciis eadem habebant jura ac indigenæ, Exod. XII, 49; Lev. XXIV, 22; Num XV, 15 etc.; urbes refugii etiam ipsos tuebantur, Num. XXXV, 15; etc. Igitur, legis Mosaicæ benignitas erga peregrinos major erat quam ea quæ apud alios orbis antiqui populos, etiam Romanum et Græcum, umquam exstiterit.

3⁰ Civitas Hebræorum cum gentilium civitatibus, Chananæis aliisque paucis exceptis, fœdera inire poterat.

4⁰ Neque Hebræis per Legem interdicta erat mercatura cum extraneis, quamvis, secundum œconomiam generalem veteris Testamenti, ad agriculturam magis quam ad negotiationem destinati essent.

5⁰ Hebræi tamen, tum vi legum, quum ratione electionis suæ et vocationis divinæ, magnam cum gentilibus necessitudinem habere non poterant, ne ad idololatriam abducerentur. Eamque ob causam varia præcepta atque ritus singulares, quibus a ceteris populis separarentur, eis imposita erant a Deo, v. gr. de ciborum discrimine, de circumcisione etc.

6⁰ In posteriore ætate, Judæi, præsertim Rabbini, e secta Pharisæorum, alienigenas ab omnibus humanitatis officiis excluserunt; propterea quod verba Levit. XIX, 18 *Diliges amicum* (*reah*) *tuum sicut teipsum*, quibus præcipiebatur caritas erga alios homines (hebraicum *reah* sæpe *socium* aut *amicum* significat, hic autem *quemvis hominem*, gall. *le prochain*; cf. Ex. XX, 15 sq.) ad solos populares suos restringebant (1).

Igitur, vetabant ullam cum ethnicis inire necessitudinem, non solum in iis quæ ad religionem, sed etiam quæ ad urbanam vitam pertinent, ut commorari, bibere, comedere, emere, vendere etc. Eos habebant tamquam pollutos, et putabant eorum sordes iis omnibus communicari, qui eos attigissent. Ex dictis intelligimus qua de causa Judæi, ad fidem conversi, non sine quadam animi acerbitate a s. Petro quærerent (Act. XI, 3) : *Quare introisti ad viros præputium habentes, et manducasti cum illis?* Inde etiam explicatur quod Joannes XVIII, 28 narrat, Judæos, Christi accusatores, in vigilia Paschatis (2) prætorium ingredi noluisse, *ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*. Huc spectat Marc. VII, 3, ubi refertur Judæos, quotiescumque a foro vel a nundinis domum reverterentur, sedulo se lavisse atque expiasse, in eum finem ut, si quem gentilium forte tetigissent, ab immunditie ista purgarentur. Propter eamdem rationem, ut videtur, toties lava-

(1) Imo vero, ætate Christi erant qui ex verbis istis Lev. male intellectis per antithesim concluderent : *Odio habebis inimicum tuum* : Matth. V, 43.

(2) Obiter animadvertimus antiquam esse celeberrimamque controversiam, utrum dies ille, quo Jesus a Pilato mortis damnatus et cruci affixus fuit, esset pridie Paschatis, an vero ipsummet Pascha tunc a Judæis celebraretur. Quæstionem fuse exposuimus in *Comm.* nostro *s. Matthæi*, 3a ed., a. 1880-1882, p. 1074-1079.

bant manus (Matt. XV, 2), et tamquam proverbium dicebant: *Sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, Matth. XVIII, 17.

Id tamen animadverti debet, illa omnia a Judæis observata non fuisse extra Palæstinam ob hanc causam quod essent in exilio. Imo, intra ipsam Palæstinam, sub ditione Romanorum, severæ istæ consuetudines relaxatæ fuerunt (præsertim a Sadducæis), ut statim dicemus.

7º Gentiles, qui *proselyti* erant, non tam aspere tractabantur. Duplicis autem generis *proselytos* (προσηλυτος, a προς et ελυθω, idem ac ερχομαι, sign. proprie *advena*) distinguere oportet, secundum Rabbinos, nimirum: *portæ* et *justitiæ*. Jam vero *proselyti portæ* (qui sæpe vocantur οἱ σεβομενοι colentes, subaudito τον Θεον, Deum, v. gr. Act. Ap. XIII, 50, XVI, 14 etc.) ii erant qui ex commercio cum Judæis ad cognitionem unius veri Dei pervenerant, et, falsorum deorum cultu abdicato, fideliter eum colebant, quique præterea septem præcepta, quæ dicuntur *Noachica* (1), observabant, quin tamen essent circumcisi, aut cetera legis Mosaicæ mandata custodirent. Cornelius autem, de quo Act. X, *proselytus* fuisse non videtur; atque ideo mirum non est, dixisse s. Petrum, nefas fuisse Judæis cum ipso, utpote gentili, familiariter agere, præsertim in re religiosa. Prohibitio tamen illa, quum doctrina Rabbinorum tantum niteretur, non stricte intelligebatur, ne ab ipsis quidem Pharisæis, maxime ab eo tempore quo Romani Palæstinam in Provinciam redegerant. Etenim, si Judæi nullum vitæ commercium cum gentilibus habere potuissent, quomodo in eorum conversione elaborassent cum illa maxima diligentia de qua Matth. XXIII, 15? Hac observatione solvitur difficultas quædam a rationalista *De Wette* excogitata: cf. annot. in Act. X, 28.

8º Tandem *proselyti justitiæ* circumcisionem accipiebant legemque Moysis universam observabant: quamobrem genti Judaicæ quasi inserti erant, et in omnibus juribus ipsis Judæis fere æquiparabantur. Quidam, tamquam indigni, ab hac juris hebraici communione, vel perpetuo, vel ad tempus excludebantur: reli-

(1) Præcepta, quæ a Judæis vocantur *Noachica* (nomine deducto a *Noe* hebraice *Noach*, cujus filiis tradita sunt a Deo, si Rabbinis credendum sit, quæque, secundum istorum doctrinam, ab omnibus hominibus sunt observanda, tamquam ad jus naturæ pertineant), sequentia sunt: abstinere 1º a cultu falsorum deorum; 2º a blasphemia seu maledicentia ss. Nominis Dei; 3º ab incestu; 4º ab homicidio; 5º a rapina, furto etc.; 6º a contumacia in magistratus, judices etc.; 7º tandem, ab esu carnium sanguinolentarum.

gionem tamen Judaicam profiteri poterant, sed ad privilegia et jura Judæorum non admittebantur. In perpetuum autem exclusi erant eunuchi, Ammonitæ, et Moabitæ, Deut. XXIII, 1, 3, coll. 2 Esdr. XIII, 1; Idumæi vero et Ægyptii tantummodo usque ad tertiam generationem, Deut. XXIII, 7, 8; nati de scorto usque ad decimam generationem, Deut. XXIII, 2.

Concludamus, plenam absolutamque populi Hebræi separationem ab aliis gentibus, lege Mosaica introductam non fuisse: quod quidem adeo verum est, ut tempore Salomonis, 153,600 advenæ in Palæstina pacifice degerent, 2 Paralip. II, 17. Attamen, nonnisi per Christum in mundo regnare cœpit mirabilis illa omnium gentium conjunctio et charitas, quæ in Ecclesia *catholica*, per totum orbem diffusa, splendescit.

DISSERTATIO SEPTIMA.

QUÆSTIO SCRIPTURISTICA DE EPISCOPIS ET PRESBYTERIS.

(Ad Act. Apost. XX, 17, 28).

Monitum prævium. Propositum nobis est, in hac parva dissertatione, de sacerdotibus tantum novæ Legis seu Ecclesiæ christianæ disputare; quamobrem ea omnia prætermittimus, quæ ad sacerdotes populi Israelitici spectant, quæque ad explicationem veteris Testamenti referenda sunt. Deinde, tractationem nostram fere ad solam quæstionem *scripturisticam* restringimus; pro parte autem *dogmatica* ad tract. *De Eccl.* auct. De Brouwer (Brugis 1882, p. 94-107) alumnos amandamus.

1° *De fide* est episcopos presbyteris superiores esse, duplici potestate, tum Ordinis, quum jurisdictionis. Ex conc. Trid., sess. 23, can. 6 et 7.

2° *Theologice* certum est hanc episcoporum præstantiam esse *de jure divino.* Etenim a/ quod spectat *potestatem Ordinis*, ex s. Literis novimus a solis episcopis consecratos fuisse presbyteros; sic Act. Ap. XIV, 22 legimus ab apostolis per singulas civitates *constitutos* fuisse *presbyteros;* hujus rei gratia Titum relictum Cretæ, Tit. I, 5, monitumque Timotheum (quos utrosque fuisse episcopos nemo dubitat) ne manus cuipiam cito imponeret, 1 Tim. V, 22. Deinde b/, quod attinet ad *potestatem jurisdictionis*, Apostolus dicit (1 Tim. V, 19) Timotheo jus esse recipiendi accusationes adversus presbyteros latas, adeoque eos examinandi, pu-

niendi etc., quod facit verus superior. Præterea, plures e ss. Patribus admittunt sensu quodam dici posse episcopos successisse duodecim apostolis, presbyteros autem septuaginta duobus discipulis: atqui apostolos discipulis majores fuisse ex universa Evangelii historia colligimus.

3° Excellentia autem auctoritasque episcoporum, qua sacerdotes superant, non per ipsa nomina *episcopi* et *presbyteri* designatur. Vox enim *episcopus* (*inspector*, ex græco επι et σκοπεω) quamdam sane significat dignitatem et auctoritatem, sed naturam ejus aut gradum non indicat. Apud auctores profanos *episcopi* quandoque dicuntur præfecti civiles et militares; Eusebius vero Imperatorem Constantinum vocat *Episcopum ad extra*. Igitur vox *episcopus* auctoritatem sacram *per se* non demonstrat. Attamen in novo Testamento constanter usurpatur de quadam præfectura sacra, atque eos generatim denotat qui cœtibus christianis præerant: at vero certum dignitatis sacræ gradum non definit; nam 1 Petr. II, 25 Christus vocatur *Episcopus animarum*, quod sane de eo præfecturæ gradu, qui est supra omnem gradum, intelligitur [1]. Eodem modo *presbyter* (ex græco πρεσβυτερος, *senior*) proprie ætatem, et inde aliquam auctoritatem, qualis senioribus haud raro tribuitur, significat; sed rursum per se neque autoritatis *naturam*, utrum spiritualis sit necne, neque ejus *gradum* determinat. Etenim s. Petrus in prima epist. V, 5 id de viris ætate provectis adhibet, cum scribit: *Adolescentes, subditi estote senioribus* (πρεσβυτεροις). Apud Matthæum XV, 2 *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum* (των πρεσβυτερων)? per *seniores* designantur doctores Judæorum, traditionis auctores. In Evangeliis et in Actibus Apost. eodem nomine passim vocantur quidam ex assessoribus synedrii: cf. *Comm.* nostr. *s. Matth.* 3° ed. p. 118.

4° Verumtamen a multis jam seculis, vi usus universalis in Ecclesia catholica, *episcopus* proprie dicitur sacerdos primi ordinis, qui potestatem habet administrandi Sacramenta Confirmationis et Ordinis; *presbyter* vero sacerdos secundi ordinis, qui episcopis inferior est.

5° Quæstio nunc est, utrum in novo Testamento idem usus constanter servatus fuerit; adeo ut, qui inter ministros sacros

[1] In vetere Testamento (2 Esdr. XI, 22) mentio fit de *episcopo Levitarum*, qua denominatione gradus quidam auctoritatis sacræ ab episcopis nostris longe diversus denotatur.

christianæ religionis vocetur *episcopus*, semper et ubique intelligendus sit sacerdos primi ordinis, et qui dicatur *presbyter* sacerdos secundi ordinis.

A) Difficultas autem minor est quod attinet ad nomen *presbyteri*: nam certum nobis videtur, illud sacerdotibus primi et secundi ordinis commune esse, nunc hos nunc illos designans. S. Joannes 2 ep. I, 1 et 3 ep. I, 1 ipsemet se vocat πρεσβυτερον; s. Petrus autem 1 epist. V, 1 συμπρεσβυτερον. 1 Tim. IV, 14 *Cum impositione manuum* του πρεσβυτεριου, *presbyterium* significare videtur collegium episcoporum et presbyterorum qui id temporis Ephesi aderant.

B) Nodus quæstionis in nomine *episcopi* versatur : utrum qui in novo Testamento ita appellantur, semper intelligendi sint sacerdotes primi ordinis.

Protestantes plerumque tenent, eos, qui in novo Testamento vocantur *episcopi*, ad unum eumdemque pertinere ordinem ac illos qui *presbyteri* dicuntur, adeo ut inter utrosque nulla sit potestatis aut ordinis differentia. Quod quidem sequenti modo probare conantur : a/ qui Act. Ap. XX, 28 επισκοποι, iidem v. 17 πρεσβυτεροι appellantur; pariter Tit. I, 5-7. b/ Pluries mentio fit de episcopis et diaconis, omissis presbyteris; qui tamen præteriri non potuissent, si eorum ordo ab ordine episcoporum diversus fuisset, cf. Phil. I, 1; 1 Tim. III, 1-10.

Catholici autem in hac quæstione varias proponunt sententias, quæ ad tres præcipuas reduci possunt.

1ª SENTENTIA, pro qua citatur s. EPIPHANIUS (*Hæres.* 75, 5), PETAVIUS (*Diss. eccl.*, I, 1, et *De eccl. Hierarchia* I. 2), ESTIUS (*Comm. in* 1 *Tim.* III, 8) etc., universe affirmat sub nomine *episcoporum* semper intelligendos esse sacerdotes primi ordinis; eosdem autem *presbyteros* etiam vocari, tum ratione ætatis, tum ratione sacerdotii quod eximie habent : ut Act. XX, 17. Et quum plures ibi memorentur episcopi ecclesiæ Ephesinæ, quumque (Phil. I, 1) Apostolus salutet episcopos (in plurali) ecclesiæ Philippensium: alii pluralem istum numerum explicant de episcopis vicinarum civitatum; alii, inter quos Petavius (*Diss. eccles.* I. 1, cap. 2, n. 1), opinantur plures fuisse, ea tempestate, in una civitate sacerdotes primi ordinis. Deinde, ex eo quod s. Paulus (Phil. I, 1; 1 Tim. III, 1-8) ab *episcopis* ad *diaconos* transeat, nulla facta mentione de *presbyteris*, quodque Tit. I, 5 dicat constituendos esse per civitates *presbyteros*, et mox v. 7 eosdem ut *episcopos* describat :

nonnulli auctores, inter quos rursum Petavius (loc. cit.) contendunt fere omnes sacerdotes primitivæ ecclesiæ, propter necessitatem illius ætatis, dignitate episcopali insignitos fuisse.

Hac autem admissa sententia, ex sacra Scriptura commodius demonstrari potest, episcopos esse presbyteris superiores. Sed difficultas est haud exigua, in explicanda ratione ob quam Apostolus ab episcopis ad diaconos transeat, nulla de presbyteris facta mentione.

2ª Sententia. Theodoretus (*Comm. in Phil.* I, 1, *et in* 1 *Tim.* III, 1), Joannes Darensis Syrus (cit. ap. Beelen), Stapletonius (*Antidot. Apost.* in Act. Ap. XX, 28), Ill. Beelen (*Comm. in Act. Ap.* XX, 28, *in Rom.* I, 1, *et in Phil.* I, 1), Cl. Bus (in *Kirchen-Lexicon von Wetzer und Welte*, art. *Bischof*), et Cl. Bisping (*Exegetisches Handbuch*, in 1 Tim. III, 1), etc. (1) docent nomine *episcopi* in novo Testamento numquam intelligendum esse sacerdotem primi ordinis, sed sacerdotem secundi ordinis ubique designari. Inde tamen, inquiunt, non sequitur verum ordinis et jurisdictionis discrimen inter episcopos presbyterosque stricte dictos isto tempore nondum exstitisse; de prioribus enim sæpe mentionem fieri in n. Test. sub appellatione *Apostolorum* (v. gr. de Timotheo, Tito, Epaphrodito, Barnaba, et fortasse Andronico et Junia); quinimo eorum officia, munera, et dotes in epistolis Pauli *Pastoralibus*, quæ ad episcopos proprie dictos referuntur, passim lateque describi. Et re quidem vera, Pastores illos, ad quos s. Paulus sermonem habet, tales esse qui *episcopis* (i. e. presbyteris stricte dictis) et *diaconis* manus imponere debeant (1 Tim. V, 22), qui *presbyteros* eligant (1 Tim. III, et Tit. I definitur quinam eligendi sint), accusationes adversus eos latas accipiant (1 Tim. V, 19), eisque præmia decernant (1 Tim. V, 17) aut pœnas (1 Tim. V, 20) etc.

Hæc quidem sententia omnia et singula loca, in quibus de

(1) A Lapide, qui ad Phil. I, 1 videtur sequi hanc 2ᵐ sententiam (ita enim interpretatur Act. XX, 28 : *Vos posuit Spiritus sanctus episcopos, i. e. presbyteros et pastores*), in ipso Commentario ad Act. XX, 28 per *episcopos* non intelligit solos sacerdotes secundi ordinis, sed simul primi ordinis, quum scribat « Paulum convocasse plures revera episcopos, nimirum eos qui erant episcopi civitatum provinciæ Ephesiæ. » Pariter in 1 Tim. III, 1, 8 vocem *episcopus* sumit principaliter de sacerdotibus primi ordinis; namque : « Post descriptionem, ait, episcopi, sub quo et presbyteros complectitur, transit Apostolus ad Diaconos. » Quapropter ad 3ᵐ sententiam interpretem illum referre haud dubitem.

episcopis sermo instituitur, maxima cum facilitate explicat: verum eidem obstat a/ auctoritas synodi Tridentinæ, quæ sess. 23 de Sacramento Ordinis cap. 4, de episcopis proprie dictis interpretatur verba: *Vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Sensus autem ille, quem Patres Tridentini Pauli verbis adscribunt, quamquam, ut animadvertit R. P. PATRIZI in *Comm.* ad h. l., *de fide tenendus* non est, minime tamen dubius esse videtur, utpote *is quem tenuerit et teneat sancta mater Ecclesia,* contra quem sensum Scripturam interpretari nefas est, teste Conc. Trid. ss. 4. b/ Obstat etiam, auctores catholicos fere omnes de episcopis stricte dictis exponere illa 1 Tim. III, 2, et Tit. I, 5: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse* etc.; ipsamque Ecclesiam Romanam, in Officio divino, verba illa ad solos Confessores Pontifices referre.

3ª SENTENTIA, quam tenent s. CHRYSOSTOMUS (*Hom.* 1 *in epist. ad Phil.*, n. 1), s. THOMAS (*Comm. in Phil.* I, 1, et *in* 1 *Tim.* III, 1; neque aliter sentit in *Summ. th.* 2ª 2æ, q. 184, a. 6, ad 1m), P. PERONNE (*Præl. theol.*, tract. de Ordine, n. 103), CL. ALLIOLI (in *Comm. ad Act.* XX, 28), P. PATRIZI (*Comm. in Act. Ap.* XX, 28, Romæ 1867) etc., affirmat nomen *episcopi* ea tempestate sacerdotibus primi et secundi ordinis commune fuisse; inde tamen cum Protestantibus, præsertim Presbyterianis, haudquaquam concludi posse, Ordinem episcopalem, a presbyterali diversum, in primitiva Ecclesia non exstitisse, aut episcopos in potestate Ordinis et jurisdictionis sacerdotibus superiores non esse; per nominis enim communitatem rei aut potestatis æqualitatem non statim demonstrari.

Porro, hæc sententia tertia sequenti modo proponenda nobis videtur:

Nomen *episcopi* munus seu officium proprie denotat, atque iis generatim tribuitur qui cœtibus christianorum aliquo modo præfecti erant; adeo ut principaliter, secundum plenam vocis significationem, designet sacerdotes primi ordinis, et per participationem seu per accessionem sacerdotes secundi ordinis, quatenus hi simul cum illis, et sub illorum regimine, officio *inspectoris* ecclesiastici (επι-σκοπος) fungantur. Ideo concilium Tridentinum verba *Spiritus sanctus posuit vos episcopos regere Ecclesiam Dei* (Act. XX, 28) ad solos episcopos proprie dictos merito restrinxit, quum ad presbyteros stricte dictos referri non possint, nisi in

quantum hi participent potestatem sacram quam in plenitudine habeant episcopi, seu in quantum populo christiano sibi ab episcopis commisso (parochiæ suæ) præfecti sint, eum regant, doceant etc. Igitur, Miletum convocati fuerunt et episcopi et presbyteri (nam utrosque significat vox *majores natu* v. 17); sed Paulus in decursu orationis quædam dicit quæ secundum strictam perfectamque verborum vim ad solos episcopos pertinent. Alibi autem, quando Apostolus ab episcopis ad diaconos transit, sub denominatione *episcoporum* comprehenduntur sacerdotes tum primi quum secundi ordinis.

Hæc 3ª sententia, quæ communior est, nobis verior etiam videtur. Eo vel magis quod in s. Scriptura, non tantum nomen *episcopi*, sed etiam *apostoli* et *diaconi* aliis quoque viris, qui ordine et auctoritate aut minores erant aut multo præstantiores, interdum tribuatur : sic *apostoli* vocantur Barnabas, Epaphroditus, et, secundum multorum interpretationem, etiam Andronicus et Junias (Rom. XVI, 7). Paulus autem se et Apollo *diaconos* vocat, 1 Cor. III, 5, et 2 Cor. III, 6.

6° Manet ut præcipua episcoporum et presbyterorum munera, dotesque varias in eis requisitas, in quantum de utrisque loquitur s. Scriptura, breviter recenseamus.

Munera episcoporum: a/ generatim ecclesiæ ipsis commissæ præesse, eam regere etc., Act. Ap. XX, 28; 1 Petr. V, 2; b/ specialiter eam in doctrinæ puritate morumque sanctitate constituere et custodire, Act. Ap. XX, 28 sqq.; 1 Thess. V, 12 et epist. Pastoral. (ad Tim. et ad Tit.) passim. c/ Præterea munus docendi specialissime ipsis competit, 1 Tim. III, 2, coll. Tit. I, 9 etc. d/ Ad ipsos spectat ministros sacros Ordinare seu consecrare, 1 Tim. V, 22 et Tit. I, 5.

Dotes animique virtutes in episcopis requisitæ : a/ ante omnia oportet ut ipsi peculiari et excellentiore modo acceperint Spiritum sanctum, per sacram Ordinationem episcopalem, Act. Ap. XIV, 22; 1 Tim. IV, 14; 2 Tim. 1, 6 etc. b/ Præcipuæ autem dotes, quas habere debet episcopus, 1 Tim. III, 2 sqq. et Tit. I, 9 sqq. fuse describuntur. Videsis *Comm.* nostr. *in omnes s. Pauli Epist.*, 5ª ed. 1892.

Munera presbyterorum : a/ præesse, sub episcopi imperio, fidelibus ipsis commissis, eos regere auctoritate inferiore: cf. epist. s. Pauli Pastor., in quibus plurima sunt quæ ad episcopos

proprie pertinent, sed quæ, servatis servandis, ad presbyteros accommodanda sunt. b/ SS. Eucharistiam conficere et Sacramenta ministrare (exceptis Sacramentis Ordinis et Confirmationis): vide Evangelii loca in quibus Christus jus illud apostolis concedit; namque ex omnibus sanæ interpretationis regulis novimus, verba ejus ad quosvis sacerdotes, secundum limites ab Ecclesia statutos, extendenda esse. *Presbyteris* nominatim injungitur ut Sacramentum Extremæ Unctionis infirmis conferant, Jac. V, 14.

Dotes in presbyteris requisitæ. Istæ præsertim colligendæ sunt ex iis quæ in episcopis requiruntur: etenim, ut in explicatione epistolarum s. Pauli Pastoralium diximus, plurima eorum quæ de episcopis scribuntur, ad presbyteros certis sub conditionibus accommodare decet.

DISSERTATIO OCTAVA.

ANALYTICA EXPOSITIO ORATIONIS S. PAULI MILETI HABITÆ : EX QUA COLLIGIMUS QUALIS DEBEAT ESSE LABOR SACERDOTALIS AD EXEMPLUM APOSTOLI.

(Ad. Act. Apost. XX, 18-35)

Mens nobis est *logice* exponere, et secundum sententiarum connexionem ordinare verba s. Pauli, Ephesinos episcopos presbyterosque valere jubentis; quod quidem in eum finem perficiemus ut, ad utilitatem nostram spiritualem, inde colligamus et plenissime discamus qualis debeat esse labor sancti sacerdotis, Evangelii ministerio addicti.

1° Labor debet ante omnia rectum habere finem, seu purissimo mentis intuitu suscipi. Ideo oportet ut a/ pro gloria Dei fiat: *Serviens Domino,* ait s. Paulus, v. 19, non hominibus; b/ pro salute animarum: ut homines *pœnitentiam* agant, *et fidem in Christum* amplectantur (v. 21), *et hereditatem inter sanctos omnes accipiant* (v. 32); c/ pro salute propria, ad salvandam animam suam; quod Apostolus testatur se fecisse, cum: *Non facio,* ait, *animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum* (v. 24).

2° Labor debet esse constans, continuus, absque ulla temporis jactura. Sic Paulus laboravit *a prima die.... per omne tempus* (v. 18), *nocte et die* (v. 31).

3° Labor diu protractus, si varia rerum adjuncta locorumque necessitates id requirant: *per triennium* (v. 31): quod erat tempus

satis diuturnum habita ratione viri illius, cui injunctum erat ut per totum imperium Romanum fidem propagaret.

4° Labor universalis, a/ tum ratione personarum : *Judæis atque gentilibus* (v. 21), *unumquemque vestrum* (v. 31) ; b/ tum ratione locorum: *publice et per domos* (v. 20); tum etiam c/ ratione doctrinæ: *Scitis quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis* (v. 20); *non subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis* (v. 27).

5° Labor humilis: *cum omni humilitate* (v. 19).

6° Labor fortis : *nihil... vereor* (v. 24).

7° Labor patiens : *cum lacrymis et tentationibus,* non obstantibus persecutionibus acerbissimis (v. 19).

8° Labor generosus et vere heroicus, quum Paulus dicat se ad omnia paratum, etiam ad mortem (v. 24).

9° Labor circumspectus et prudens : *oportet suscipere infirmos* (v. 35).

10° Labor ab omni cupiditate et lucri studio alienus (v. 33).

11° Labor, contra, beneficus et liberalis: *his qui mecum sunt ministraverunt manus istæ* (v. 34).

12° Labor durissimus, sponte susceptus, quale erat illiberale illud ac servile artificium, quod Paulus cum sollicitudine animarum atque ardua verbi divini prædicatione conjunxit, quamvis jus haberet ad honestam vitæ sustentationem a fidelibus accipiendam (v. 34).

13° Labor tenerrimo amore plenus : *cum lacrymis monens* (v. 31).

14° Labor quem constanter stimulet A/ recordatio summæ excellentiæ et dignitatis eximiæ, quæ muneri sacro competunt, tum a/ ratione originis : *ministerium verbi quod accepi a Domino* (v. 24); quum b/ ratione finis seu utilitatis : *gratiam Dei* procurare (v. 24), *ad regnum Dei* perducere (v. 25 et 32). Eumdem laborem etiam excitare debet B/ recogitatio severissimi officii quod ministris sacris impositum fuit: *mundus sum a sanguine omnium* (v. 26), quibus verbis significat Apostolus reum esse homicidii spiritualis, qui animas sua culpa interire permittit.

Atque hæc quidem hactenus de homilitica accommodatione præclarissimæ orationis ad clerum Ephesinum.

Utile autem duxi semel exemplar quoddam proponere, ex quo discant theologiæ alumni qua ratione s. Literis studere debeant. Oportet enim ut studium illud ante omnia ad actum et usum dedu-

catur (gall. *une étude pratique*), atque adeo ad animæ salutem utile sit : nuda scientia aut *abstracta* disquisitio, quæ mente sola fit sine ullo cordis motu, plenum sensum verbi Dei, quod *ignis* est æque ac *lux*, recte assequi nequit; quamobrem exercitationes philologicæ aut criticæ, etsi semper præmittendæ sint, ipsum s. Scripturæ studium nequaquam constituunt : potius habendæ sunt tamquam procemium quoddam seu principium, quo via aperitur ad veram intelligentiam altioremque scrutationem divinorum eloquiorum. Scientia enim sacræ Scripturæ a studiis profanis toto cœlo distat, siquidem libri divini eodem spiritu, quo scripti fuerunt, legendi sunt atque intelligendi; adeoque in triplicem finem illum : ut doctrina divinitus revelata *cognoscatur* (nimirum *le fond de la doctrine, plutôt que des remarques de détail et des recherches sur la forme*), ut eadem *ametur* ex corde, et, quod caput rei est, operibus *perficiatur*.

Quod quidem si alumni mei, aliique sacerdotes hujusce libelli lectores, diligenter consequi conentur, votis meis satisfactum erit omnibus. Eumque in finem, ut Deus Optimus Maximus scriptis meis tantillis benedicere suaque Gratia eis adesse dignetur, precor humillime.

OMNIA AD MAJOREM DEI GLORIAM.

FINIS.

INDEX.

INTRODUCTIO.

COMMENTARIUS.

PARS PRIOR.

ECCLESIA FUNDATUR, ATQUE OPERA PRÆSERTIM S. PETRI PER JUDÆAM PROPAGATUR.

PARS POSTERIOR:

ACTA PAULI PRÆCIPUA, QUIBUS ECCLESIA EXTRA JUDÆAM DILATATUR.

APPENDIX

SEU

DISSERTATIONES IN LOCA ACTUUM SELECTA.

EODEM AUCTORE PRODIERUNT

1° E VETERE TESTAMENTO :

COMMENTARIUS IN PSALMOS, tribus constans partibus, quarum prima est :

I. *Introductio in librum Psalmorum,* in qua de poesi sacra Hebræorum disseritur, ejusque vetustissima monumenta e libris historicis veteris Testamenti collecta, necnon et cantica scripturistica Breviarii Romani, in modum Appendicis explicantur. 3ª editio. Brugis, 1886.

II. *Liber Psalmorum nova et facili ratione explicatus secundum rhythmum poeticum,* per versionem ex hebræo, ad normam poeseos sacræ Hebræorum, versibus et strophis distinctis, elaboratam, atque paraphrasi continua elucidatam. 3ª editio. Brugis, 1886.

III. *Annotationes* criticæ, exegeticæ, philologicæ, historicæ, liturgicæ, morales et homiliticæ *in singulos Psalmos,* quibus præsertim Vulgatæ sensus illustratur, ad utilitatem eorum qui Breviarium Romanum recitare jubentur. Brugis, 1886.

Tria volumina prostant . . . . Fr. 15 00

PSALMI PENTECOSTES, inter præclaros præclarissimi atque obscurissimi inter obscuros, nova ac facili ratione dilucidati. 3ª editio, Brugis, 1880; in-8, p. 132 . . . . Fr. 1 50

LIBER JOSUÆ breviter elucidatus, Brugis, 1869; in-8, p. 80. *Épuisé.*

LIBER ECCLESIASTIS cum versione nova ex hebræo secundum rhythmum poeseos hebrææ disposita; accedit textus Vulgatæ ejusque translatio flandrica. Brugis, in-8, p. 80. *Épuisé.*

HABACUC eadem via ac ratione explicatus. Brugis, in-8, p. 29. *Épuisé.*

2° E NOVO TESTAMENTO :

SANCTUM JESU CHRISTI EVANGELIUM SECUNDUM MATTHÆUM, additis ubique locis parallelis aliorum evangelistarum, amplo commentario, tum morali et homilitico e ss. Patribus, quum literali et exegetico ex auctoribus nostræ ætatis, illustratum. Cum tabula geographica ex celebri officina Justi Perthes in Gotha. Ed. 3ª, Brugis 1880-1882; 4 vol. in-8 . Fr. 20 00


ACTUS APOSTOLORUM breviter explicati, cujus hic prodit 5ª editio Fr. 4 50

EPISTOLÆ CATHOLICÆ breviter explicatæ. Ed. 3ª. Brugis, 1893. 1 vol. in-8, pp. 160 . . . . Fr. 2 00

S. PAULI EPISTOLÆ breviter explicatæ, ad usum Seminariorum et cleri. Accedunt tum tabulæ synopticæ quum analyses logicæ singularum epistolarum, necnon paraphrasis continua textus sacri universi. Nonnullæ etiam traduntur dissertationes scripturisticæ, v. gr. de dono linguarum, de mundi interitu et de Anti-Christo. Ed. 5ª. Brugis, 1892, apud Beyaert, bibliopolam. *Deux gros vol. in*-8, *p.* 596 *et* 648 . . . . Fr. 15 00

QUÆSTIONES IN OMNES S. PAULI EPISTOLAS (ferme 800 quæstiones) ad triplicem hunc finem collectæ : 1° ut loca præclariora, in studio præsertim attendenda, discernantur; 2° ut lecta et intellecta facilius repetantur altiusque imprimantur memoriæ; 3° ac tandem ut conferentiis Ecclesiasticis apta præbeatur materia. 3ª ed. Brugis, 1896, in-8, p. 100 . . . . Fr. 1 25





STEENKISTE, J.A., van. BS
Actus Apostolorum. 2625
.S8

